

# IACOBI GRETSERI SOCIETATIS IESV


SACRÆ THEOLOGIÆ IN ACADEMIA INGOLSTADIENSI PROFESSORIS



Tomi Primi

# DE SANCTA CRVCE

*PARS ALTERA.*






Cum gratia & priuilegio sacræ Cæsar. Maiest.

*INGOLSTADII,*

EX TYPOGRAPHEO ADAMI SARTORII.


*ANNO DOMINI M. DCVIII.*

# LECTORI.

VIſum eſt, amice lector, hunc primum Tomum in duas partes diuidere; vt ſi cui minus placet liber grandior & ſpiſſior vno in volumine compactus; poſſit, ſi libeat; ſeparatim vtramq; partem colligendam curare: neq; enim aliud in hac partitione ſpectauimus, quàm vt lectoris guſtui ſeruiremus. Vale.



# INDEX CAPITVM LIBRI QVARTI.



INDEX

# INDEX CAPITVM
## LIBRI QVINTI.



XX. *Cru-*





# LIBER QVARTVS DE SANCTA CRVCE.

AGEMVS hoc libro de signo Crucis transeunte, *hoc est, de illo, quod simul atque formatum est, desinit esse, formâ quidem & specie, non fructu & vtilitate. Manet enim huius sanctissimi signi salutaris effectus etiam tunc, cùm ipsa Crucis expressa figura præteriit, vt suo loco pluribus exemplis planum faciemus. Explicabimus autem primò, quomodo signum hoc sit efformandum, & quæ mysteria & commoda contineat. Secundò, quando signum hoc à Christianis vsurpari sit cœptum, & quàm frequens eius fuerit semper in Christiana Republica vsus. Tertiò, quosnam effectus hoc signum habeat, & vnde; singulosq; effectus historiis ex probatissimis SS. Patrum monumentis confirmabimus, vt perspicuè omnibus appareat, inimicos Crucis Christi, quibus interitum prædicit Apostolus, non esse alios,* Philip. 3. *quàm huius temporis Hæreticos, capitales huius signi hostes.*

## CAPVT I.

### *Quomodo formandum sit signum sanctæ Crucis.*

SOLET crux Christi tribus modis exprimi: primo; vnico digito, pollice videlicet, indice tamen nonnihil ad pollicem inflexo, eique quasi innitente, quem modum tunc plerunq; obseruamus, cùm salutare hoc signum in fronte, ore, & pectore describimus, vel aliud quippiam per contactum cruce consignamus.

Secundo modo solet crux depingi manu in fronte primùm posita; deinde ad imum vsque pectus ducta, indeque ad sinistram, & ab hac ad dextram translata; quo facto, multi adhuc, studio crucis co-

lendæ, manum ori admouent, crucemque pollice supra indicem collocato, effictam osculantur. Potest autem huiusmodi crux depingi, vel tota manu, hoc est, quinque digitis, vel tribus, vel etiam duobus simul iunctis. Nam vno digito crucem hanc formare, insolitum est hoc tempore, & iam olim fuit Orthodoxis; vsitatum tamen quondam Monophysitis Hæreticis, qui, vt ipso etiam Christianæ religionis symbolo, hæresin suam de vna in Christo natura profiterentur, vnico duntaxat digito sese consignabant, teste Nicephoro.

*Niceph lib. 18. cap. 53.*

Videntur tamen veteres antequam hæresis Monophysitarum existeret, vnico etiam digito crucis signationem perfecisse, tum signando seipsos, tum signando res alias. Sophronius de Iuliano Bostrensi: *Ter digito suo signauit calicem.* Sozomenus de Donato Episcopo: *Signum crucis aduersus ipsum aëri digito impressit.* Marcianus apud Theodoretum contra Draconem: *Digito figuram Crucis expressit.* S. Gregorius de Amantio Draconem interficiente: *Virtute Crucis, quam vir Dei digito edidisset.* Iosephus ille, de quo S. Epiphanius: *Crucis signaculum proprio suo digito vasi imposuit.* Postea tamen cum hoc more inciperent Monophysitæ Hæretici profiteri suam hæresin, videntur orthodoxi ab eo abstinuisse, ne existimarentur sese conformare cum Hæreticis, quod & in aliis quibusdam factum nouimus.

*Sophro. in prat. spirit.*
*Soz. lib. 7. c. 27.*
*Theod. in Marciano.*
*S. Greg. 3. Dialog. 35.*
*Epiph. hær. 30.*

Rutheni & Moschi crucem non ad dexteram, more nostro, sed ad sinistram finiunt, ad hanc, ab illa progressi. Et benè: Quandoquidem non sine mysterio sessionis Christi ad dexteram. Malè tamen, ex alio, eoque duplici capite, tum quia latinorum morem consignandi damnant, tum quia crassam quandam considerationem suo illo ad sinistram fine habent, vt dicemus capite quarto. Huius moris meminit etiam Innocentius: *Signum*, inquit, *crucis tribus digitis exprimendum est, ita vt à superiori descendat in inferius, & à dextera transeat ad sinistram.* Hæc ille. Qui mos formãdæ crucis videtur ætate illius vsitatior fuisse, quàm is, qui nunc passim obtinet. Quod ex verbis, quæ Innocentius subiungit, manifestè colligitur. Ait enim: *Quidam tamen signum Crucis à sinistra producunt in dexteram.* Ipsi etiam Monophysitæ crucem in dextera terminabant, vt auctor est Nicephorus.

*Vide Possevinũ & Sigismundũ ab Herbenstain in commentar. Moschouit.*
*Innocent. lib. 2. de Missa, c. 45.*
*Niceph. loc. cit.*

Idem hodie Græci faciunt: Testis Damascenus Hypodiaconus Studita, in libro, qui *Thesaurus* inscribitur, vbi tradens modum formandæ Crucis, sic vulgari Græcorum lingua scribit. Πρῶτα μὲν νὰ τὸ θέσει εἰς τὸ βλέφαρόν του. δεύτερον, εἰς τὴν κοιλίαν του. τρίτον εἰς τὸν δεξιὸν ὦμον. καὶ τέταρτον εἰς τὸν ζερβὸν ὦμον, ὅταν κάμει ἔτζη, τότε σημειώνει τὸν ἀληθινὸν σταυρόν. *Primùm, digitos pone in fronte, seu supercilio tuo. Deinde, in ventre tuo. Tertiò, in dextro humero. Quartò, in sinistro. sic agens; veram Crucem formaueris.* Ibidem reprehen-

prehendit Damascenus quorundam consuetudinem; qui Crucem formantes, manum primo ponebant in fronte; postea, in dextro, vel sinistro humero; & tandem in ventre. Hoc ait non esse *σωφὸν*, sed *παίγνιον*.

At vide Græcanicam leuitatem. Quod hodie agunt; id olim Latinis vitio vertebant: transitionem nimirum in formatione signaculi Crucis à dextera ad sinistram. Liquet hoc ex Manuele Caleca, Auctore eruditissimo, qui doctissimè omnes propemodum Græcorum, hoc est popularium suorum, obiectiones & querimonias refutauit. De signaculo Crucis ita scribit. *Causantur item, quia dum vitale sibi crucis signum imprimunt* (Occidentales) *transuersè à dextris inchoando crucem formant; quasi non in virtute signi,* inquit Caleca, *sed in compositione viuifica Crucis religio, & reuerentia, & speculatio consistat: Atque, vt intelligi datur, cùm prius inquisierint* (Græci, seu Orientales) *quomodo ea, quæ videtur, crux composita, vel picta fuit: si quidem, vt ipsi volunt, fuerit, tunc adorabunt: sin verò, aliter compositio illa cœpta fuerit, omittent. Et simul, quemadmodum quispiam alium figura Crucis signans, transuersè à dextris inchoat; quid sceleris admittit, si se ipsum etiam sic signet? Quocirca & Latinorum plurimi mirantur, aliquos ad tantum rusticitatis peruenire potuisse, vt etiam circa S. Crucis formationem, cùm eadem, quomodolibet formetur, contemplatio, & virtus sit, differentiam fidei, si sic, vel sic fiat, arbitrentur. quod, neque differre ipsi putant; &, quomodolibet formetur, fidelibus esse adiutorium, non ambigunt.* *Caleca lib. 4. contra Græcos.*

Reperi in Bibliotheca Bauarica, Latinum Codicem manuscriptum, in quo, prҿter alia continetur liber aduersus Grҿcos anno Domini M. C C. L I I. Constantinopoli à Fratribus Prædicatoribus compositus; in quo exstat longus catalogus querelarum, quas Græci aduersus Latinos deponunt. Cum reliquis etiam hæc, Latinos *pollice faciem signare, instar Monothelitarũ: Eosdem, cum alicui benedictionem impertiunt quinque digitos adhibere: cum in consignationibus ita disponi debeant digiti, vt per eos duæ in Christo naturæ, & tres personæ in diuinis significentur; & hoc monstrasse Christum, quando in cœlum ascensurus discipulis manibus eleuatis benedixit.* *Act. 1.* Vbi iure ex Græcis percontaberis; quæ scriptura dicat, Christum non integra manu, sed tribus duntaxat digitis benedictionem dedisse? Sed siue hoc, siue illud sit factum, hæc omnia pro nationum & regionum diuersitate variabilia sunt, & arbitraria, dummodo mente recta fiant ac suscipiantur. Et Græci, qui omnes suo modulo metiri tentant; id prius non efficient, quam omnes populos in Græcos conuertant. Quod tum, opinor, fiet, quando pascentur in æthere cerui.

Addunt Græci hanc quoque, quamuis iniquam, querimoniam. *Mortuos sepeliunt manibus eorum nequaquam constitutis in modum crucis; Sed*

*deorsum mißu circa inferiora instrumenta.* Num hæc sat iusta caussa criminandi Latinos, quibus rectè persuasum defunctis fidelibus fraudi non futurum, licet eorum manus in speciem Crucis non componantur. Quanquam, fateor, laudabilem esse hunc morem; at non tanti, vt propter eius omisionem fraterna charitas deserenda, & amicitiæ tessera confringenda sit: nec à Latinis penitus negligitur.

Ride & hanc calumniam. *Venerabilem quidem Crucem in aliis diebus in Ecclesia vident, & adorant; in sancta Quadragesima velant syndonibus, & in sancto magno Sabbato,* (imò pridie, in Parasceue) *de penetralibus educentes ipsam, tanquam de sepulchro resurgentem demonstrant populo, &c.* Et tamen isti ipsi, qui hoc latinis occinũt, in Ecclesia Palatina & Imperatoria Constantinopoli præcipuas Deiparæ & Sanctorum imagines vel velis obtegebant; vel prorsus in penetralia abstrudebant, vt in eodem libro scribitur. Nos iam missa Græcanica leuitate ad signaculum Crucis redeamus.

Tertio modo solet crux describi in aëre vel tota manu, vel tribus duobúsue digitis. Quæ ratio formandæ Crucis in benedictione & consecratione locum habet, & tum quidem, cùm super hominem exprimitur, à dextera ad sinistram eius, qui consignandus est, ducitur, quo respiciens Innocentius: *Verùm si diligenter attendes,* inquit, *etiam super alios signum Crucis à dextera producimus in sinistram, Quia non consignamus nos quasi vertentes dorsum, sed quasi faciem præsentantes.* Hæc Innocentius.

## CAPVT II.

*Crucis signum dextra manu formatur. & quare.*

*Theod. in hist. religiosa. Tur. li. 1. mirac. cap. 106. & 107. & lib. 3. mirac. S. Martini c. 3. & libro de Caluppa. Ephram. de Antichristo.*



MORIS fuisse dextra manu, & non sinistra signum Crucis efformare, patet ex Theodoreto, Gregorio Turonensi, & aliis passim. S. Ephræm Syrus, reddens rationem, quare Antichristus suis in dextra manu sit characterem impressurus, ait, illum in odio signi Crucis facturum; vt scilicet signum Crucis, dextra manu Christianis formari solitum, non exprimere posint vel audeant; ideoque dextra impressum manu characterem, cruci oppositum, circumferre eos faciet: *Quamobrem signat* Antichristus *hominis dextram?* inquit S. Ephræm, qui & respondet: *Quod eâ scilicet cuncta nostra membra signemus, etc.* Dextra ergo manu signum Crucis maiores nostri formauerunt, qui sicut alia omnia, ita & hoc non sine ratione fecerunt. Ratio hæc fuit. Cùm dextra manus, opinione & sententia hominum honoratior atque præstantior esset, ideo sese aliáue obsignaturi, dextram potius manum, quàm sinistram *signo Dei* exprimendo

mendo adhibuerunt. Verè enim S.Iustinus Martyr: ἐπειδὴ τῶν παρ' ἡμῖν τὰ τιμιώτερα εἰς τιμὴν τοῦ Θεοῦ ἀφορίζομεν. *Quia eorum, quæ apud nos sunt meliora atque præstantiora, ad Dei honorem secernimus.* *Iust. quæst. 118.*

Hæc itaque, cur dextra manu potius quàm sinistra se veteres consignarint, proba causa est: non autem illa Nouatianorum propria, quos can. 7. Synodus Constantinopolitana sub Theodosio Magno celebrata testatur, *Sinistros* fuisse dictos, eò quòd inter reliqua hæretica deliria hoc etiam desipuerint, sinistram manum abominandam esse & detestandam; omniaque manu dextra peragi debere. De quibus hæc Balsamon: *Nouatiani autem appellati sunt & Sabbatiani, à quodam presbytero Sabbatio, qui more Iudaico Sabbata seruabat. Appellati sunt autem iidem & Sinistri, vtpotè manum sinistram abhorrentes; & vt per eam quidquam accipiant, in animum non inducentes.* Non ita Christiani antiqua pietate fideq; eximij; qui dextra manu signum Crucis expresserunt, non quod nefas esset, illud sinistra manu formare, vel quod sinistram abominandam esse censerent: sed quia maluerunt eam manum, quæ honoratior censetur, dedicare *cælesti notæ atque maximo immortalíque signo Dei:* ita enim Crucis signum appellat Lactantius. *Balsam. in can. 7. Syn. Constantin.* *Lactant. lib. 4. cap. 26.*

Esse autem dextram manum, præstantiorem, ornatiorem & honoratiorem sinistra, nescio quo consensu omnes pœnè gentes opinantur. *In iis enim, quæ paulò politiora & ornatiora nobis, atque pluribus egere viribus videntur, dextra manu ferè vtimur,* ait verè Nicetas Choniates: *Ipso enim locutionis vsu,* inquit S. Gregorius Magnus, *pro dextro habere dicimur, quod pro magno pensamus; pro sinistro verò, quod despicimus.* Hoc rudis illa liberorum ætas docetur, qui si porrigant sinistram (quippe *qui nesciunt, quid sit inter dextram & sinistram suam,* vt verbis sacris vtar, quæ ad hoc ipsum alludunt) illicò parentes dextram poscunt. Das schön Händlel dicunt Germani. *Nonne corripis eum qui de sinistra voluerit manducare?* inquit S. Augustinus, *Si mensæ tuæ iniuriam putas fieri, manducante conuiua de sinistra; quomodo non fit iniuria mensæ Dei, si quod dextrum est, sinistrum feceris; & quod sinistrum est, dextrum feceris?* *Chonia. in thesauro orthodoxa fidei lib. 2. cap. 39.* *Greg. li. 20. Moral. cap. 18.* *Iona 4.* *Aug. in Psalm. 136.*

Sed ne huic mori causam sine auctoritate antiquitatis quæsiuisse videamur, adducam luculentum testimonium S. Iustini Martyris, si tamen auctor, qui illam ipsam causam disertè assignat: καθάπερ τῇ δεξιᾷ χειρὶ ἐν ὀνόματι Χριστοῦ κατασφραγίζομεν τοὺς τῆς σφραγῖδος ταύτης δεομένους, ἐπειδὴ τιμιωτέρα νενόμισται τῆς ἀριστερᾶς, καί τοι θέσει, καὶ οὐ φύσει διαφέρουσα ταύτης ὑπάρχει· οὕτως καὶ ἡ ἀνατολὴ ὡς τιμιώτερον μέρος τῆς κτίσεως, εἰς προσκύνησιν Θεοῦ ἀφώρισται. *Quemadmodum dextra manu in nomine Christi eos, qui Crucis signo obsignandi sunt, obsignamus, propterea quòd dextra manus præstantior censetur quàm sinistra; quanquam situ, non naturâ ab ea differat: sic oriens, vt quæ pars sit in natura crea-* *Iust. quæst. 118.*

*ta præstantior, ad Dei venerationem cultumq́; secreta est.* Subiungit: τὸ δὲ ἔθος παρ' ὧν εἴληφεν ἡ ἐκκλησία τὸ εὔχεσθαι, παρὰ τούτων εἰληφέναι καὶ τὸ ποῦ εὔχεσθαι, τοῦτο δὲ παρὰ τῶν Ἀποστόλων. *A quibus autem Ecclesia precandi morem accepit, ab iis etiam vbi precandum sit accepit, id est, ab Apostolis.*

*In ordine Baptismi secundùm vsum Aethiopũ. Extat tom. 6. Bibl. SS. PP.*

Legimus quoq; Aethiopas, cùm quid cruce obsignant, ambabus manibus inuersis signum Crucis efformare consueuisse.

## CAPVT III.

*Formulæ solennes verborum, quæ ad efformationem Crucis pronunciabantur.*



VARII varia vota & verba pietate plena ad crucis signum protulerunt, prout sensus pietatis, vel vrgens periculum necessitasque ea expressit: quæ hoc loco recensere non statuimus; sed tantùm illas verborum formulas adducemus, quæ solennes toto orbe Christiano ab omnibus frequentatæ fuerunt, & ex Apostolici æui vsu ad nos deriuatæ, hodieq; in ore sunt omnibus, exceptis nescio quibus heri malè natis: *Vt hinc iam destinari possit hæreticus, qui deserto quod prius fuerat, id postea sibi elegerit, quod retro non erat,* vt verbis Tertulliani vtar.

*Tert. lib. 1. adu. Marcion.*

Prima eaq; maximè solennis formula est: IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI, AMEN. Quibus verbis sacrosanctę Trinitatis mysterium piè recolimus & veneramur, quod & ipsa efformatio crucis & modus formandi repræsentat atque animo obiicit, vt capite sequenti ostendemus. Hîc sufficit solennem hanc formulam ex sancta illa Patrum antiquitate asserere, ex qua primum producimus S. Gregorium Magnum: *Faciat ei signum crucis in capite de oleo benedicto dicens, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

*Gregor. lib. Sacramentorum.*

Secundus testis sit sanctissimus & magnus ille Ephræm Syrus, qui ait: *Quacunque pertransis, signa primùm in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Tertullianus ad hunc morem disertè alludit: *Fides obsignata in Patre, & Filio, & Spiritu sancto.*

*Ephram de panoplia.*

*Tert. lib. de baptismo cap. 6.*

S. Dionysius Areopagita de monastica inauguratione agens: τῷ σταυροειδεῖ τύπῳ σφραγισάμενος αὐτὸν ὁ ἱερεὺς ἀποκείρει, τὴν τριαδικὴν τῆς θείας μακαριότητος ἐπικλήσεις ὑπόστασιν. *Sacerdos signo Crucis eum consignatum tondet, appellans tres Personas diuinæ beatitudinis.*

*Areopag. de Eccles. hierarch.*

S. Alexander Martyr, qui sub Maximiano Imperatore militauit, cùm iam capite plectendus esset, *totum corpus cruce ter signauit, & ad orientem versus, Gloria, inquit, tibi sit Deus patrum nostrorum, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.* vt habetur in Actis eius.

*Apud Surium 13. Maij.*

Seue-

Seuerus Patriarcha Alexandrinus agens de oleo catechumenorum, quo ante Baptismum inungebantur: *Signat eum tribus crucibus super frontem eius factis, atq; in hunc modum dicit, Signatur signaculo filiorum adoptionis, in nomine Patris, Amen, & Filij, Amen, & Spiritus viuentis ac sancti ad vitam seculi seculorum.* Idem alibi: *Signamus in nomine tuo Pater, & Fili, & Spiritus.* Ex quo patet, vt clarius & expressius significaretur mysterium sacrosanctæ Trinitatis, tres cruces efformasse. Ita S. Athanasius refert de S. Antonio: *Cùm vitale signum in sacro numero Trinitatis pressisset in frontibus, vna cum expulsis dæmonibus vana præsentium philosophorum confutata est sapientia.* De Iuliano Bostrensi Episcopo Sophronius inquit: *Signansq; ter digito suo calicem & dicens, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

*Seu. lib. de ritibus Baptismi.* *Athan. de Vita S. Antonij.* *Sophro. in prato spirit.*

Secunda formula, quæ tamen verius eadem cum prima censeri debet, est, cùm signum Crucis exprimentes dicimus, IN NOMINE SS. TRINITATIS. siue deinde ad hæc verba tres Personæ distinctis & expressis nominibus addãtur, siue tantum subintelligantur. Vtrumque in vsu est. De vtroque testimonia ex antiquitate suppetunt. Primi exemplum sit S. Eugenius, qui, teste Gregorio Turonensi, *Crucem super oculos cæci faciens, ait; In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, veri Dei, quem trinum in vna æqualitate atque omnipotentia confitemur.* De secundo plurima in promptu testimonia passim, ex quibus iam hæc do. Sanctus Chrysostomus dæmoniacum *curat*, inquit Leo Imperator, *signo pretiosæ crucis & inuocatione sanctæ & viuificæ Trinitatis.* Gregorius Turonensis: *In Trinitatis nomine signum Crucis imponens.*

*Tur. lib. 2. hist. Franc. cap. 3.* *Leo in encomio S. Chrys.* *Turo. de gloria Confess. cap. 82.*

Tertia solennis formula verborum in consignatione Crucis hæc est: IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. His enim verbis comprehendo omnem inuocationem dulcissimi nominis Iesu: quod in formatione crucis solebant pronunciare. S. Martinus de seipso ait, teste Sulpitio: *In nomine Domini Iesu, signo Crucis, non clypeo protectus.* Sophronius Patriarcha: *Signauit nauim signo sanctæ Crucis in nomine Domini nostri Iesu Christi.* S. Epiphanius de muliere, quæ incantationes irritas signo Crucis reddidit: *Signauit se in nomine Christi, vt quæ Christiana esset.* S. Gregorius Nyssenus de Diacono S. Gregorij Thaumaturgi: *Signum Crucis ante sese obiiciens, Christíque nomen inuocans.*

*Seu. Sulp. lib. de Vit. S. Martini.* *Sophro. in prato spirit.* *Epiph. hær. 30.* *Nyss. de gestis S. Gregorij Neocæsariensis.*

Quarta formula, non longè diuersa à tertia, eorum est, qui ad verba gloriosi tituli Dominicæ Crucis piè afficiuntur, & dum signum Crucis exprimunt, dicunt IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM. Quæ gloriosi tituli prępotentia verba miram pietatem & suauitatem spirant, ideoque ad signaculum crucis à piis adhibentur, non sine exemplo prisci & sancti æui. S. Epiphanius de Iosepho Iudæo, ad Christum conuerso: *Crucis signaculum proprio suo digito vasi imposuit, & in-*

*Epiph. hær. 30.*

uocato

## CAPVT IV.

### *Qua mysteria signum S. Crucis contineat & doceat.*



QVID, inquit Brentius hæreticus, *signum Crucis facit ad honestam disciplinam, vel ad veram pietatem?* Si discendi studio quæreret Brentius, non exiguum sanè operæpretium foret, fusius explicare Brentio, quàm & ad Christianam disciplinam, & ad omnem pietatis exercitationem sanctissimum hoc Crucis signum faciat. Sed quia Brentius & Brentiani non sciscitantur, vt discant, sed vt rideant, non ipsis, sed aliis, meliori mente præditis, demonstrandum est; signum hoc Christianæ fidei, imò & Apostolici symboli compendium esse, plenum sanctissimis mysteriis, saluberrimisque institutis & documentis: *quodque*, vt inquit D. Cyrillus, *nos ad recordationem omnis virtutis inducit; & quod*, vt idem ait, *facimus in memoriam omnis boni, & omnis virtutis. Nouimus autem*, inquit S. Augustinus, *membra Christi, si membra Christi sunt, (id est, si fideles sunt, si futurum seculum sperant) quare signum Christi portent.*

*Brent. in Prolegomenis.*

*Vide, quæ hac de re copiosè scripsi tom. 3. de S. Cruce in Append. 2. ad li. 3. cap. 3.*

*Cyr. li. 6. contra Iulian.*

*Aug. serm. 53. de Verb. Dom.*

In eo enim sanctissimæ Trinitatis mysterium, admiranda verbi diuini Incarnatio, Christi Domini passio, remissio peccatorum, & vita æterna repræsentatur, & methodo quidem tam facili & perspicua, vt quod Isaias de via ad Ecclesiam pronunciauit, *ne stultus quidem*, hoc est, ingenio valde tardus & hebes, ab ea aberret; siue enim formando crucem proferantur illa verba: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; siue non proferantur; semper animo mysterium sacrosanctæ Trinitatis & Incarnationis obiicitur. & quidem res probatione non eget, cùm ad crucis figuram verba illa pronunciantur. Nam voce illa; *in nomine*, vnam diuinitatem, virtutem, potentiam & maiestatem sanctissimæ Trinitatis prædicamus. *Patris* nomen, manu in frontis vertice posita, proferimus, vt patrem primum & principium sine principio esse significemus. Manu ad ventrem demissa, filium nominamus, vt eiusdem ex vtero patris ante Luciferum, hoc est, æternam generationem, simulque temporalem eiusdem in vterum Virginis descensum insinuemus. Spiritus sancti nomen à sinistra ad dexteram progrediendo adsciscimus, vt eum à Patre & Filio, tanquam vtriusque amorem & nexum, vtrique homousion & consubstantialem procedere confiteamur.

*Isaia 35.*

Totum hoc repræsentat etiam alter ille crucis formandæ modus, cùm tres cruces pingimus, vnam in fronte, alteram in labiis seu ore, tertiam in pectore. Nomen enim *Patris*, tanquam principij & ingeniti, pronunciamus ad crucem in fronte: Nomen *Filij*, qui est patris verbum;

bum;ad crucem in ore, quo verba formare solemus. Nomen *Spiritus*, qui est vtriusque amor, ad crucem in pectore, vbi amor suam sedem habet. Totum hoc ipsæ cruces, quantumuis sine vllis verbis expressæ significant: non enim verbis tantùm, sed & ipsi Crucis signo significandi facultas inest: imò nisi significaret, signum non esset. Nam ad hoc significandum fuit signum Crucis tempore Apostolorum vsurpatum, teste S. Augustino, qui ait, S. Stephanum signo Crucis in fronte fuisse consignatum; & non multò post subiungit, hoc signum Crucis significasse mysterium SS. Trinitatis, & in hanc Protomartyris fidem: *Quid agitis ô Iudæi? Non timetis ouem Christi pedissequam, quæ habet in fronte sua nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti? Ipsum est signum quod vobis in Stephani fronte lucebat. Hoc signum viderunt cœli, & patefacti sunt, & tanquam ostenso signaculo in specie angelorum patefactæ sunt portæ cœlorum.* Nec refert, vtrum tota manu, an tribus duntaxat digitis, crux exprimatur, quã-uis clarior sit adorandæ Trinitatis repræsentatio, si tribus duntaxat digitis crux describatur.

*Aug. serm. 92. c. 4. de diuersis edit. Louan. Aug. ibid. serm. 99. cap. 2.*

Eadem crucis formatio alia itidem ratione Incarnationis œconomiam fidelium mentibus subiicit. Quid enim aliud agimus, signum hoc à vertice capitis, siue à fronte ad ventrem vsque ducendo, quàm quod cogitationem nostram ad Christum referimus, qui de summo cœlo egressus, descendit in castissimæ Virginis vterum, & ex sanctissima illius carne, carnem sibi, homo factus, sumpsit; deinde collocata manu ad læuam, indeque ad dexteram translata, causam animo reuoluimus, ob quam Dei filius naturam nostram induit; ea erat vt nos, qui propter scelera nostra, cum hœdis ad sinistram collocandi eramus; transferret cum dilecto ouium suarum grege ad dexteram; vbi exoptatissimam illam vocem nobis audire liceret: *Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.*

*Matth. 25.*

Quinque digiti quinque Christi vulnera nobis in memoriam reuocant; Tres; sanctissimæ Trinitatis totidem personas, quæ salutem, crucis beneficio nobis repararunt. Accedit quod Crucis signum, primæ illius crucis, in qua Christus mortem obiit, imago est: fieri igitur non potest, vt Crucis signum cruciatus & necem Saluatoris non repræsentet.


Duas naturas in Christo tunc profitemur, cùm duobus digitis crucem Christi pingimus. Nam si Monophysitæ hæretici, vno digito vnam in Christo naturam hæreticè exprimebant, cur Orthodoxis, vt hæreticis aduersentur, duobus digitis in efformanda cruce adhiberi consuetis, non liceat duas in Christo naturas mysticè, & quasi per ænigma designare?

Remis-

Remissio peccatorum; & vita ventura indicatur transitu à læua ad dexteram; Hac enim figura Crucem signamus, *quia de miseria*, vt ait Innocentius, *transire debemus ad gloriam, sicut & Christus transiuit de morte ad vitam, & de inferno ad paradisum.* S. Augustinus: *Conspice oculis fidei vitam venturam, propter quam credidisti, propter quam signo eius signaris.* Nec vacat mysterio mos terminandi crucem ad læuam, vt fiebat tempore Innocentij, significamus enim hac ratione, teste Innocētio, *transitum Christi à Iudæis, electo populo, ad gentes.* Imò & crucem & crucifixum in corde à nobis circumferri, indicare volumus, cùm crucem supra cordis domicilium complemus & perficimus. *Aug. in Psalm. 147.*

Rutheni, de quibus suprà, ideo ad sinistram finiunt crucem; quia vt filium ad dexteram Patris, ita Spiritum sanctum, tertiam Trinitatis personam à sinistris sedere credunt. Quæ consideratio ex rudi quadam imaginatione profecta, meritò piis displicere potest, tanquam parùm conueniens altissimo sacrosanctæ Trinitatis mysterio. Hæc & id genus alia plurima, crucis signum nos edocet: quæ breuitatis causa prosequi supersedemus. *Cap. 1.*

Eat nunc, & percunctetur Brentius, quid Crucis signum faciat ad honestam disciplinam, & ad veram pietatem; nisi fortè discere & nosse sanctissimæ Trinitatis & Incarnationis mysteria, & Domini passionem, futuræque vitæ sempiterna præmia, non videatur Brentio honesta disciplina, & ad pietatem conseruandam propagandamque accommodata. An non Brentius dum signum sanctissimæ Crucis reiicit, illudque sacrilega sua lingua *infirmum mundi elementum* appellat, summam & compendium totius Euangelij, imò ipsum Euangelium reiicit, vel D. Basilio iudice? cuius hæc est oratio: *Si consuetudines, quæ scripto prodita non sunt, tanquam haud multum habentes momenti, reiicere conemur, imprudentes & ea damnabimus, quæ in Euangelio necessaria ad salutem habentur, imò potius ipsam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus, quod genus est, vt eius, quod primum est, & vulgatissimum, primo loco mentionem faciam, vt signo Crucis eos, qui spem collocarunt in Christum signemus, quis scripto docuit?* Huc vsque D. Basilius, qui eodem loco dicit; dogmata non scripta, cuiusmodi est & hoc de faciendo crucis signaculo, eandem vim ad pietatem ferendam & alendam habere, quam habent illa dogmata, quæ sacris literis sunt comprehensa. *Basil. libro de Spiritu sancto, cap. 27.*



## CAPVT V.

### *Crucis signo Christianos meritò vti.*



RVCIS signum non modò instruit, diuinaque mysteria & beneficia hominibus, ne obliuione obliterentur, suggerit, vt præcedenti capite demonstratum est; sed & alia multa commoda secum adfert, propter quæ iure optimo ab omnibus formari debeat. Nam, vt iam prætereamus mirabiles illos effectus, quos Crucis signum diuinitus edere solet, certè hæc primò omnium Christianos ex numero plebis à Deo alienæ eximit, & supra communem sortem & conditionem euehit; & vt character Baptismi, tanquam interna nota, fidelem ab infideli secernit, ita sanctissimæ Crucis signum, orthodoxos non modò à gentilibus, Christianæ doctrinæ ignaris, sed & à plerisque hæreticis, huius præsertim ætatis, exterius, velut nota quædam aspectabilis, seiungit, teste Augustino: *Christiani omnes dicimur, & omnes Christi signo signamur.* Alibi: *Crediderunt & ipsi reges, signum Crucis Christi in fronte iam portant, pretiosius signum quam qualibet gemma diadematis.* Quid autem gratius esse potest homini, quàm vt ipse, ceu ouis Christi, ab hœdis, legitimo Christi signo distinguatur; & illo quidem signo, quod per excellentiam, *signum salutis, signum Dei, signumq́; Christi* appellari consueuit. *Quid est,* inquit sanctus Augustinus, *quod omnes nouerunt signum Christi, nisi crux Christi? Nos Christiani,* inquit B. Ephræm; *à Gentilibus & Iudæis declinemus.* Qua ratione? *Postes,* ait, *nostros pretiosa & viuifica cruce coronemus.*

*Aug. in Psalm. 30. & 32.*

*Aug. tract. 118. in Ioan.*
*Ephram lib. de Pœnit.*

Imò sicut apud Iudæos circumcisio fuit signum quoddam externum illius populi, singulari quadam ratione à Deo electi: ita & in nouo Testamento, signum Crucis est signum quoddam externum populi Christiani. De quo eleganter S. Augustinus: *Non est magnum,* inquit, *in Christi sapientia gloriari; magnum est in cruce Christi gloriari. Vnde tibi insultat impius, glorietur inde pius: Vnde tibi insultat superbus, inde glorietur Christianus. Noli erubescere de cruce Christi. Ideo in fronte tanquam in sede pudoris signum ipsum accepisti. Recole frontem tuam, ne linguam expauescas alienam. Signum veteris Testamenti, circumcisio in latenti carne. Signum noui Testamenti, crux in libera fronte. Ibi enim occultatio est: hîc reuelatio. Illud est sub velamine; hoc in facie. Quamdiu enim legitur Moyses, velamen super cor eorum positum est. Quare? Quia non transierunt ad Christum: cùm enim transieris ad Christum, auferetur omne velamen, vt qui habebas in occulto circumcisionem, in fronte portes crucem. Ideo signum ab occulto transeat in manifestum, & incipiat esse in fronte. Tu quid Apostole? Transfer signum ad frontem. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Hic habeo, inquit, quod ignorabam. Venit Testamentum*

*S. Aug. in fragmen. serm. 27. de Verb. Apost. Galat. 6.*

*mentum nouum: reuelatum eſt, quod occultabatur, quod latebat, in aperto eſt. Venit ipſa petra, omnes nos ſpiritu circumcidit; & ſua humilitatis ſignum in redemptorum fronte defixit.*

Deinde crux ad crucifixi imitationem nos commonefacit & excitat: *Chriſto paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini*, ait B. Petrus. 1. Pet. 4.
Quid eſt, *eadem cogitatione armari*, quàm conſideratis Saluatoris noſtri cruciatibus, ad eoſdem vel ſimiles pro Chriſti gloria fortiter & conſtanter ſubeundos, animum inducere? Neque efficacius in hanc ſententiam aliquis ducitur, quàm formatione crucis, quæ tormẽta, quæ Chriſtus pertulit, tantùm nõ oculis ſubiicit. Eundem crucis fructum egregiè deſcribit B. Paulus. Cùm enim hortaretur Hebręos, vt per patientiam currerent ad propoſitum certamen, iuſsit, *vt aſpicerent in auctorem fidei, & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta.* Quomodo in Chriſtum crucifixum clarius & euidentius intuebimur, quàm efformata illa ſpecie, quæ non modò eius crux, ſed & eius imago eſt? Hebr. 12.

Neque aſpectus iſte crucifixi tantummodò ad id valet, vt Chriſto patienti nos conformemus, ſed vt in ipſa etiam cruce conſtanter & fortiter inſtar Chriſti Domini perſeueremus; quod ibidem ſignificat Apoſtolus: *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem, vt ne fatigemini animis veſtris deficientes.* Quid, quod ipſe Chriſtus in Cruce paſſus, præter ceteros fines, etiam hunc ſpectauit, vt patiendo imitemur veſtigia eius: *Quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis*, inquit D. Petrus, *vobis reliquens exemplũ, vt ſequamini veſtigia eius.* 1. Pet. 2.

Præterea crucis formatio charitatem in hominum animis mirificè accendit. Quis enim tam ferreus ſit, qui tantum Chriſti in cruce pendentis erga nos amorem, toto pectore non redamet, charitatemque qualem qualem immenſæ illi charitati rependere non cupiat? Vt autem hoc faciat, neceſſe eſt, vt crucifixus ſæpe ante oculos eius verſetur, vt hoc intuitu charitatis igne inardeſcat; neque tamen vel crebrius, vel luculentius Chriſtus ex cruce ſuſpenſus alicui obiicitur, quàm crucis ſignaculo, quod, vt ſuprà monuimus, expreſſa Chriſti crucifixi imago eſt, & toties à quouis pingi poteſt, quoties lubet, ita vt nullus ſit locus, nullumq; tempus quo ſalutare hoc ſignum exprimere non liceat, dummodo libeat. Quod verò in cruce potiſsimùm charitas Dei erga nos eluceſcat, docet etiam Apoſtolus cùm ait: *Commendát autem charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Rom. 5.

Spem inſuper ſalutis obtinendæ, crucis ſignum acuit. Quid enim non ſperet ille, qui ſibi filium Dei non modò donatum, ſed & pro ſe

in ara crucis immolatum videt? Videt autem, quandocunque crucis signo sese consignat. Ad hæc, signum hoc à peccatis & flagitiis, velut iniecta manu, retrahit; tum quia pretium illud immensum, quo redempti sumus; tum etiam, quia finem quendam, ob quem Christus itidem crucis supplicium subiit, memoriæ nostræ subiicit: *Pretium illud est*, de quo B. Petrus: *Scientes quod non corruptibilibus, auro vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis; sed precioso sanguine, quasi agni immaculati Christi & incontaminati.* B. Paulus: *Empti enim estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Quo pretio, nisi sanguine Christi?

*1. Pet. 1.*

*1. Cor. 6.*

Licet ipsa etiam crux nostrum sit pretium; *pretium hic crucem appellauit*, inquit S. Chrysostomus. At quis, dum crucem conspicit, hocque infiniti valoris pretium, quo à peccati iugo redemptus est, mente reuoluit, iterum prioribus noxis sese obstringat, & in pristinam seruitutem dedat? maximè si & finem, quo Christus inductus est, vt pro nobis supplicium crucis subiret, ardentius secum perpendat; qui est, vt *peccatis mortui iustitiæ viuamus*, teste B. Petro. In hunc enim scopum intuens, *peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*, vt idem Apostolorum princeps ait; cui consentit B. Paulus, cùm testatur, ideo Christum dedisse semetipsum pro nobis, *vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Et alibi, eundem Saluatorem nostrum pro peccatis nostris oblatum asserit, *vt eriperet nos de præsenti seculo nequam. Quando igitur cruce te signas*, inquit B. Chrysostomus, *vniuersam tecum crucis causam verte, & iræ ac reliquarum passionum incendia extingue.* Quod nulli valdè laboriosum erit, qui, crucifixi ope implorata, crucisque signaculo, tanquam Christianorum insuperabili armatura, sibi sæpius inscripto, securim ad ipsam vitiorum radicem seriò admouere volet.

*Chrys. hom. 55. in hom.*

*1. Pet. 2.*

*Tit. 2.*

*Gal. 1.*

*Chrys. loc. cit.*

Affectum quoq; commiserationis erga Christum Crucis signum in nobis commouet. Si enim D. Gregorius Nyssenus visa imagine, qua immolatio Isaac repræsentabatur, vbertim lachrymas fundebat, vt ipsemet testatur; quid eum fecisse credendum est, formato crucis signaculo, vel alia crucis imagine conspecta, quæ ipsius Saluatoris nostri, per illam Isaaci immolationem præsignificatum sacrificium, oculis & animo quasi præsens sistebat? Quid item alios Christianos, quibus circum præcordia æs triplex non riget, facere par est, quotiescunque passionis Christi; hæc talia tam expressa, & spirantia monumenta contemplantur?

*Nyssen. orat. de Abraham. citatur in 7. Synodo act. 1 & 4.*

Hæc & alia de genere eodem innumera, piæ menti crucis signaculum suggerit, neq; hoc tantùm, sed & quæuis crucis imago. Quidquid

quid enim hactenus de signo Crucis transeunte diximus; id etiam omni cruci seu pictæ seu sculptę accommodari & potest, & debet; hoc tantùm discriminis est, quod Crucis signum omnibus magis est in promptu & obuium, cùm quiuis vbiq; locorum Crucis signum manu efformare, non autem in tabula pingere, vel ex materia aliqua sibi fabricare, aut iam factum, semper & vbiuis locorum, secum circumferre queat.

Nec fugerunt sanctos Patres istæ considerationes, quibus quis dum Crucis signum aut facit aut cernit, mentem piè exercere potest. Plerasq; enim disertis verbis commemorat S. Cyrillus Alexandrinus, dum aduersus Iulianum Apostatam, crucis calumniatorem, vsum & vtilitatem crucis defendit: *Vniuersorum Saluator*, inquit Cyrillus, *seipsum humiliauit formam serui accipiens, contemptáque ignominia crucem sustinuit, vt corruptionis aboleret potentiam, vnus pro omnibus mortuus & excitatus, vt à mortis laqueis humanum eriperet genus, vt tyrannidem peccati, quod in nobis dominatur, destrueret, vt legem in membris corporis sæuientem sedaret, & spirituales faceret adoratores, mortuumq́; faciens in nobis sensum carnis, filios efficeret Dei, eos qui in se crediderunt, & sanctificaret per spiritum; vt tyrannide in omnes spoliaret Satanam, malorum auctorem. Hæc omnia recordari nos facit salutare lignum, & suadet vt cogitemus, quod, sicut dicit diuinus Paulus, vnus pro omnibus mortuus est, vt viuentes non sibi ipsis vltra viuant; sed ei qui pro ipsis mortuus est.* *Cyrill. li. 6. contra Iulian.*

S. Augustinus: *Nunquid quando Christiani facti sumus, propter mala ista deuitanda, vel bona adipiscenda, nomen Christo dedimus, & frontem tanto signo subiecimus? Christianus es, in fronte portas crucem Christi. Character tuus docet, quid profitearis. Quando ille in cruce pendebat, quam crucem portas in fronte, non signum ligni te delectat, sed signum pendentis, &c. Hinc ergo intelligitur fratres, ab isto signo, ab isto charactere, quem accipit Christianus, etiam cùm sit catechumenus. Hinc intelligitur quare sumus Christiani: quia non propter temporalia & transeuntia vel bona vel mala, sed propter euitanda mala quæ non transibunt, & propter adipiscenda bona, quæ terminum non habebunt.* *Aug. serm. 111. de diuersis edit. Louan.*

## CAPVT VI.

*Crucis signum ab Apostolis originem ducere. Probatur ipsos Apostolos illud vsurpasse.*



B Apostolis vsum signi Crucis ad nos manasse, dupliciter probari potest: Primò, quòd ipsi Apostoli Crucis signo vsi sunt. Deinde, quòd sancti Patres signum Crucis ad Apostolicam traditionem referant, quodque tota Ecclesia semper illo vsa sit. Primum hoc, alterum sequenti capite exsequemur.

De

*Aug. de Sanctis serm. 28.* De S. Petro & Paulo S. Augustinus claris verbis testatur, quòd signo Crucis consignarint credẽtes: *Circumfert Paulus Dominicum in mundo vexillum. Et iste piscator hominum, & ille titulat signo Crucis gentiles.* Imò ipsum Apostolum Paulum ab Anania cruce signatum fuisse, ait sanctus Augustinus: *Dicitur Ananiæ à Domino Iesu Christo, Vade ad eum, & signa eum charactere meo: multa enim patietur pro nomine meo.* Alibi: *Dicitur Ananiæ, Accede ad eum, & signa eum charactere meo.*

*Aug. de Sanctis sermon. 1. quem quidam libri manuscripti Fulgentio Episcopo ascribunt.*

*Aug. de Sanctis serm. 25.*

*1. Tim. 4.*

*Chrys. in 1. Tim. hom. 12.*

*Omnis creatura Dei bona est, & nihil reiiciendum*, inquit Apostolus, *quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* Hanc sanctificationem, ex sententia Pauli signo Crucis factam esse, testis est S. Chrysostomus his verbis: *Duo capita ponit* S. Paulus, *vnum quidem quod creatura nulla communis est. Secundò, quod etsi communis sit, medicamentum in promptu est, signum illi Crucis imprime, gratias age, Deo gloriam refer, & protinus immunditia omnis abscessit, &c. Num suilla caro immunda est? Non, si cum gratiarum actione percipitur, crucisq́; signaculo; nec aliud quicquam immundum est.* Ex quo apparet S. Chrysostomum sensisse, tempore Pauli, Christianos à Paulo edoctos, signo Crucis cibos consignasse.

*Hild. in Areop. apud Surium 9. Octobris.* Cæcum à S. Paulo Crucis signo visum recepisse, docet ex antiquioribus monumentis Hilduinus: *Cùm Paulus iter ageret, cæcus quidam cœpit eum obsecrationis vocibus compellare: Sanctus autem Apostolus Crucis signum clausis à natiuitate eius oculis imposuit dicens; Christus Dominus, & Magister noster, qui oculis lutum imposuit cæci nati, & lumen restituit ei, ipse te potentia sua illuminet; & cum verbo, videndi facultatem adeptus est.*

*Niceph. lib. 2. cap. 42.* Luculentum testimonium est de S. Ioanne Apostolo & Euangelista, qui iam iam è vita hac ad ęternam abiturus se cruce signauit. Nicephorus. *Cùm dudum transitionem suam ad Deum, diemq́; & horam eius præuidisset Ioannes, Presbyteris ministrisq́; Ecclesiæ, & præterea quicunque flagrantes essent fide, fratribus assumptis, extra Ephesiorum vrbem progreditur, & cum iis in vicinum quendam tumulum, quò frequenter ire, precationi operam daturus, solebat, conscendit: ibi vehementius orans, Ecclesias Deo commendat. mox sarculis quibusdam & ligonibus celeriter sepulchrum sibi fodi præcipit, deinde eos qui tum aderant, arcanis de Deo verbis & præceptis optimis de fide, spe, & potissimùm dilectione (quippe dilectus ipse) erudit, & corda eorum confirmans, Seruatori Verbo commendat. Postremoq́; illis in Domino saluere & valere iussis, vbi se Crucis signo muniuisset, in monumentum descendit.*

*Cap. 57. Maff. li. 2. hist. Indicarum.* S. Thomas Apostolus, Crucis signo edito quale miraculum patrarit, infrà referemus ex Maffeio, quod Indi ex veterum annalibus, & fama notum Lusitanis retulerunt.

Vniuersim omnes duodecim Apostolos signo Crucis consignare gentes consueuisse, & vnà cum signo Crucis, fidem Crucis edocuisse tra-

se, tradit S. Augustinus: *Duodecim misit, & tantum per eos sic omni genere piscium impleuit Ecclesias, vt plurimi etiam ex ipsis sapientibus seculi, quibus videbatur ignominiosa crux Christi, ea in fronte signentur. Et de qua erubescendum putabant, nobisq; insultabant, eam in pudoris arce constituunt.* *Aug. fragmento 8. ex serm. de quinquagesima Resurr. Citat Beda 1. Corinth. 1.*

S. Stephanum Protomartyrem signo Crucis consignatum fuisse asserit idem sanctissimus Doctor: *Dominus qui cinxerat, qui probauerat, qui ei characterem non in manu, sed in fronte posuerat, spectabat desuper militem suum.* Alibi de eodem S. Stephano: *Quid agitis ô Iudæi? Non timetis ouem Christi pedissequam, quæ habet in fronte sua nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti? Ipsum est signum quod vobis in Stephani fronte lucebat. Hoc signum viderunt cœli, & patefacti sunt, & tanquam ostenso signaculo in specie angelorum, patefactæ sunt portæ cœlorum.* *Aug. serm. 92. de diuersis. Aug. serm. 99. de diuersis. Alludit ad formulam verborũ qua ad Crucis signum pronunciabant: de qua supra ca. 3.*

Quomodo Corinthi nobilissima quædam virgo, Crucis signo munita, ex lupanari euaserit, narrat S. Hippolytus, scriptor Apostolicus, teste Palladio, his verbis: *In alio libro antiquissimo, scripto ab Hippolyto, qui fuit familiaris Apostolorum, inueni talem narrationem. Fuit quædam nobilissima virgo & formosissima, quæ in vita ex virtute agenda exercebatur Corinthi. Hanc illo tempore detulerunt ad iudicem.* Narrat deinde quomodo Magistrianus eam è lupanari liberauerit. *Ingressus, dicit ei, Surge, serua te ipsam. Et cùm eam suis vestibus induisset, tunica, camisia, & chlamyde, dicit ei; Egredere, summa te chlamydis parte contegens. Quæ cùm sic fecisset, & se totam signo Crucis muniisset, egressa ex illo loco omnino incorrupta & impolluta, & seruata est Christi gratia, & causa adolescentis, qui eam suo sanguine liberauit.* *Pall. hist. Lausiaca sect. 148.*

Sed à quo Apostoli vsum signi Crucis acceperunt? Non ab alio quàm qui in cruce mortem deuicit Iesu Christo. *Tu Domine Sacerdos sancte*, ait S. Cyprianus, *constituisti nobis inconsumptibiliter potum viuificum, Crucis signum, & mortificationis exemplum.* S. Augustinus: *Signum suum Christus in fronte nobis figi voluit.* S. Hieronymus: *Hoc nobis ascendens Dominus dereliquit, seu in frontibus nostris posuit, vt liberè diceremus; Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* *Cypr. serm. de pass. Christi. Aug. in Psal. 30. Hier. in cap. 66. Isaiæ. Similia Cyrill. catech. 12. 13. 15.*

Arnobius illud Psalmi (*Fac mecum signum in bono, vt videant qui oderunt me, & confundantur; quoniam tu Domine adiuuisti & consolatus es me*) ad Crucis signum referens ait: Christo *ascendente in cœlum, nos Apostoli & discipuli eius habebimus signum Crucis eius in bono cum vniuersis qui credimus; ita vt videant in frontibus nostris signum tuum, & confundantur siue visibiles, siue inuisibiles inimici. In ipso enim signo adiuuas, & in ipso consolaris nos.* *Arn. in Psal. 85.*

Eant iam hæretici, & quærant, à quibus vsum Crucis signi accepimus. *Sanguine illinuntur postes, vt pernicies depellatur: Signantur signo Dominicæ passionis in frontibus populi ad tutelam salutis.* Et clamat Faustus, & Lutherus & Caluinus, *oculis clausis*, (liceat enim mihi hos iisdem verbis *Aug lib. 12. contra Faust. c. 30.*

 alloqui,

alloqui, quibus Faustum Manichæum S. Augustinus) *nihil se in literis illis inueniße, quod ad prænunciationem Christi*, & signi Christi *pertineat. Quid autem mirum, si oculos habet ad legendum, & cor ad intelligendum non habet, qui positus ante ostium clausum diuini secreti non fide pietatis pulsat, sed elatione impietatis insultat.*

## CAPVT VII.

*Probatur auctoritate sanctorum Patrum, & ex perpetuo vsu Ecclesiæ signum Crucis esse Apostolicam traditionem. Refelluntur Hæreticorum calumniæ.*



ECCLESIASTICARVM *institutionum quasdam in scriptis; quasdam verò Apostolica traditione per successores in ministerio confirmatas accepimus: quasdam verò consuetudine roboratas vsus approbauit*, inquit S. Augustinus, *quibus par ritus & idem vtrisq; pietatis debetur affectus; vnde quis vel aliquantulum sacrarum expertus scripturarum hæsitauerit? Si enim attenderimus consuetudines Ecclesiæ non per scripturas à patribus traditas nihil æstimare, quantum religio detrimenti sit latura intentè inspicientibus, liquidò constabit. Quæ enim scriptura salutiferæ crucis signaculo fideles docuit insigniri?*

*Citatur à Gratiano dist. 11. C. Ecclesiasticarum.*

*Basil. libro de Spiritu sancto, cap. 27.*

Similem sententiam habet D. Basilius, cuius partem suprà recitauimus; imò hæc quæ Gratianus Augustino tribuit, desumpta sunt ex D. Basilio, qui ait: *Dogmata, quæ in Ecclesia seruantur & prædicantur, partim ex conscripta doctrina habemus, partim ex Apostolorum traditione, in mysterio ad nos delata recepimus; quæ vtraque eandem ad pietatem vim habent, & nemo his contradicit, qui vel mediocrem saltem Ecclesiasticorum iurium experientiam habet.* Hæc ille. Qui mox, præter alias traditiones non scriptas, enumerat signum Crucis, *tanquam vulgatißimum*, vt ait, *& omnibus notißimum & vsitatißimum.*

*Aug. lib. 4. de baptismo cõtra Donatist. c. 24.*

Habemus ergo, signum S. Crucis ab Apostolis originem ducere, & ad nos inde longissima seculorum serie deueniße; quod enim *vniuersa tenet Ecclesia*, inquit alibi D. Augustinus, *nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectißimè creditur.* At vniuersam Ecclesiam crucis signum vsurpaße, testes sunt non modò duo prædicti sanctissimi Doctores, sed & alij innumeri, vt B. Ignatius, S. Dionysius, Tertullianus, Iustinus, Lactantius, Cyrillus vterq;, Athanasius, Ephræm, Gregorij Nazianzenus & Nyssenus, Hieronymus, Ambrosius, Gregorius Magnus, & alij, quorum testimonia suis locis proferemus.

*Tert. lib. de corona militis.*

Duo testimonia hoc loco suffecerint. Primum Tertulliani, qui de Christianis sui æui, postquam alias quasdam traditiones recensuerat,

ad

*ad omnem*, inquit, *progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacunq; nos conuersatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.* Quibus verbis hæc subiicit: *Harum & aliarum huiusmodi disciplinarum, si legem expostules scripturarum, nullam inuenies, traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix.*

*De hoc Tertulliani loco, vide quæ diximus in animaduersionibus, in Notas Tertullianeas Iunij cap.1.*

Alterum sit S. Martialis, S. Petri Antiochiam & Romam proficiscentis comitis, qui Christo postremùm cum discipulis cœnanti, inseruiuit cum Cleopha, & vidit suis ipse oculis Iesum comprehendi, vt ipse testatur, cùm ait: *Discipulo suo à quo tradendum se nouerat, dulcedine suæ bonitatis, nobis trementibus & intuentibus sæuitiam eorum, qui eum comprehendere venerunt, osculum dedit. Qui autem eum tradidit, condiscipulus nobis erat, sed merito auaritiæ suæ plenus iniquitate, qua pretium mundi vendidit, obligatus in nequitia desperationis suæ, &c.* Hic igitur S. Apostolus Galliæ multis verbis & rationibus efficacissimè hortatur nos, non solùm vt crucem Iesu, & beneficia per crucem accepta, sempiterna memoria recolamus, assiduisque laudibus deprędicemus, adeoque vt crux perpetuò nobis in mente & ore versetur, sed etiam signum Crucis ab omnibus teneri, & piè religioseque vsurpari cupit; cuius vsum, quare tantoperè commendet, ipsemet his verbis exponit: *Crux enim Domini armatura vestra est inuicta contra Satanam.*

*S. Mart. epist. ad Tolosanos.*

Reddamus ipsa S. Martialis verba: *Malitiam Diaboli calcate, quia & iam per trophæum Christi deuictus, & per crucem Domini ligatus est: crucem Domini, in quem credidistis, Deum verum & Dei filium semper in mente, in ore, in signo tenete. Crux enim Domini armatura vestra est inuicta contra Satanam, galea custodiens caput, lorica protegens pectus, clypeus tela maligni repellens, gladius iniquitatem & Angelicas insidias peruersæ potestatis sibi propinquare nullo modo sinens, hoc solo signo cœlestis victoria data est nobis, & per crucem baptisma Dei sanctificatum est.*

*Martial. epist. ad Burdeg. c. 7. & 8.*

Hæretici his auctoritatibus pressi, ad consueta sibi diuerticula, sese recipiunt. Quod ad S. Basilium attinet, Kemnitius ait: *Ea quæ Basilius commemorat; non esse dogmata fidei aut morum, sed tantùm ritus quosdam liberos, vt signare se signo Crucis, adorare ad Orientem, benedicere aquam.* Sed si signum Crucis adiaphorum & liberum quiddam est, qui fit, tam raros esse Prædicantes, qui se, suos & sua cruce consignent? Cur si non ad omnem progressum & promotum, more veterum Christianorum, saltem non ad aliquem progressum & promotum, crucis signaculum fronti, ori, vel pectori inscribunt? Cur damnant hoc signum? cur illos, qui eo religiosè vtuntur, irrident, explodunt, exsibilantque tanquam superstitiosos? Deinde non quærimus hîc vtrum signum san-

*Kem. in Exam. Concil. Trid.*

ctæ Crucis sit ad salutem simpliciter necessarium, sed potius quàm sit antiquum: Esse autem antiquissimum imò Apostolicum, S. Basilio testificante didicimus; idque nobis contra inimicos crucis satis est.

Tertiò licet vsus crucis ad salutem huic vel illi absolutè non sit necessarius: ad salutem tamen omnibus necessarium est credere, crucis vsum, non modò superstitione vacare, sed & cumprimis salutarem esse, multisque in rebus, ab illarum rerum administris, sine graui scelere omitti non posse; vt à Sacerdotibus in confectione & administratione Sacramentorum; cùm S. Augustinus tradat, sine signo Crucis nulla Sacramenta ritè peragi: *Quod signum*, inquit S. Augustinus, *nisi adhibeatur siue frontibus credentium, siue ipsi aquæ ex qua regenerantur, siue oleo, quo Chrismate vnguntur, siue sacrificio, quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur.* Quomodo igitur signum Crucis liberum est & adiaphoron?

*Aug. tract. 118. in Ioan.*

Brentius impudentius respondet, hanc Basilij sententiam esse ex næuis & erroribus Basilij, qui potius tegendi sint quàm detegendi, nosque vocat *porcos & imitatores Cham, qui Patrum turpitudines reuelemus*: tandemque traditiones de signo crucis, & aqua benedicta, quas S. Basilius, tanquam Apostolicas commemorat, ipse *pædagogicas* appellat, intolerandumque putat, quòd S. Basilius scripserit, *eandem vim cum Scriptura sacra ad pietatem traditionibus inesse.* Sed nihil est in Basilio, quod tegendum sit, vt rectè iam dudum Hosius Cardinalis Brentio respondit. Si omnia illa tegenda essent, quæ Brentio & hæreticis in S. Basilio displicent, non modò pauculas sententias, sed & quidquid sanctus pater de vita & Regulis Monachorum literis prodidit, obducto velo, occultare deberemus; cùm sectariis istis vita monastica multò magis displiceat, quàm signaculum S. Crucis. Quàm verè autem S. Basilius traditiones cum scriptura compararit, non est nostri instituti hoc loco ostendere, lector videat, quæ super hac re tum Hosius, tum Cardinalis Bellarminus contra Brentij impudentiam disputauit.

*Brent. in Prolegom.*

*Hos. lib. 4. contra Prolegom. Brentij.*

*Hosius loc. cit. Bellarm. lib. 4. de Verbo Dei, cap. 7.*

Alius quidam ex numero prædicantium ait: *Ista omnia non esse Basilij sed inserta libro Basilij ab aliquo nebulone.* Quo sanè responso, quidquid controuersiarum de vllo auctoris sensu exstiterit, facilè terminabitur. Verùm vt non tantùm affirmet, sed & probare videatur, adducit testimonium Erasmi, cuius sagacissimus nasus, nescio quam styli diuersitatem in his capitibus à superioribus sibi odorari visus est. Ceterùm tam sagax non fuit B. Ioannes Damascenus, licet Erasmo in Theologicis quæstionibus longè acutior, & in Basilij lectione tritior. Nam supradicta Basilij verba, tanquam à Basilio scripta, recitat, hæreticisque imperterrito animo opponit.

*Herman. Hamelman. lib. de tradit.*

*Damasc. orat. 1. de Imagin.*

Ait

Ait tandem Brentius; *concedamus, quod Apostoli tradiderint talem Crucis effictionem, num dicemus igitur, hanc traditionem idem robur habere, quod habet vel Baptismus, vel cœna Dominica?* Hoc neque dixit S. Basilius, neque nos id affirmamus: sed hoc cum D. Basilio, aliisque patribus affirmamus; traditiones, si diuinam quidem & infallibilem illarum auctoritatem spectemus, æquè in pretio & honore habendas; ac ipsam Scripturam sacram, vtpotè, quæ ab vno eodemque fonte manent; itemque Baptismo & Eucharistiæ Crucis signum adhibendum; idemque signum vbique ex Apostolica traditione à fidelibus vsurpandum esse. Hoc qui asserit, is signum S. Crucis, neque Baptismi, neque Eucharistiæ Sacramento æquat.

Centuriatores, ne asymboli veniant, mentiuntur signum Crucis à Tertulliano in Ecclesiam introductum. Quo nihil absurdius fingi poterat. Nam Tertullianus ipsemet dicit: signum Crucis traditione ad sua tempora peruenisse. Quomodo igitur Tertullianus signum hoc in Ecclesiam introduxit? nisi fortè idem alias itidem consuetudines, quarum ibidem meminit, in Ecclesiam introduxerit, vt, *ante baptismum abrenunciare diabolo, & pompæ, & Angelis eius, ter immergi, lactis & mellis concordiam prægustare; Eucharistiæ Sacramentum etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum, quàm præsidentium manu, sumere: oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facere: die dominico non ieiunare, nec de geniculis adorare.* Si has & similes consuetudines Tertullianus in Ecclesiam non inuexit, cur morem cruce se signandi, quem cum iisdem recenset, in Ecclesiam introduxisse fingitur, ipsomet disertissimis verbis figmentum hoc coarguente; vt taceam antiquiores Tertulliano signi Crucis meminisse, de quorum numero est Dionysius Areopagita, Martialis, Clemens Romanus, Ignatius, Iustinus, & alij.

*Cent. 3. cap. 10.*

*Tertull. lib. de corona militis.*

Impudentius adhuc commentum est, cùm scribunt Centuriatores, *Tertullianum à Montano & Montanistis edoctum, crucis signaculum Ecclesiis obtrusisse.* Ipsemet enim Tertullianus, testatur se & alios Christianos, signum hoc non à Montano, sed ex traditione, cuius origo nesciatur, accepisse, acceptumque vsurpasse. Sed quid nos Centuriatores refellimus, cùm ipsi se ipsos pulcherrimè refellant? Dicunt enim; *Quarto seculo crucis vsum fuisse nouum*; Si nouus fuit seculo quarto, quomodo à Tertulliano in Ecclesiam fuit inductus seculo secundo, vel initio tertij, vt alibi tradunt? Mendacium item est, Tertullianum fateri signum Crucis, & alias supra recitatas consuetudines neque in Scriptura, neque ab Apostolis institutas esse; Falsum dicere Centuriatores ostendit ipse Tertullianus, hoc ipso quod morem Cruce sese consignandi (vt de hoc tantùm loquar) ad traditionem refert, cuius origo nescia-

*Cent. 4 cap. 6.*

tur; huiusmodi enim traditiones ad Apostolos referendas esse, iam suprà ex D. Augustino audiuimus.

Concludimus igitur signum Crucis ex Apostolica traditione, perpetuo Ecclesiæ vsu, ad nostra vsque secula perdurasse, duraturumque vsque ad finem mundi, licet Crucis inimici fremant. Sed Crux, quæ Diabolum, hostem infensissimum & potentissimum, vicit, facilè etiam hos minutiores aduersarios conteret. Nec abs re, sub ipsa nascentis Ecclesiæ primordia, hoc vitæ & salutis nostræ monumentum passim in vsu esse cœpit; Cùm enim inimici Crucis Christi quotidie augescerent, qui Crucem perditum & oppressum irent, vt ex Apostolo Paulo, Apostolorumq; discipulo Ignatio apparet, Apostoli & Christiani contra improborum impetum nitentes, Crucem quoquo modo poterant illustrare & extollere cœperunt, id quod potissimùm crebra Crucis formatione & consignatione; Crucis item imaginibus pingendis & fabricandis præstiterunt; insigni totius Christianitatis emolumento, vt proinde satis appareat, quo spiritu ducti Centuriatores scripserint; seculo quarto formationem Crucis paulatim in superstitionem degenerasse, *vt existimarent simpliciores, magnam vim in huiusmodi signatione sitam esse.*

*Ad Philip. 3. Ignat. passim in suis epist. deplorat crucis inimicos.*

## CAPVT VIII.

*Quibus figuris Crucis signaculum sit præfiguratum.*

RAETER figuras sanctissimæ Crucis, quas libro primo attulimus, quæ etiam ad signum Crucis accommodari possunt; supersunt aliæ, quæ propria quadam ratione ad signum Crucis pertinent. Prima est, sanguis Agni paschalis postibus ædium, in quibus habitabant Iudæi in Aegypto, illitus, vt distinguerentur ab Aegyptiis; ne quid damni acciperent ab Angelo ostiatim transeunte, & primogenita Aegyptiorum trucidante: *Sument*, inquit Dominus ad Moysen, *de sanguine Agni, ac ponent super vtrumque postem, & in superliminaribus domorum.* Infrà: *Erit autem vobis sanguis in signum in ædibus, in quibus eritis, & videbo sanguinem, & transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Ægypti. Apertius*, inquit sanctus Augustinus, *Christi passio in illo populo figurata est, cùm iussi sunt ouem occidere & manducare, & de sanguine eius postes suos signare; & hoc concelebrare omni anno, & appellare Pascha Domini, manifestissimè quippe Propheta de Domino Iesu Christo dicit; Quia tanquam ouis ad immolandum ductus est: cuius Passionis & Crucis signo, in fronte hodie tanquam in poste signandus es, omnesq́ Christiani signantur.* Alibi idem S. Augustinus: *Limina domorum oblita fuisse sanguine, vt figura Dominicæ Passionis fronte signetur.*

*Exod. 12.*

*Aug. lib. de catechiz. rudibus cap 20.*

*Isaia cap. 53.*

*S. Aug. libro 5. gent. & Sentent. sent. 11.*

Pulchrè



Pulchrè de hac figura signaculi Crucis Lactantius: *Extendit in passione manus suas,* inquit de Christo Lactantius, *orbemq́ dimensus est; vt iam tunc ostenderet, ab ortu solis vsque ad occasum, magnum populum ex omnibus linguis & tribubus congregatum sub alas suas esse venturum, signumqúe illud maximum, atq; sublime frontibus suis suscepturum. Cuius rei figuram Iudæi, etiam nunc exhibent, cùm limina sua de cruore Agni notant. Deus enim percussurus Ægyptios, vt ab ea plaga immunes faceret Hebræos, præceperat his, vt Agnum candidum sine macula immolarent, ac signum liminibus suis de sanguine eius imponerent. Itaque cùm Ægyptiorum primogeniti vna nocte interissent, Hebræi solo signo sanguinis tuti fuerunt; non quia cruor pecudis tantam in se vim gerebat, vt hominibus saluti esset, sed imago fuerat rerum futurarum. Nam Agnus candidus sine macula Christus fuit, id est, innocens, & iustus, & sanctus, qui ab iisdem Iudæis immolatus saluti est omnibus, qui signum sanguinis, id est, crucis, qua sanguinem fudit, in sua fronte conscripserint. Frons enim summum limen est hominis, & lignum sanguine delibutum, crucis significatio est.* Lactant. lib. 4. Instit. cap. 26.

Altera figura signaculi Crucis, est Tau illud apud Ezechielem: *Transi,* inquit Dominus, *per mediam ciuitatem in medio Hierusalem, & signa Tau super frontes virorum gementium & dolentium, &c. Et dixit; Transite per mediam ciuitatem, & percutite, non parcat oculus vester, &c. Omnem autem super quem videritis Tau, ne occidatis.* De quo ita Tertullianus: *Ipsa est litera Græcorum Tau, nostra autem T species Crucis, quam portendebat futuram in frontibus nostris apud veram & Catholicam Hierusalem.* Isidorus: *Intelligere nos oportet hanc sententiam; Tau quippe litera speciem Crucis demonstrat, cuius signaculo prænotati sunt quicunque ab exitu huius seculi liberantur.* Ezech. 9. Tert. lib. 3. contra Marcion. Isid. libr. de Vocat. Gent. c. 25.

Apud auctorem illum, qui in operibus S. Augustini extat, ait Synagoga ad Ecclesiam: *Vellem addiscere, vbi signum frontis acceperis; Et quis Propheta signum istud, quod dicis, hoc est, signum frontis signaculo sanctificationis inciderit. Ecclesia dixit: Habes Ezechielem Prophetam, qui ex præsentia maiestatis exclamat: Ite & cadite, &c. Omnem autem super quem signum scriptum est in fronte, ne tetigeritis.* Infrà: *Vide ergo signum mihi datum, & insigne Crucis, quam, dimissa te atque derelicta, passio Saluatoris ornauit.* Inter opera August. lib. de altercat. Synag. & Eccles.

D Hieronymus super prædicta Ezechielis verba: *Antiquis,* inquit, *Hebræorum literis Tau Crucis habet similitudinem, quæ in Christianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inscriptione signatur.* Alibi: *Tunc signum,* inquit, *iuxta Ezechielis vocem, figebatur in fronte, nunc portantes Crucem dicimus: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Alibi idem S. Hieronymus plures signi Crucis figuras accumulat: *Venient,* inquit, *omnes, vt videant gloriam Dei, & ponet in eis signum, quod in Ezechielis principio, sub Tau litteræ Hebraicæ interpretatione monstratur, quo signo qui fuerit impressus, manus percutientis effugiet, hoc & postes domorum in Ægypto signabantur, quando pereunte Ægypto,* Hier. epist. 128. Idem in cap. 66. Isaiæ.

*Ægypto, solus Israël mansit illæsus. De hoc signo, quod Achaz Rex Iuda nolebat accipere, Isaias Propheta testatur. Propterea dabit Dominus vobis signum. Vnde & Propheta, quod promissum fuerat deprecatur; fac mecum signum in bonum. & alio in loco: Dedisti metuentibus te significationem, vt fugerent à facie arcus: hoc nobis ad patrem adscendens Dominus dereliquit, seu in frontibus nostris posuit, vt liberè diceremus: signatum est super nos lumen vultus tui Domine.*

*Cypr. ad Demetrianum.* Vtramque figuram signi Crucis, explicat etiam S. Cyprianus his verbis: *Euadere eos solos posse* (diem iudicij vltionis) *qui renati, & signo Christi signati fuerint, alio in loco Dominus loquitur, quando Angelos suos mittens dicit, Ite & cadite, &c. Omnem autem super quem signum scriptum est, ne tetigeritis. Quod autem sit hoc signum, & qua in corporis parte positum, manifestat alio in loco Dominus dicens: Transi mediam Hierusalem, & notabis signum super frontes eorum, &c. Et quod ad passionem, & sanguinem Christi pertineat hoc signum, & ille saluus & incolumis reseruetur, quisquis in hoc signo inuenitur, item Dei testimonio comprobatur, dicentis; Et erit sanguis in signum vobis super domos.* Infrà: *Cùm vastari cœperit mundus & percuti, quisquis in sanguine & signo Christi inuentus fuerit, solus euadet.* Huc vsque S. Cyprianus, qui & alio loco eleganter, copioseque figuras has, & alias explicat, ostendens; *quod in passione Crucis, & signo virtus omnis sit, & potestas; quod in hoc signo Crucis salus sit omnibus, qui in frontibus notentur.* Hos enim ipse quasi titulos ponit iis, quæ ibi de cruce affert. *Cypr. lib. 2. testim. aduersus Iudæos cap. 21. & 22.*

*Orig. hom. 8. in diuersos Euan. locos.* Concludat figuram hanc Origenes, qui & ipse illud Tau Ezechielis de signo Crucis interpretatur, cùm ait: *In Ezechiele Propheta cùm omnes, qui missus fuerat Angelus, occidisset, & interfectio cœpisset à Sanctis, illi tantummodo sospites reseruantur, quos Tau littera, hoc est, Crucis pictura signauerat.*

Alia figura signi Crucis fuit Tetragrammaton, quod sacerdos in fronte gerebat. *Facies & laminam de auro purissimo: in qua sculpes opere calatorio sanctum Domino, &c.* Quæ explicans Beda ait: *Significat ipsam professionis nostræ fiduciam, quam in fronte portamus, dicentes singuli cum Apostolo, Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Paulò pòst: *Eò arctius vel Sacramenta nostræ redemptionis, vel imaginem ac similitudinem nostri conditoris ac redemptoris intemeratam seruare contendimus.* *Exod. 28. Beda c. 7. lib. 3. de tabernaculo.*

*Dam. de S. Cassiano.* Petrus Damianus: *Signum salutis in fronte depingitur, vbi Sacerdos summus, in lege, auri laminam in gloriam & decorem ponere videbatur, in qua lamina gloriosum & ineffabile nomen Domini Tetragrammaton videbatur insculptum. Quod nimirum quid aliud quàm crucem videbatur exprimere Saluatoris? Sicut enim crux quatuor habet cornua, ita & nomen illud quatuor literis constat.*

*Gen. 41. Beda in 41. Genes.* Adhæc figuram huius sacri signi præfert signatorius annulus Iosephi, quem Rex *dedit in manu eius. Vertitq́; nomen eius, & vocauit eum lingua Ægyptiaca Saluatorem mundi.* Nam Iesus *accepit quoque annulum,* ait Beda,

quo

*quo credentium salutis signo signantur animæ, & in frontibus & cordibus nostris per figuram Crucis figura æterni regis exprimitur.* S. Chrysostomus: *Signaculum crux appellata est, quod testamenta & statuta diuina omnia, quæ accepimus, hoc, quasi signo quodam regio & annulo obsignamus.* *Chrys. hom de Venerat. cruc.*

Denique aliam figuram insinuat Petrus Damianus: *Raab coccineum funiculum sanguinei videlicet coloris in fenestra propriæ domus appendit. Et sancta Ecclesia in fenestra suæ domus quodammodo ruborem sanguinis ponit, dum & passionem Christi publicè confitetur in voce, & signum Crucis palam portat in fronte. Vnde benè sponsus ad sponsam dicit, Sicut vitta coccinea labia tua.* Quod dictum eleganter ad signum Crucis refert Beda, sicut & hoc quod in Canticis sequitur: *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ. Per genas verecundiam designari*, ait Beda: *quia nimirum has erubescentibus nobis, solet subitus rubor perfundere. Malum autem punicum, quia rosei coloris est, passionis Dominicæ mysterium, sicut & coccineum non inconuenienter insinuat. Quia ergo sancta Ecclesia non erubescit crucem Christi, sed & ipsa gaudet in contumeliis ac passionibus pro Christo, vexillumq; crucis ipsius gestare solet in facie, meritò genas instar mali punici habere memoratur.* *Damian. ferm. de S. Anthimo Martyre.* *Cant. 4.* *Beda li. 3. expos. in Cant. cap. 4.*

## CAPVT IX.

### *Oracula de signo Crucis.*

NON desunt sacra oracula, quibus vsum signi crucis Deus per Prophetas prænunciatum & commendatum esse voluit. Ex Propheta Dauid hæc pono. *Psalm. 4.*

PRIMO. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Hoc ad Crucis signum refert S. Gregorius Nyssenus, & S. Hieronymus: *Hoc nobis ad Patrem ascendens Dominus dereliquit, seu in frontibus nostris posuit, vt liberè diceremus, Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* *Nyss. lib. contra Iudæos cap. de consignando.* *Hier. in cap. 66. Isaia.*

SECVNDO. *Impinguasti in oleo caput.* S. Cyrillus Hierosolymitanus locum hunc ad signaculum crucis accommodat: *Impinguauit caput tuum in fronte per signaculum Dei.* *Psalm 22.* *Cyrill. catech. mystag. 4.*

TERTIO. *Dedisti metuentibus te insigne, seu significationem, vt fugiant à facie arcus.* Quod de signo Crucis interpretantur SS. Gregorius Nyssenus & Hieronymus. *Psalm. 59.* *Nyss. & Hier. loc. cit.*

QVARTO. *Fac mecum signum in bono, vt videant qui oderunt me, & confundantur; quoniam tu Domine adiuuisti & consolatus es me.* Quem locum S. Gregorius Nyssenus & S. Hieronymus de signo Crucis explicant. Arnobius: *Habebimus signum Crucis eius in bono, ita vt videant in frontibus nostris signum tuum, & confundantur, siue visibiles, siue inuisibiles inimici. In ipso enim signo adiuuas, & in ipso consolaris nos.* *Psalm. 85.* *Nyss. & Hier. loc. cit.* *Arnob. in Psal. 85.*

Psal. 143. QVINTO. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* De signo Crucis hæc intelligenda docet

Arnob. in Psal. 143. eleganter Arnobius: *Docuit digitos nostros ad bellum, vt dum bellum, siue visibilium, siue inuisibilium senserimus hostium, nos digitis armemus frontem triumpho Crucis.* Hæc ex B. Dauide. Ex Salomone hæc duo accipe.

Cant. 2. Ambr. de Isaac cap. 4. PRIMVM. *Ostende mihi faciem tuam.* Quem locum explicans S. Ambrosius, ait: *Hortatur ad confidentiam, vt non erubescat crucem Christi, nec eius signaculum: hortatur ad confessionem.*

Cant. 8. Philo in Cant. SECVNDVM. *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum.* Hoc pro signo Crucis interpretatur dictum Philo Carpathiorum Episcopus, qui ait: *Sigillum & signum Crucis in corde ipsius sponsæ primùm ponendum dicit, deinde & in brachio; vt illuminati atq; redempti quæcunque bona patrari possunt, ea per vires Spiritus sancti honestissimè agamus verbo & exemplo optima quæq; perficientes.*

Ambros. lib. de Isaac, cap. 8. S. Ambrosius reddens causam, quare Christiani signo Crucis pectus, & brachia soleant consignare, hunc ipsum locum ex Canticis adducit, & luculenter explicans, ait: *Signaculum Christus in fronte est, signaculum in corde. In fronte, vt semper confiteamur; in corde, vt semper diligamus; signaculum in brachio, vt semper operemur. Luceat ergo imago eius in confessione nostra, vt luceat in dilectione, luceat in operibus & factis, vt si fieri potest, tota eius species exprimatur in nobis.*

Isaia 66. Ex Isaia Propheta sufficiat hunc vnicum locum adduxisse: *Venio vt congregem cum omnibus gentibus & linguis: & venient, & videbunt gloriam meam. Et ponam in eis signum.* Hoc signum esse ipsum Crucis signum te-

Cyrill. cat. 12. 13. 15. stis est S. Cyrillus Hierosolymitanus, qui hunc Esaiæ locum de signaculo Crucis intelligendum esse disertè fatetur, & quasi paraphrasi verba Christi apud Isaiam reddens, ita introducit Christum loquentem: *Israëlitæ salutem, quæ facta est per me, reiecerunt. Veniam omnes gentes congregare, & relinquam super illos signum. Ex meo enim certamine, quod habui in Cruce, sigillum regale cuilibet meorum militum dabo, vt ferat in fronte.*

## CAPVT X.

### *Veteres Christianos omnibus rebus Crucis signum adhibuisse.*



QVAM fuerit apud veteres frequens vsus signi Crucis, declarant scriptores antiqui dupliciter: Primò dum palam testantur, fidelibus vsitatissimum fuisse Crucis signaculum. Secundò, cùm alios ad frequentem vsum huius si-

Tert. lib. de cor. militis. gni hortantur. Prioris generis est illud Tertulliani: *Quacunque conuersatio nos exercet, frontem Crucis signaculo terimus.* Et illud S. Chrysostomi:

*Vbique*

*Vbique Crux inuenitur apud principes, apud subditos, apud mulieres, apud viros, apud virgines, apud nuptas, apud seruos, apud liberos, & subinde omnes ea se signant, inscribendo in nobilissimum membrum nostrum: In fronte enim nostra, quasi in columna quotidie figuratur.* Chrysost. orat. Quod Christus sit Deus.

Posterioris generis est hoc S. Martialis: *Crucem Domini semper in mente, in ore, in signo tenete.* Et B. Hieronymi ad Eustochium: *Ad omnem actum, ad omnem incessum, manus pingat Crucem.* Et hoc ad Demetriadem: *Claudas cubiculum pectoris, & crebro signaculo Crucis munias frontem tuam, ne exterminator Ægypti in te locum reperiat, sed primogenita, quæ apud Ægyptios pereunt, in tua mente saluentur.* S. Mart. epist. 1. cap. 8. Hier. epist. 22. & 8.

Huc spectat cohortatio illa S. Cyrilli Hierosolymitani: *Fac hoc signum & manducans, & bibens, & sedens, & stans, & loquens, & ambulans. In summa in omni tuo negotio.* Alibi: *In fronte confidenter signaculum Crucis digitis imprimatur, & in aliis omnibus Crux fiat, in panibus comedendis, & in poculis bibendis, & in egressu, & in ingressu, ante somnum recumbendo, & surgendo, eundo & quiescendo. Magna hæc est custodia, quæ propter pauperes gratis datur: sine labore propter infirmos, cùm à Deo sit hæc gratia, signum fidelium, & timor dæmonum. Neque propterea quòd est gratuitum, contemnas hoc signaculum; sed ideo magis venerare benefactorem.* Cyril. 4. catech. Illuminat. Idem catec. 13.

Similia habet S. Chrysostomus: *In penetralibus, & in parietibus, & in fenestris, & in fronte quoque ac mente, magno studio crucem inseramus. Ea enim salutis nostræ, communis libertatis & mansuetudinis, atque humilitatis Christi signum est.* Chrys. hom. 55. in Matth.

Alibi: *Sine verbo hoc nunquam in forum prodeas, sed cùm es ianua vestibula transgressurus hoc prius loquere verbum: Abrenuncio tibi Satana, & coniungor tibi Christe; Nec vnquam absque hac voce exeas. Hæc erit tibi baculus, hæc armatura, hæc turris inexpugnabilis. Cum hoc verbo & crucem in fronte imprime. Sic enim non tantùm homo occurrens, verùm nec ipse Diabolus te quidquam lædere poterit, cum his te cernens armis vbique apparentem. Et hæc te ipsum iam hinc doce, vt cùm signum ceperis, sis miles paratus, & contra Diabolum trophæum erigens, iustitiæ coronam capias. Quid verò diceret aliquis de his, qui carminibus & ligaturis vtuntur, & de circumligantibus aurea Alexandri Macedonis numismata capiti vel pedibus? Dic mihi, hæ ne sunt exspectationes nostræ, vt post crucem & mortem Dominicam in gentilis Regis imagine spem salutis habeamus? Ignoras quanta Crux perfecit? Mortem dissoluit; peccatum exstinxit, orcum inanem reddidit, Diaboli soluit potentiam; & ad corporis sanitatem præstandam non est fide digna? Totum orbem exsuscitauit, & tu in ipsa non confidis? & quid pati dignus non esses?* Hom. 21. ad populũ Antioch.

S. Ambrosius: *Debemus surgentes gratias Christo agere, & omne diei opus in signo facere Saluatoris. Nonne cùm adhuc gentilis esses, solebas signa perquirere, quæ signa quibus rebus essent prospera, magna inquisitione colligere? Iam nunc nolo* Ambr. serm. 43.

*erres in numero: scito, quia in vno signo Christi, omnium rerum est tuta prosperitas: qui in hoc signo seminare cœperit, vitæ fructum consequetur æternæ: qui in hoc signo iter facere aggreditur, ad cœlum vsque perueniet.*

*Aud. lib. 2. de S. Eligio cap. 16.* S. Eligius Episcopus Nouiomensis suos apud Audoënum ita alloquitur: *Memineritis multos vos habere aduersarios, qui cursum vestrum impedire conentur. Idcircò in omni loco, horis omnibus, Crucis signaculo vos armate. Crucis vexillo vos communite. Hoc enim vel maximè illi timent, & expauescunt.* Et paulò pòst: *Siue sedeatis, siue ambuletis, siue comedatis, siue lectum ascendatis, siue à lecto surgatis, semper Christi signum muniat frontem vestram; vt vos semper memoria Dei, & vigilantes protegat, & custodiat dormientes.*

*Gaud. tract. 1. de Lect. Euang.* Gaudentius Brixiensis: *Sit sermo Dei & signum Christi in corde, in ore, in fronte: inter cibos, in lauacris, in cubilibus, & in ingressu, & egressu, in lætitia, in mœrore.* S. Ephræm. *Pingamus*, ait, *in ianuis atque frontibus nostris, & in ore, & in pectore atque in membris omnibus viuificum signum; armemur insuperabili hac Christianorum armatura.*

Infrà: *Hanc, ô Christiane, armaturam diebus singulis ac noctibus, horis atque momentis in omni loco circumferre non desinas, nihilquè sine ipsa perficias, sed siue dormias, siue iter agas, siue euigiles, siue operi insistas, siue manduces, siue bibas, siue maria nauiges, siue transmittas flumina, hac te lorica circum tege, membraque tua omnia salutari signo exorna atque circumsepi, & non accedent ad te mala.* Hæc S. Ephræm.

*1. Cor. 10. Coloss. 3.* Similia alij Patres planè conuenienter Apostolo, cuius est hæc admonitio: *Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Et: *Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi, gratias agentes Deo per ipsum.*

Certè huic præcepto D. Pauli, Christiani diligentius obtemperare non possunt, quam si omnia auspicentur à signo Christi, quod est Crux; addita præsertim inuocatione expressa sanctissimæ Trinitatis, solennibus illis verbis: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Audiamus de hoc S. Ephræm Syrum: *Ephram de panoplia.* *Loco scuti Crucis signo teipsum muni, signans eo membra tua omnia & cor tuum. neque verò sola manu te signes, sed etiam animo; & studia tua, & ingressum tuum, & exitum tuum, & lectulum tuum, & quæcunque pertransis, signa primùm in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Validissima quippe eiusmodi armatura est: nullusque tibi vnquam nocere poterit, si ea munitus fueris. Nam si quis terreni Regis signaculum defert, eum lædere nullus audeat; quanto magis nos, qui tale cœlestis Imperatoris signum ferimus, neminem metuere possumus. Hisce ergo armis, mi frater, affatim vtere: Sunt enim vehementer contraria telis inimici; imò & ipsius gladio, amarissimæ scilicet grauissimæque iracundiæ. Huiusmodi quippe velut anceps gladius, vno momento perimit eum, quem percutit. Sicut scriptum est: Momentum enim furoris, ruina illius. Ideo, mi frater, nun-* *Eccles. 1.*

*quam*

*quam signari negligas, & laqueos destrues, quos tibi tendit diabolus. Scriptum quippe est: In hac via qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi. Hoc igitur te signo assiduè munias, & malum non appropinquabit spiritui tuo.* Psal.139.

Nec mirum, veteres tam crebro vsu triuisse Crucis signum: *Hoc enim cursum nostrum dirigit,* inquit S. Augustinus: *hoc ad agonem nos instruit, hoc in luctamine adiuuat, hoc ad victoriam prouehit, hoc veneficia destruit, & omnia dæmonum machinamenta ad nihilum redigit, & quod faciebat in terris corporis Christi præsentia, hoc facit cum fideli inuocatione nominis Christi, victoriosa Crucis insignita memoria.* Aug. seu quis alius 19. serm. de Sanctis.

Ogganniunt Centuriatores: *Ephram Crucis signationi nimium videtur tribuere.* Quantum cupitis, ô Centuriatores, vt Ephræm Crucis signaculo tribuat? tantum videlicet, quantum vos, hoc est, nihil. Sed cùm Ephręm sit sanctissimus & doctissimus, neque pietas, neque eruditio patietur eum sentire de Crucis signaculo id, quod vobis impietas & cœca ignorantia persuasit. Vultis ne, ô hæretici, vt S. Chrysostomus dicat vobis, quis Ephræm sit, & qui vos sitis? *Vbi Syrus ille Ephram Magnus, obtorpescentium excitator, afflictorum consolator: iuuenum disciplinæ instructor, atque exhortator: Monachorum speculum: Dux pœnitentium: framea ac spiculum aduersus hæreticos: virtutum receptaculum, & Spiritus sancti habitaculum atque diuersorium? Vides, quantum sit interstitium, quantáque differentia illorum beatorum ac sanctorum virorum, ab his qui nunc sunt?* Cent. 4. cap. 4. S. Chrys. serm. contra hæreticos. Edit. Vossij tom. 3. Ephram.

Obseruatione dignum arbitror, tam fuisse apud veteres Crucis vsum frequentem, vt etiam aliud agentes, nihilque omnino cogitantes, crucis signaculum sibi imprimerent, perpetua ad hoc consuetudine inducti. Testis S. Chrysostomus, cùm docere volens, quanta sit vis consuetudinis: *Multi,* inquit, *thermas ingressi, cùm primùm fores transcenderint, signantur; hoc nouit manus vel nullo iubente, & ex consuetudine facere. Rursus accensa lucerna, mente frequenter aliquid aliud operante, manus signum facit.* Alibi: *Consuetudinis vis & in bonis & in malis magna est. ipsa nos trahente, laboris iam non indigebimus. Multi sunt in se signandi consuetudine confirmati, nec iam commonente opus habent; quin & mente frequenter aliò vagante, tanquam à quodam animato præceptore manus sponte trahitur ad signum faciendum.* Chrys. hom. 27. ad Antioch. Chrys. hom. 36. ad Antioch.

## CAPVT XI.

### *Veteres omnium Sacramentorum administrationi Crucis signum adhibuisse.*



OSTENDIMVS generatim, quàm frequeus apud veteres fuerit Crucis vsus. Idem nunc speciatim ostendendum est; & primùm de Sacramentis; quibus omnibus Cruces fuisse adhibitas, testatur inprimis S. Cyprianus, qui ideo signum Cypr. de pass. Christi.

ſignum Crucis vocat SIGNVM SACRAMENTI. *Solum*, inquit, *Sacramenti ſignum repellit dæmonia*. Subiungit: *Quicunque ſint Sacramentorum miniſtri; qualeſcunque ſint manus, quæ vel mergunt accedentes ad baptiſmum, vel vngunt; qualecunque pectus, de quo ſacra exeunt verba: operationis auctoritas in figura Crucis omnibus Sacramentis largitur effectum.* Alibi: *In Cruce Domini gloriamur, vnius virtus omnia peragit Sacramenta: ſine qua nihil eſt ſanctum; neque aliqua conſecratio meretur effectum. Hinc omnium ſanctificationum exurgit ſublimitas & profundum, & longè latéque plenitudo diffunditur gratiarum.*

*Cypr. de baptiſmo Chriſti.*

*Aug. tract. 118. in Ioan.*

Tradit quoque S. Auguſtinus, *nihil eorum*, quæ ad Sacramenta pertinent, *ritè perfici, niſi adhibeatur ſignum Crucis.* Quæ ſententiæ quomodo intelligendæ, poſtea explicamus. Nos hîc teſtimonia accumulamus, quæ probent in genere omnibus Sacramentis crucem adhibitam. *Omnia*, inquit S. Chryſoſtomus, *quæ ad ſalutem noſtram conducunt, per Crucem conſummantur.* Auctor ſermonis de expoſitione Symboli: *Hoc Crucis ſigno conſecratur corpus Dominicū, ſanctificatur fons baptiſmatis, initiantur etiam presbyteri, & ceteri gradus Eccleſiaſtici, & omnia quæcunque ſanctificantur, hoc ſigno Dominicæ crucis cum inuocatione Chriſti nominis conſecrantur.*

*Chryſ. hom. 55. in Matth.*

*Apud Auguſt. ſermon. 181. de temp.*

*Chryſ. homil. de generat. crucis.*

S. Chryſoſtomus: *Signaculum Crux appellata eſt, quod teſtamenta & ſtatuta diuina omnia, quæ accepimus, hoc quaſi ſigno quodam regio & annulo obſignamus, nec quicquam mali iam audet accedere. Si præfecturam alicui de populo mandemus, eumq; ad Sacerdotij dignitatem prouehamus, hac obſignamus, quaſi firmo certóque in loco donum quod donatum eſt includamus. Sic etiam in Sacrificiis ſumitur. Chriſti enim Crux gladius eſt & lignum, quo interfoctus eſt à Dei interfectoribus Chriſtus, & diaboli opera deleuit, &c. Ob eamq; cauſam in Sacrificiis ſumitur quaſi gladius quidam & flagrum regium, quod omnem Diaboli impetum fundit. Hinc diuini Pontifices, quaſi ſtipatores quidam regio flagro propoſito, eo omnem hoſtium exercitum fundunt & fugant, cùm diuina regiáque munera iis qui initiantur, tribuuntur.* S. Auguſtinus: *Per crucem Chriſti in celebratione Sacramentorum eius bonum nobis omne ſignatur.*

*Aug. tract. 118. in Ioan.*

Hæc & ſimilia teſtimonia probant vniuerſim vſum Crucis in omnibus Sacramentis; ſed in ſequentibus capitibus ſigillatim & diſtinctè de ſingulis demonſtrabimus: quibus hunc locum præmittimus: *Crucifixus noſter à mortuis reſurrexit, & cælos aſcendit, crucem nobis in memoriam ſuæ paſſionis reliquit, crucem reliquit ad ſanitatem. Hoc ſignum præſidium eſt amicis, obſtaculum eſt inimicis. Huius crucis myſterio rudes catechizantur: eodem myſterio fons regenerationis conſecratur: eiuſdem crucis ſigno per manus impoſitionem baptizati dona gratiarum accipiunt. Cum eiuſdem charactere baſilicæ dedicantur, altaria conſecrantur, altaris Sacramenta cum interpoſitione dominicorum verborum conficiuntur: ſacerdotes & leuitæ per hoc idem ad ſacros ordines promouentur. Et vniuerſaliter omnia Eccleſiaſtica Sacramēta in huius virtute perficiuntur.*

*Auctor ſermon. 19 de Sanctis, apud Auguſt. tom. 10.*

*tur. Qui hoc mare magnum & spatiosum, in quo sunt reptilia, quorum non est numerus, absque naufragio transire desiderat, crucem sequatur, crucem teneat, & eam non deserat, donec ad optatum salutis portum perueniat. Hoc cursum nostrum dirigit, hoc ad agonem nos instruit, hoc in luctamine adiuuat, hoc ad victoriam prouehit, hoc ad coronam peruehit, hoc maleficia destruit, & omnia dæmonum machinamenta ad nihilum redigit. Et quod faciebat in terris corporis Christi præsentia, hoc facit cum fideli inuocatione nominis Christi victoriosæ crucis insignita memoria. Longum est per singula virtutem Crucis exponere.*

## CAPVT XII.

### *Ante baptisma catechumeni cruce signati.*



ANTE Baptisma, cum respectu tamen ad illud, catechumeni cruce signabantur, & quasi dedicabantur. Docet id S. Augustinus ita catechumenos alloquens: *Accipite vos, qui fidem desideratis, verbum Dei, tanquam competentem cibum, ex quo vobis Dominus operetur incrementum. Nondum enim adhuc per sacrum Baptisma renati estis, sed per Crucis signum in vtero sanctæ matris Ecclesiæ concepti estis.* Ad eundem morem alludit cum de se iuuene, inter catechumenos profitente: *Signabar,* inquit, *iam signo Crucis eius, & condiebar eius sale iam inde ab vtero matris meæ.* S. Basilius: *Consecramus ipsum, qui Baptismum accipit.* Cruce videlicet. Sæpius autem signabantur catechumeni; singulis videlicet scrutiniis. Hinc S. Augustinus catechumenum prima die instruendum ita alloquitur: *Cuius passionis & crucis signo in fronte hodie tanquam in poste signandus es, omnesq; Christiani signantur.*

*August. libr. de symb. ad catechum.*

*Aug. 1. confess. cap. 11.*

*Basil. libro de Spiritu sancto, cap. 27.*

*August. de catechiz. rudib. cap. 20.*

In consignatione verò hic ordo obseruabatur, vt primò fidei capita, eaque, quæ Christiani officium exigit, proponerentur: *His dictis* ait S. Augustinus, *interrogandus est, an hæc credat, atque obseruare desideret. Quod cùm responderit solenniter, vtique signandus est, & Ecclesiæ more tractandus.* Hoc solenne responsum catechumenos solenni verbo, CREDO, edidisse, seq; ex eo tempore, more Christianorum, cruce signasse, hacque consignatione Christum professos esse, testis est S. Gregorius: *Postquā gustauerit medicinam salis, & ipse se signauerit, benedices eum.*

*August. de catechiz. rudib. cap. 26.*

*Greg. lib. de Sacrament.*

S. Augustinus: *Catechumeni iam credunt in Christum, sed Iesus non se credit eis. Intendat & intelligat charitas vestra; Si dixerimus catechumeno, Credis in Christum? Respondet,* CREDO; *& signat se Cruce Christi. Portat in fronte, & non erubescit de Cruce Domini sui. Ecce credit in nomine eius. Interrogemus eum, Manducas carnem filij hominis, & bibis sanguinem filij hominis? Nescit quid dicimus: quia Iesus non se credidit ei.* Romæ, *mos seruatur antiquus,* inquit Rufinus Aquileiensis Presbyter, *eos qui gratiam Baptismi suscepturi sunt, publicè, id est,*

*Aug. tractat. 11. in Ioan. & Ambros. li. 1. de Sacramentis c. 7.*

*Rufin. expos. in Symb. Apost.*

*est, fidelium populo audiente, Symbolum reddere.* Ad quam fidei professionem catechumenos semet signasse, docet idem auctor: *Huius carnis resurrectionem; huius sine dubio, quam is qui profitetur, signaculo Crucis fronti imposito, contingit.*

*Rufin. ibidem.*

Vnctio quoque, qua vngebantur catechumeni ante Baptismum, non fiebat sine crucis signaculo. S. Dionysius: ὁ δὲ τῆς χρίσεως διὰ τοῦ σφραγίσεως τρεῖς ἀπαρξάμενος, τὸ λοιπὸν τοῖς ἱερεῦσι τὸν ἄνδρα χρίειν πανσώμως παραδοὺς, αὐτὸς ἐπὶ τὴν μητέρα τῆς υἱοθεσίας ἔρχεται. *Ille verò* (Pontifex) *vnctionem per triplicem Crucis consignationem incipiens, de cetero sacerdotibus virum toto corpore perungendum tradit: ipse verò ad matrem adoptionis,* hoc est, ad Baptisterium, *sese confert.* Ex quo patet, vt hoc obiter annotemus, olim totum catechumeni corpus perungi moris fuisse, qui mos iam desiit. In qua quidem vnctione solennia hæc verba (SIGNACVLVM DONI SPIRITVS SANCTI) vsurpata fuisse, ad præcipuorum membrorum consignationem, discimus ex Synodo Constantinopolitana sub Theodosio Magno celebrata; vbi hæc; *Signatos siue vnctos primùm sancto chrismate, & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures; & eos signantes dicimus, Signaculum doni Spiritus sancti.*

*Dion. de Eccles. Hierarch. Vide Alcuin. epistol. ad Odinum de baptismi cærem. & lib. de diu. offic. ca. 19. & Rabanū lib. de instit. Clericorum.*

*Syn. Constant. can. 7.*

S. Gregorius Magnus: *Sabbato die, mane, reddentes Symbolum & orationem Dominicam, prius catechizes eos, imposita manu super capita eorum his verbis. Nec te, &c. Inde tangas ei nares & aures de sputo & dicas ad aurem, Ephpheta. Postea verò de oleo sancto facies crucem inter scapulas dicendo: Fuge immunde spiritus, da honorem Deo viuo & vero. Similiter in pectore crucem faciens, dic: Exi immunde spiritus, da locum Spiritui sancto.*

*Greg. lib. de Sacrament.*

Denique tunc etiam, cùm catechumenis manus imponebantur, Cruce signati fuisse videntur. Hinc S. Augustinus signum Crucis, & manus impositionem coniungit: *Catechumenos,* inquit, *secundum quendam modum suum per signum Christi, & orationem manus impositionis puto sanctificari.* Alibi rationem reddens cur catechumeni in fronte signentur. *Quod non in alio membro, sed in fronte percussus est* Goliath, *hoc significat, quod modò in nostris Competentibus exercetur: quia quando catechumenus in fronte signatur, spiritalis Goliath percutitur & diabolus effugatur.*

*Aug. 2. de pecc. merit. & remiss. cap. 26.*

*Aug. serm. 197. de temp.*

Ratione signi Crucis pertinebant aliquo modo catechumeni ad numerum fidelium, licet aliquando Baptismi susceptionem diu differrent. *Quod signum Crucis,* ait S. Augustinus, *habent in fronte catechumeni, iam de domo magna sunt: sed fiant ex seruis filij.* Hinc ait S. Paulinus, S. Martinum ad Christianam legem transisse decimo anno, quo catechumenus esse cœpit Cruce consignatus:

*Vix etenim decimo senior iam moribus anno*
*Transiit ad sacram constanti pectore legem.*

*Aug. tract. 11. in Ioan.*

*Paul. lib. 1. Vita S. Martini.*

*Signa-*

*Signauitq; crucis sanctam munimine frontem.*

Qui tamen baptizatus est primùm cùm esset annorum duodeuiginti teste S.Paulino ibidem & Sulpitio. S.Ambrosius: *Credit etiam catechumenus in crucem Domini Iesu,quia & ipse signatur.* Aimoinus.Cùm Dagoberti Regis filium *S.Amandus Traiectensium Episcopus,iuxta morem fidelium,præsignaret,assistente genitore,pariterq; Ariberto Aquitaniæ Rege,finita oratione,& nullo è tanta exercitus multitudine, Amen respondente,aperuit Dominus os pueri,qui non plus quàm XXX. à natiuitate expleuerat dies,ac audientibus cunctis respondit, Amen. Statim igitur S.Antistes eum regenerauit.*

*Sulpit.lib.Vita S.Mart.cap.2. S Ambros.libr. de iis qui myst. init.cap.4. Aimoin.lib.4. de gest.Franc. cap.20.*

Si quis solennia verba desiderat in consignatione crucis ante baptismum,habet ea apud S.Gregorium Magnum:*Cùm ad exorcizandum ducitur, primò à sacerdote exsuffletur in faciem eius, vt fugato diabolo, Christo Deo nostro pateat introitus. Et tunc in fronte crux Christi agatur, dicendo: Signum crucis Domini nostri Iesu Christi in frontem tuam pono. Et in pectore similiter dicendo: Signum S.Crucis Domini nostri Iesu Christi in pectus tuum pono.* Ibidem: *Accipe signum Crucis tam in fronte quàm in corde.* Ibidem: *Per hoc signum S.Crucis frontibus eorum,quod nos damus,tu maledicte diabole nunquam audeas violare.*

*Gregor.lib.Sacramentorum.*

Seuerus Patriarcha Alexandrinus de more catechumenos signandi:*Signat in fronte tribus crucibus absque oleo,& ait,Signatur talis in nomine Patris, Amen, & Filij, Amen, & Spiritus sancti,&c.* Item in manuum impositione, & exorcismis, & cùm oleo catechumenorum vngerentur, signum Crucis fuisse adhibitum, eodem loco copiosè ostenditur.

*Seu.lib.de ritibus Baptismi. extat tom.6. Biblioth.PP. Eadem in Ordine Baptismi secũdum vsum Aethiopum.*

## CAPVT XIII.

### *Aqua baptismi Crucis signo benedicta.*



FORMA *Baptismatis & vsus hoc habet,* inquit S. Ambrosius, *vt antè fons consecretur, & tunc descendat, qui baptizandus est. Nam vbi primùm ingreditur sacerdos, exorcismum facit: secundò, super creaturam aquæ inuocationem: postea & precem defert, vt sanctificetur fons.* Nihil horum sine Crucis signo fuit peractum. Baptismi aquam ex Apostolica traditione signo Crucis consueuisse consecrari, affirmat S.Basilius. *Signo Crucis,* inquit S.Augustinus,*consecratur vnda Baptismatis.Quod signum,*vt idem sanctissimus Præsul auctor est,*nisi adhibeatur frontibus credentium, siue ipsi aquæ, qua regenerantur, siue oleo quo chrismate vnguntur, siue sacrificio, quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur. Ritè,* ait,hoc est,*cum debito ritu & cæremonia,licitè,& decenter.* Nam validè quauis in aqua Baptismus confertur. Et in hunc sensum interpretanda sunt aliorum itidem Patrum dicta, vt illud S. Cypriani capite superiore adductum; & hoc Stephani Pontificis: *Nunquid non omnia sacerdo-*

*Ambr. lib.1. de Sacram.cap.5. Basil.libro de Spiritu sancto, cap.27. Aug.lib.6.contra Iul.cap.8. & tract.118.in Ioan.*

*De consecr. d.5. C.Nunquid. Amb lib.de his qui myst.init. August.lib.50. hom.27.*

*talis mysterij charismata, Crucis figura perficiuntur? Nunquid Baptismatis vnda, nisi Cruce sanctificata, peccata relaxantur?* Et illud S. Ambrosij: *Quid enim est aqua sine Cruce Christi? Elementum commune, sine vllo Sacramenti effectu.* Hoc quoq; S. Augustini: *Baptismus, id est, salutis aqua, non est salutis, nisi in Christi nomine consecrata, qui pro nobis sanguinem fudit, Cruce ipsius aqua signetur.* Peccat enim qui nulla necessitate coactus, baptizat aqua non consecrata per Crucis signaculum. Peccat & ille, qui sciens & ratione vtens, tali vnda se patitur tingi. Peccant & illi, qui infantem aqua non consecrata baptizari sinunt, vel iubent, nisi dilationem Baptismatis vitæ periculum dissuaderet.

*Dion.de Eccles. Hierarch. Gregor.lib. Sacram. de feria VI.magna hebdomada.*

Hanc fontis salutiferi consecrationem factam esse oleo ter Crucis in modum in aquam immisso, testatur S. Dionysius Areopagita: *Ipse Antistes aquas sancta prece ac inuocatione sanctificans, in eam speciem Crucis sanctissima fundit vnguentum.* S. Gregorius Magnus: *Accipiens vas aureum cum chrismate, fundit chrisma in fonte in modum Crucis.* Priusquam tamen chrisma infunderetur, solebant signo Crucis aquas consignare, imò etiam sulcare manu in Crucis figuram, teste S. Gregorio: *Manu diuidit aquam in modum Crucis.*

*Extat tom. 6. Bibl SS.PP.*

In ordine Baptismi secundum vsum Aethiopum hæc legimus: *Æthiopes in benedictione fontis Baptismalis adhibent Crucem materialem, qua Crucis signum efformant, sulcando aquas in figura Crucis.* Ibidem: *Accipit postmodum Crucem; & ter ea aquam sulcat in modum Crucis, ter clamans,* SANCTVS, SANCTVS, SANCTVS, PATER, ET FILIVS, ET SPIRITVS SANCTVS, NVNC, ET SEMPER, ET IN SECVLA SECVLORVM.

*Ambros. lib. de initian. ca.3. & lib.2. de Sacramentis cap.4.*

S. Ambrosius super aquas efformationem Crucis eleganter comparat cum ligno in aquas Marath proiecto: *Marath amarissimus erat; misit in eum Moyses lignum, & dulcis factus est. Aqua enim sine prædicatione Dominicæ Crucis ad nullos vsus futura salutis est. Cùm verò salutaris fuerit Crucis mysterio consecrata, tunc ad vsum spiritalis lauacri & salutaris poculi temperatur.*

*Aug. de temp. serm.119.*

Mysterium propter quod Baptismi aqua Cruce signatur, explicat S. Augustinus: *Si Crucem vides, attende & cruorem. Si vides, quod pendet, attende quod fudit. Lancea perforatum est latus Christi, & manauit pretium nostrum. Ideo signo Christi signatur Baptismus, id est, aqua, vbi tingimini.* Huc alludit Muritta Diaconus, qui, cùm esset in tormētis, Helpidiphorum Arrianum apostatam, quemq; ipse è Baptismi fonte susceperat, admonet, dicens fore, vt Christus Helpidiphorum in iudicio ita alloquatur:

*Victor. li.3 persecut. Vandal.*

*Tendiculas Crucis, quas extendens, aquam mundaui, & purpura mei sanguinis decoraui, non conspiciunt oculi mei.*

Alcui-

Alcuinus: *Signo Crucis sanctificatur fons Baptismatis, & omnia quæcunq; sanctificantur, hoc signo Dominicæ Crucis cum inuocatione Christi nominis consecrantur.* *Alcuin. de diu. off. cap. 18.*

Seuerus Patriarcha Alexandrinus: *Ter insufflat Sacerdos in aquas in figura Crucis, & pronus ait, Collidatur, ô Domine, caput draconis illius homicidæ subter signaculum Crucis tuæ,* &c. *Qualibet inuocatione facit quatuor Cruces super aquas, digitumq́; suum demittit ab Oriente primùm, dein ab Occidente, & Septentrione, & Meridie, dicens, Sed tu Domine infer eas Cruces aquis istis. Et accipit cornu chrismatis ipse Sacerdos, & effundit super aquas tribus vicibus in similitudinem Crucis.* *Seuerus lib. de ritibus Baptismi, tom. 6. Biblioth. P P.*

# CAPVT XIV.

## *In baptismo & post baptismum fuisse adhibitum signum Crucis.*



CRVCIS signum in ipso Baptismo fuisse adhibitum nemo dubitat præter impios iuxtà & imperitos hæreticos. *Per Crucem,* inquit S. Martialis, *Baptisma Dei sanctificatum est.* S. Chrysostomus: *Cùm regeneramur, crux Domini adest.* Eleganter Tertullianus: *Fides obsignata in Patre, & Filio, & Spiritu sancto.* quibus verbis innuit, quo mysterio crucis signum vsurpatum fuerit. de quo etiam S. Ambrosius: *Spiritu signamur, vt splendorem atque imaginem eius & gratiam tenere possimus, quod est vtique spiritale signaculum. Nam etsi specie signemur in corpore, veritate tamen in corde signamur; vt Spiritus sanctus exprimat in nobis imaginis cælestis effigiem.* Quo item alludit Tertullianus: *Signat hominem.* Alibi. *Obsignatio baptismi, vestimentum quodammodo fidei.* S. Dionysius Areopagita Baptismum appellat συνθετικὴν σφραγῖδα. Vnde hæc consignatio in Baptismo vocatur, *Mysterium crucis.* S. Ambrosius: *Vt à secunda morte detineri nō possit signatus mysterio crucis.* S. Chrysostomus: *Baptisma quoque per crucem datur: oportet enim signaculum istud assumere.* Clemens Romanus: *Baptismus datur in mortem filij Dei, aqua adhibetur pro sepultura, oleum pro Spiritu sancto, sigillum crucis pro cruce.* S. Ambrosius ad Baptismum refert illud Canticorum: *Pone me sicut signaculum in corde tuo, sicut signaculum in brachiis tuis. Ergo vnxit te Deus, signauit te Christus. Quomodo? Quia crucis ipsius signatus es forma, ad illius passionem accepisti signaculum ad ipsius similitudinem, vt ad ipsius formam resurgas. Ipsius viuas figura, qui peccato crucifixus est, & Deo viuit,* &c. *In Baptismate autem, quasi specialiter crucifigeris Christo: deinde quasi specialiter, quando accipis spiritale signaculum.* *Mart. epist. 1. cap. 8. Chrysost. hom. 55. in Matth. Tert. de baptismo cap. 6. Ambr. de Spiritu sancto lib. 1. cap. 6. Tert. lib. 1. adu. Marcion. c. 28. de baptismo cap. 1?. Dionys. de Eccles. hierarch. cap. 5. Ambros. in c. 1. epist. ad Rom. Chrys. in c. 3 ad Philipp. Clem. 3. constit. Apost. cap. 17. Ambr. de Sacramen. lib. 6. cap. 2. Cant. 8.*

Equidem adeò commune fuit in baptismo crucis signaculum adhibere, vt qui baptismum peterent, vel petitum accepissent; *Signa-*

Apud Euseb. lib.6. cap.4.

*culum Christi* petere, vel petiisse, vel accepisse vulgò dicerentur. In Martyrio Potamienæ virginis clarissimæ & sanctissimæ legimus, Basilidi eius carnifici *signaculum in Domino*, hoc est, baptismum per Crucis signum fuisse impertitum. *Aquila*, inquit Epiphanius, *signaculum in Christo petiit, & assecutus est.* Sanctus Hieronymus de S. Hilarione: *Cùm venisset Elusam, eo fortè die, quo anniuersaria solennitas omnem oppidi populum in templum Veneris congregauerat, Hilarionem non prius abire passi sunt, quàm futuræ Ecclesiæ lineam mitteret, & sacerdos eorum, vt erat coronatus, Christi signo denotaretur.*

Epiphan. lib. de mensur. & ponderib.

Hieron. vit. S. Hilarion.

Prudent. de Hemiter. & Chelidonio.

Prudentius de Hemiterio, & Chelidonio:

*Cæsaris vexilla linquunt, eligunt signum Crucis,*
*Proque ventosis Draconum, quæ gerebant, palliis,*
*Præferunt insigne lignum, quod Draconem subdidit.*

Quibus versibus nihil aliud significat, quàm duos istos antea signiferos, Christi signum, hoc est, Crucis signum elegisse, atque adeò Christi religionem amplexos esse; interuentu nimirum Crucis in baptismo, aliorumque Sacramentorum susceptione.

Sancti Patres inuitantes homines ad baptismum; ad *signaculum Crucis* inuitare solebant: *Pauperes & egentes*, inquit S. Gregorius Nyssenus, *festinate ad distributionem donorum regalium, oues ad signaculum & signum Crucis, quod malis opem fert & remedium.* S. Cyprianus: *Huius Sacramento & signo censeamur.* Tertullianus: *Nonne eieramus & rescindimus signaculum, rescindendo testationem eius?* Similem sententiam huc pertinentem habet Benedictus Paulin. *Credo quod qui semel signum diuini nominis & infixum fronti characterem Domini nostri, nunquam mali conscius vel subdolus falsator infregerit.* S. Augustinus: *Christi Cruce exararis, quando eius signo in fronte signaris: eius sanguine rigaris, quando in morte ipsius baptizaris.* Prudentius:

Nyss. orat. in eos qui differunt baptisma.
Cypr. ad Demetrianum.
Tert. lib. de spectac.
Paulinus ad Faustum.
Aug. de cultura agri Dom. cap.2.
Prudent. peristeph. hym.2.
Prud. in Symmachum.
Cypr. epist.2. ad Donatum.

*Vittatus olim Pontifex*
*Accitur in signum Crucis.*

Idem alibi:

*Sexcentas numerare domos de sanguine prisco*
*Nobilium licet ad Christi signacula versas.*

Imò baptizati dicebantur *obsignati*, vel *signati*. S. Cyprianus: *Tu tantum quem iam spiritalibus castris cælestis militia signauit.*

Ex his omnibus apparet, quales illi sint, qui hodie à baptismo signum S. Crucis relegarunt; similes nimirum iis, quos S. Bonifacius Martyr, & Germaniæ Apostolus habuit Ecclesiæ hostes: de quibus Zacharias Pontifex: *Qui nunquam ab Episcopis Catholicis fuerunt ordinati, illudentes populo, & ministeria Ecclesiæ confundentes, &c. erroneum ministerium*

Zach. epist. ad S. Bonif. Extat ap. Sur. 5. Iun.

non

*non in Ecclesia Catholica, sed per agrestia loca, & per cellas rusticorum, vbi eorum imperita stultitia celari possit, perpetrant; nec fidem Catholicam Paganis prædicant, nec ipsi fidem Catholicam habent; nec quærunt ab eis, quos baptizare student, abrenunciationem Satanæ: sed neque signaculo Crucis Christi eos muniunt.*

Apparet quoque quàm verè Centuriatores dicant, tempore Iustini Martyris nihil fuisse cognitum de Crucis consignatione in baptismo; cùm Basilius tantus Doctor, & tam sanctus, id Apostolicæ traditionis esse asserat, idemque alij scriptores Iustino antiquiores confirment, vt Dionysius & Clemens. Nam quod Iustinus in Apologia ad Antoninum, huius moris mentionem non fecit, id argumento non est, cæremoniam hanc in vsu non fuisse; sed istos ab auctoritate negatiuè argumentando leges argumentandi nescire. *Cent. 5. cap. 6.* *Basi. lib. de Spiritu S. ca. 27.*

Quàm verò iidem Centuriatores impij sunt in sanctissimum & totius Ecclesiæ præcipuum Doctorem Augustinum, quem aiunt, *de Crucis signatione, atq; aliis quibusdam ineptiis, valde superstitiosè (si tamen sunt eius auctoris) loqui*: nominatimque carpunt illam sententiam, cùm dicit, *nullum Sacramentum ritè perfici sine Crucis signo*, quam suprà explicauimus. Verùm isti Augustini auctoritatem calumniando non minuunt, sed suam impudentiam, & erga sanctissimos & doctissimos Patres irreuerentiam manifestè produnt, vt ista ipsa hæreticorum audacia & inuerecunda temeritas, iure omnibus incitamento esse possit, vt potius Augustino contra Centuriatores, quàm Centuriatoribus contra Augustinum adhærere decernant. Et quis vnquam dubitauit, vtrum tractatus in Ioannem essent S. Augustini? *At intrusa sunt illa verba ab aliquo nebulone.* Hæc enim est vulgatissima istorum, quando premuntur, solutio. Quis credat in hunc locum fraude irrepsisse id, quod ipse alibi toties disertis verbis affirmat, vt patet ex testimoniis, quæ hactenus ob hanc ipsam causam, tam multa ex variis Augustini locis adduximus. *Cent. 5. cap. 6.*

S. Cyprianus eleganter figuras signi crucis ex scriptura probat, & subdit: *Euadere eos solos posse, qui renati & signo Christi signati fuerint alio in loco Deus loquitur*, &c. Sanctus Augustinus: *Ne in æternum moriantur, ipsa, in qua ille mortuus est, cruce signantur.* Alibi Paganum alloquens: *Para frontem, & excipe lapis lapidem, cade vt erigaris, frangere vt confirmeris, destruere vt ædificeris; ictus lapidis non cutem diuidat frontis, non venam rumpat sanguinis, non aperiat foueam vulneris, sed signum faciat crucis.* Idem: *Familia Christi per Baptismum crucis passione signatur.* Sidonius de auo suo Præfecto Prętorij. *Cyp. ad Demetrianum.* *Aug. 20. de ciu. Dei cap. 30.* *Aug. de 5. hæresibus cap. 3.* *Aug. lib. 12. contra Faustum, cap. 14.* *Sidon. lib. 3. epist. 12. in epitaphio Apollinaris.*

*Hæc sed maxima dignitas probatur,*
*Quod frontem cruce, membra fonte purgans,*

*Primus de numero patrum suorum*
*Sacris sacrilegis renunciauit.* Hæc de Crucis signo in ipso Baptismo.

Luther im Tauffbüchlin auffs new zugericht. Tom. 2. Ihen. Germ.

Quod ne Lutherus quidem palam repudiare ausus fuit, tametsi, more solenni, cuniculis id suffodit, vt pòst sponte sua corrueret, vel ab aliis, facili nisu, ad ruinam impelleretur. Hinc in libello de ritu baptizandi recens adornato & recognito, hæc edicit Lutherus. *Baptizans dicat: Exi immunde spiritus, & cede locum Spiritui sancto.* Darnach mache er ein Creutz an die Stirn/vnnd Brust/ vnd spreche: Nim das Zeichen deß heiligen Creutz beyde an der Stirn/ vnd an der Brust. Infrà: *Adiuro te immunde spiritus in nomine Patris, ✠, & Filij, ✠, & Spiritus sancti ✠, vt exeas,* &c.

Similia habet Lutherus in priore libello de ritu baptizandi, quæ notentur contra Caluinistas, & Lutheranos quosdam, qui crucem iam omittunt; quibus Lutherus in Præfatione in priorem libellum, non modicam occasionem dedit. quia, externas ceremonias dicit esse in baptismo res *omnium minimas:* die geringste. Inter quas etiam nominat signum Crucis. Et sub finem Præfationis ait; *se noluisse aliquid peculiariter in libello isto mutare;* Wiewol ichs leyden möcht/ es wer besser gerüst/denn es auch vnfleissige Meister gehabt hat/ rc. Quod ergò Lutherus non fecit; sed faciendum insinuauit, id fecerunt Caluiniani, & quidam Lutherani. Tametsi Angli Caluiniani signum hoc in baptismate retinent, & omnibus modis retinendum suadent. Qua de

Cap. 11.

re consule; quæ fusè scripsi in Panegyrico Misenico, & in Appendice secunda ad tertium librum Tomi tertij de S. Cruce, quæ ad finem hu-

Cap. 2.

ius libri repetemus.

Exstat Germanicus libellus de ritu baptizandi olim ab Andrea Osiandro seniore Norimbergæ editus; *in quo non prætermissa* ait, *quæ ab aliis, tanquam superflua,* contempta & reiecta fuerant; in quibus reiectis præcipuum fuisse signaculum sanctæ Crucis non est cur quis dubitet; quod Osiander quasi postliminio restituit. Hinc passim videas & legas illud: Vnd daß du dises Zeichen deß heiligen Creütz ✠ daß wir (hie mache der Diener dem glaubigen ein Creütz an die Stirn) an seine Stirn thun/ rc. Item. Die nachfolgende ✠ Wort (hie bezeichne der Diener den Glaubigen mit dem Creütz an der Stirn) deß heiligen ✠ Euangelion (auff dem Munde) Sanct Marcus ✠ (vnd auff die Brust.) Hæc & similia in illo libello Osiandrico: à quibus longè recesserunt recentiores Lutheranorum *Agendæ*, nominatim Neopalatina; vbi nihil de crucis signaculo baptizandis imprimendo, quia Prædicantium erga crucem pietas indies magis atque magis augescit.

Nunc

Nunc ostendendum post Baptismum quoque fuisse signum crucis vsurpatum in vnctione. Triplex autem erat vnctio. Primò, inungebantur ante Baptismum oleo catechumenorum. Secundò, statim post Baptismum à sacerdote inungebantur chrismate in vertice & pectore. Tertiò, inunctio fiebat in Sacramento Confirmationis per Episcopos in fronte. Primam & tertiam non sine cruce factam, demonstramus capite 12. & 15. Hîc tantùm de secunda agimus: de qua Tertullianus: *Exinde egressi de lauacro perungimur benedicta vnctione*, non sine signo Crucis, teste sancto Gregorio Magno: *Vt autem surrexerit à fonte ille, qui eum suscipit, offerat eum vni presbytero, qui faciat signum crucis de chrismate cum pollice in vertice eius, dicens, Deus*, &c. Idem alibi: *Presbyteri Baptizatos vngant in pectore, vt Episcopi postmodum vngere debeant in fronte*, nempe in Confirmationis Sacramento.

*De triplici hac vnctione vide Pamel. in Tertull. lib. de Baptismo, nu. 48.*

*Tert. de baptismo, cap. 7.*

*Greg. lib. Sacram feria VI. magna hebdomada.*

*Gregor. lib. 3. epist. 9.*

Pacianus. Nouatianis obiicit, quod non habeant vnctos sacerdotes, à quibus signo Crucis consignentur. Quod multò magis obiici potest, hodiernis Hæreticis, quorum Ministri, cùm vncti non sint, mirum non faciunt, si vnctos in baptismate & Confirmatione auersantur. Tantum superest (si tamen superest) vt & lotos (baptismi vndis) auersari incipiant, vt liberè cum profanas suas cœnas cœnant, aut ex superiore loco ad circumfusam multitudinem boant, exclamare possint cum antiquis Ethnicis: *Procul absit lotus & vnctus.*

*Pacian epist. 3. ad Sympronianum.*

Gloriabantur veteres ob Crucem fronti in Baptismo & Confirmatione inscriptam: *Ego Christianus*, inquit sanctus Hieronymus, *& de parentibus Christianis natus, & vexillum Crucis in mea fronte portans.* Hæretici certè hanc sibi gloriam vendicare nequeunt. Quocirca aliis cæremoniis baptizatum esse oportet sanctum Hieronymum: aliis Lutheranos & Caluinianos: illum, Catholicis & Apostolicis; hos Hæreticis & Apostaticis.

*Hieron. epist. 113.*

Quanti autem momenti sit, tam in baptismo, quàm aliâs, & alibi, cruce consignatum esse, docet S. Paulinus ad Cytherium, vbi describit naufragium nauis cuiusdam, in qua Christiani cum multis infidelibus nauigabant: saluis illis; his pereuntibus; nisi, si qui in illa trepidatione, vt fit, Christianis adhæsissent:

*S. Paulin. Epist. 42.*

*Constat perisse Christianum neminem,*
*Et interisse perfidos.*
*Namq; aut maligno corde Iudæus perit,*
*Reus aut superbi schismatis.*
*Quemcunq; Christi recta signauit fides,*
*Hunc vita cognouit suum.*

Tamen

*Tamen fuére Christianis additi,*
*Nec dum hoc sacrati nomine,*
*Quos de profundo iuncta seruauit fuga;*
*Quia Christianis haeserant.*
*Nam cum infideli plebe nauigantium*
*Nullus fidelis mersus est;*
*Vt clara magni veritas mysterij*
*Ostendit in paucis Deus,*
*Quod fine Mundi diuidendis gentibus,*
*Discrimen in cunctos erit,*
*Cùm praenotatos ora vexillo Crucis*
*Transibit vltor Angelus:*
*Sic naue in illa nemo morti traditus,*
*Qui veritate praeditus.*
*Vixére iuncti Christianis impij,*
*Vincente noctem lumine.*
*Nam Christianos aggregare mortuis*
*Virtute cassa mors fuit.*
*Quia fronte signum Christianis emicat,*
*Quo mors subacta corruit.*

Adscribit ergò S. Paulinus salutem illam signaculo sanctae Crucis; qui, in eâdem Epistola non procul à fine haec de eadem sancta Cruce;

*Vtraque regni caelitum mysteria*
*Mutae loquuntur alites:*
*Sacrum, potentis, explicant, instar Crucis*
*Suspensa pennis corpora;*
*Volatus autem circumactus ambitu*
*Spondet laboris praemium,* &c.
*Cornibus, & aliis ardua fultus Crucis*
*Volet in coronam gloriae.*

*S. Cypr. serm. de lapsis.* S. Cyprianus. *Frons cum signo Dei pura,* id est, Cruce insignita, *Diaboli coronam ferre nō potuit; corona se Domini reseruauit.* Sacrificabant enim gentiles coronati; Et vi crucis frontibus lapsorum olim impressae factum dicit, vt in eorum capitibus corona idololatrica non haereret.

*Epist. 56.* In Epistola ad Thibaritanos de Exhortatione Martyrij; *Muniatur,* inquit, *frons, vt signum Dei incolume seruetur:* Quod nam hoc signum Dei, nisi Crux fronti in baptismate impressa? Iubet ergo, vt frons excitatae persecutionis tempore muniatur; ne Christianam religionem negando, Crucem sibi inditam amittat.

CAPVT

## CAPVT XV.

*Sacramentum Confirmationis non sine crucis signaculo iam olim administratum fuisse.*


N Sacramento Confirmationis, Crucis signum adhibitum fuisse; Diui Augustini auctoritate constat; qui ait: *Eiusdem crucis signo per manus impositionem, baptizati dona gratiarum accipiunt.* Similem sententiam alio loco habet sanctus Augustinus. Idem affirmat, *Credentes, oleo, quo Chrismate vnguntur, non ritè sine cruce inungi*, Alibi docet: *Sacramentum quoddam esse, quod in fronte percipiatur, non sine crucis signo*; At hoc aliud non est, quàm Confirmatio. *Multa,* inquit, *Sacramenta aliter atque aliter accipimus. Quędam, sicut nostis, ore accipimus, quędam per totum corpus accipimus. Quia verò in fronte erubescitur, ille qui dixit, qui me erubuerit coram hominibus, erubescam eum coram patre meo, qui in cœlis est: ipsam ignominiam quodammodo, & quam pagani derident* (crucem) *in loco pudoris nostri constituit*, videlicet per Sacramentum Confirmationis. Prudentius: *August. serm. 19. de Sanctis. Idem serm. 181. de temp. Tract. 118. in Ioan. In Psalm. 141. Luc. 9.*

*Post inscripta oleo frontis signacula, per quę*
*Vnguentum regale datum est & chrisma perenne.* *Prud. in Psychomachia.*

Idem alibi: *Prud. 1. in Symmachum.*

*Cœtibus aut magnis Lateranas currit ad ędes*
*Vnde sacrum referat regali chrismate signum.*

S. Cyprianus: *Quod nunc quoque apud nos geritur, vt qui in Ecclesia baptizantur, Prępositis Ecclesię offerantur, & per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur.* Vbi Cyprianus apertè de Sacramento Confirmationis loquitur, quod non sine crucis signaculo confertur. *Cypr. epist. ad Iubaianum.*

S. Gregorius Magnus: *Presbyteri baptizatos infantes signare sacro in frontibus chrismate non pręsumant: sed presbyteri baptizatos vngant in pectore, vt Episcopi postmodum vngere debeant in fronte.* *Greg. lib. 3. epist. 9.*

Olim statim post baptismum, etiam infantes, confirmatos esse, patet ex Sacramentario Greg. Magn. feria VI. magnę hebdomadis, vbi hęc: *Pontifex redit in Sacrarium expectans, vt cùm vestiti fuerint infantes, confirmet eos,* &c. *Pontifex verò veniens ad infantes, tenente Archidiacono chrisma, inuolutis scapulis & brachiis ex paruo lineo, & leuata manu sua super capita omnium dicit: Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua & Spiritu sancto, quiq; dedisti eis remissionem omnium peccatorum, emitte in eos septiformem Spiritum tuum sanctum paracletum de cęlis, Spiritum sapientię & intellectus; Spiritum consilij & fortitudinis; Spiritum scientię & pietatis:*

*tatis: adimple eos Spiritu timoris tui, & consigna eos signo crucis in vitam propitiatus æternam. Et interrogantibus diaconibus nomina singulorum, Pontifex tincto pollice in chrismate, facit crucem in fronte.*

*Turon. lib. 2. de gest. Francor. cap. 31.*
*Extat tom. 6. biblioth. P P.*

Clodoueus Rex, inquit Gregorius Turonensis, *Omnipotentem Deum in Trinitate confessus, baptizatus est in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; delibutusq; sacro chrismate cum signaculo crucis Christi.* Quo ritu apud Aethiopes in Confirmatione signum crucis fuerit collatum, habetur in eorum Ordine administrationis Sacramenti Confirmationis. Qui Ordo cum in tomo sexto Bibliothecæ SS. Patrum exstet, ambigere cogor, num verum sit, quod Damianus Goes & Franciscus Aluarus scribunt, Aethiopibus Sacramentum chrismatis seu confirmationis non esse in vsu, præsertim cum Aethiopes sequantur Alexandrinam Ecclesiam; hæc Græcam, A Græcis autem confirmationem vsurpari & Sacramentis annumerari, exploratum est; vt & extremam vnctionem, quam similiter prædicti Auctores ab Aethiopibus ignorari scribunt.

*Damian. lib. de moribus Aethiop.*
*Aluar. in Itinerario Aethiop. cap. 22.*

Constantinus Magnus in suo edicto: *Septiformis gratiæ sancti Spiritus consignationem adhibuit beati chrismatis vnctione, & vexillum sanctæ Crucis in mea fronte liniuit, dicens: signet te Deus,* &c. Plura testimonia, vt Bedæ, Isidori, & aliorum non pono. Illud Tertulliani huc pertinet: *Caro signatur, vt & anima muniatur.*

*Beda in cap. 8. Act. Apostol.*
*Isid. lib. 7. etymol. cap. 20.*
*Tert. lib. de resurrect. carnis cap 8.*

Imò à crucis signo appellatum est Sacramentum confirmationis, *signaculum*, cùm ab aliis, tum à S. Ambrosio. *Sequitur*, inquit, *spiritale signaculum, quia post fontem superest, vt perfectio fiat, quando ad inuocationem sacerdotis Spiritus sanctus infunditur.* Et: *Vnxit te Deus, signauit te Christus. Quomodo? quia crucis ipsius signatus es forma, ad illius passionem. Accepisti signaculum ad illius similitudinem.* Quin adeò confirmationis Sacramento crux adhibenda est, vt sine signaculo crucis, ne conferri quidem validè posit, vt grauissimi Theologi verissimè sentiunt. Refert etiam S. Cornelius Martyr & Pontifex Romanus apud Eusebium, Nouatum hæreticum non fuisse Domini signaculo, hoc est, Sacramento Confirmationis obsignatum: *Quo quidem neutiquam potitus*, inquit Cornelius, *quomodo, quæso, Spiritum sanctum adeptus est?*

*Ambros. lib. 3. de sacram. cap. 2. & lib. 6. cap. 2.*
*Euseb. lib. 6. cap. 35.*

Porrò crucem in Baptismo, vel Confirmatione acceptam, summo conatu, desertores fidei, abolere nitebantur; certis ad id institutis & adhibitis expiationibus, & inprimis Iulianus Apostata, qui cùm in Baptismo, crucis figurâ frontem suam sciret fuisse consignatam, non prius se plenè Christianum exuere posse putauit, quàm signum sacræ crucis elueret, quod impio & solenni ritu fecit, idque sanguine victimarum delesse videri voluit. *Vix*, inquit Gregorius Nazianzenus, *Imperij*

*Nazia. orat. 1. contra Iulian.*

*perij hæreditatem adire cœperat, cùm impietatem palam libereq́ profitetur, perinde atq; hoc nomine erubescens, quod Christianus aliquando fuisset, atq; ea de causa Christianis succensens, quibus nominis societate iunctus fuerat, atque hinc quidem facinora sua auspicatur, quemadmodum narrant, qui ipsius arcanis gloriantur. (Proh superi in quos sermones incurrere cogor) impuro & nefario sanguine, lauacrum extergit, initiationi nostræ execrabilem initiationem opponens.* Idem Glycas p. 4. Annal. Quales autem ritus fuerint, quibus Iulianus vsus est, cùm more veteri & solemni pontificatu initiari, atque adeò Christi signum delere vellet, describit Prudentius his Iambis: Prudent. περὶ στεφ. Hym. 10.

*Hic vt statuta est immolanda bellua;*
*Pectus sacrato diuidunt venabulo.*
*Eructat amplum vulnus vndam sanguinis*
*Feruentis; inquè texta pontis subditi*
*Fundit vaporum flumen & latè æstuat.*
*Tum per frequentes mille rimarum vias;*
*Illapsus imber tabidum rorem pluit;*
*Defossus intus, quem sacerdos excipit:*
*Guttas ad omnes turpe subiectans caput,*
*Et veste & omni putrefactus corpore.*
*Quin os supinat, obuias offert genas;*
*Supponit aures, labia nares obiicit,*
*Oculos & ipsos perluit liquoribus,*
*Nec iam palato parcit & linguam rigat*
*Donec cruorem totus atrum combibat.*
*Postquam cadauer sanguine egesto rigens*
*Compage ab illa Flamines retraxerint*
*Procedit inde Pontifex, visu horridus,*
*Ostentat vdum verticem, barbam grauem,*
*Vittas madentes, atq; amictus ebrios.*
*Hunc inquinatum talibus contagiis*
*Tabo recentis sordidum piaculi*
*Omnes salutant, atq; adorant eminus*
*Vilis quod illum sanguis & bos mortuus*
*Fœdis latentem sub cauernis lauerint.*

Sicut igitur Iulianus signum Christi è fronte delere voluit; ita Ethnici sæpe Martyribus putabant se nomen *Christiani* eripere; si frontem, quæ cruce Christi & in baptismo, & quotidie insigniri solebat, detracta cute, nudarent. Apud Surium 10. Maij. Cùm Glyceria passa sub Antonino Pio, gloriaretur se crucem Christi in fronte habere, & iam iam in accensam fornacem coniicienda, crucis signum fronti inscripsisset; iussit Sabi-


*Vict. lib. 1. de persecut. Vandal.*

nus totius capitis & frontis pellem ei detrahi. Simile quid tentarunt Ariani cum sancto Armogaste, cui frontem neruis distentam disrumpere conati sunt.

## CAPVT XVI.

### *In Sacramento Eucharistiæ adhibitum signum crucis.*

*Chrysost. hom. 55 in Matth. & orat. quod Christus sit Deus.*
*Aug. tract. 118. in Ioan.*
*Chrysost. hom. de Venerat. crucis.*



IN Eucharistiæ Sacramento crucem vsurpari docet S. Chrysostomus: *Cùm sacratissimo cibo alimur, crux Domini adest.* Alibi: *Sic crux in sacra cœna, sic in sacerdotum ordinationibus, sic iterum cum corpore Christi in mysticis cœnis fulget.* S. Augustinus negat sacrificium, *quo Christiani aluntur, ritè perfici sine cruce.*

Causæ, cur signum crucis in hoc Mysterio adhibeatur, variæ sunt, quarum duas eleganter explicat S. Chrysostomus: *Hac obsignamus, quasi firmo certoq́; in loco donum quod donatum est includamus. Sic etiam in Sacrificiis sumitur. Christi enim crux gladius est,* &c. *Ob eamq́; causam in Sacrificiis sumitur quasi gladius quidam & flagrum regium, quod omnem diaboli impetum fundit.*

*Innoc. lib. de myster. Missæ.*
*Germ. theoria rerum Eccles.*
*Tom. 4. operum Chrysost.*

Quoties in sacrosancto Missæ mysterio sanctissimæ crucis signum adhibeatur, & qua significatione, videre poterit lector apud Innocentium, & Germanum Patriarcham Constantinopolitanum, vt alios, qui cæremoniarum, quibus Ecclesia vtitur, rationes explicarunt, prætercam. Nobis hîc suffecerit breuiter quædam attingere, ex quibus pateat vsus signi crucis. Ac vt inde primùm incipiamus, Sacerdos rem diuinam facturus, *osculatur mensam quater in figuram crucis, & accipit stecharion, id est, lineam vestem,* vt habetur in Missa S. Chrysostomi. *Sacerdos autem egreditur è paruo ostio, portans Euangelium, præcedente ministro cum lucerna. Et conuersus ad Christi imaginem inter duo ostia inflexo capite cum exclamatione dicit hanc orationem; Domine,* &c. *Et tollens in altum Euangelium in imaginem crucis magna voce dicit, Sapientia recta.* Cùm Euangelium legeretur, omnes assurrexisse facto signo crucis, testis est Hildebertus Turonensis Archiepiscopus.

*Hilde. de myst. missæ. tom. 3. biblioth. P P. Idem habet Remigius Antisiodorensis Episcopus lib. de celebratione Missæ.*

*Frontibus imprimitur mystica forma crucis.*
*Stans discis, quoniam stantes pugnare solemus,*
*Quod te pugna grauis sub vigili hoste manet.*
*Quamq́; notam pastor nouit, propriamq́; fatetur,*
*Hac se signatam testificatur ouis.*
*Quaq́; probant opifex & signifer, & caput idem,*
*His opus, his proceres his sua membra fouent.*

In

In fidei Symbolo crucem efformatam patet ex Liturgia S. Marci: *Populo dicente, Et incarnatus est de Spiritu sancto, crucem facit: eodemq; subiungente, Crucifixus etiam pro nobis, denuo cruce signat. Et, in Spiritum sanctum, itidem. Et expleta Fide sacerdos cruce populum signat, elata voce pronuntians, Pax omnibus.* *Ext. tom. 6. Biblioth. PP. Eadē habet Seuerus Patriarcha Alexan. in ordine oblationis myst. & canon Aethiopum vniuersalis.*

In Missa S. Chrysostomi: *Diaconus accipiens panem cum sacerdote Missam celebraturo, seu etiam sacerdos sine Diacono, faciebat in eo cum lanceola crucem, & incidens lanceola signaculum panis in quatuor partes in figuram crucis, tollebat ex eo particulam, videlicet signaculum cum sua medulla; & inferiorem signaculi partem, insignitam cruce, ponebat in disco, & illam postea consecrabat.* *Vide Pamelium in Cypr. de op. & eleem. nu 33.*

Cùm aqua vino miscenda est, benedicimus illam signo Crucis: ad quod expresse alludit S. Ambrosius: *Cùm aqua salutaris fuerit crucis mysterio consecrata, tunc ad vsum salutaris poculi temperatur.* In Liturgia S. Iacobi: *Sacerdos signacula faciens crucis super dona, dicit, Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Ipsa verò sacra verba, quibus Eucharistia consecratur, præcessit signum Crucis, vt patet ex S. Gregorio, ex quo ea verba dabo, ad quæ crux efformari solita: *Vt nobis cor ✠ pus & san ✠ guis fiat dilectissimi filij tui, &c. Bene ✠ dixit, fregit, dedit discipulis suis dicens, Accipite & manducate, &c. Bene ✠ dixit, dedit discipulis suis dicens, Accipite & bibite, &c. Offerimus præclaræ maiestati tuæ de tuis donis ac datis, Hostiam ✠ puram, Hostiam ✠ sanctam, Hostiam ✠ immaculatam, Panem ✠ sanctum vitæ æternæ, & Calicem ✠ salutis perpetuæ, &c. Quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filij tui ✠ Corpus, & ✠ Sanguinem sumpserimus, &c. Per quem hæc omnia Domine semper bona creas, sancti ✠ ficas, viui ✠ ficas, bene ✠ dicis, & præstas nobis. Per ip ✠ sum, & cum ✠ ipso, & in ✠ ipso est tibi Deo Patri omnipotenti in vnitate Spiritus sancti omnis honor & gloria.* *Ambros. libr. de initiand. cap. 3. Ext. tom. 6. Biblioth. PP. Gregor. lib. Sacramentorum in initio.*

S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus dicit: *Quod subleuet sacerdos diuinum panem & signum Crucis ter faciat in aëre, cum venerabili & viuifico pane.* Et Hildebertus: *Germ. in theoria rer. Eccles. Hildeb. de mysterio Missæ.*

*cruor est meminisse cruoris,*
*Huius nos memores crux iterata facit.*
*Mentio mortis adest, vbicunque perennibus escis*
*Imprimit vncta manus mystica signa crucis.*

Quid quod & crucis consignatio in hoc Eucharistiæ mysterio sæpe diuinitus memorando miraculo expressa est. S. Paulinus refert, quomodo Præfectus Arborius viderit manum S. Martini cœlesti lumine coruscantem, totumque brachium radiis gemmisque rutilantibus incinctum, cùm iam signum Crucis super Eucharistiam faceret. Quod & Fortunatus describit: *Paul. lib. 5. de vita S. Martini.*

*altaris sacra dum mysteria tractat,* *Fort. lib. 1. poemat. de basilica S. Martini.*
*Signando Calicem signa beata dedit.*

*Namq; viri sacro de vertice flamma refulsit,*
*Ignis & innocui surgit ad astra globus.*
*Brachia nobilium lapidum fulgore coruscant.*

*Tur lib. de Vita SS.PP. cap 9.*

Gregorius Turonensis: *Ventumq; est, vt sanctum munus, iuxta morem Catholicum, signo Crucis superposito, benediceretur. At ille* (S. Venantius) *vidit, oblatum altario sacrificium dextera benedicentem.*

*Berno in Vita S. Vdalrici c. 8. & Gebhardus Episc. August. & auctor S. Vdalrico aequaeu & familiaris. ex edit. M. Velseri.*

De S. Vdalrico Berno Abbas Augiensis: *Hora qua diuina Sacramenta celebrauit, quibusdam etiam, qui ad videndum digni erant, cernentibus, dextera Domini apparuit, quae cum sancto Episcopo signo Crucis imponendo eadem consecrauit.* Quomodo autem in fine Missae benedictio signo Crucis populo data sit, habet Philotheus Patriarcha. Plura hic addere non visum est, sed tantùm quaedam attingere, vt ostendam quod *Crucis signo consecratur corpus Dominicum*, vt inquit auctor sermonis de expositione symboli. Zacharias Pontifex scripsit ad S. Bonifacium Martyrem quoties signum Crucis in Missae mysterio adhiberetur. Qui plura volet, legat Liturgiam S. Iacobi, & S. Marci, & Anaphoram S. Basilij, quam ex Syriaco transtulit Masius, & Seuerum Patriarcham Alexandrinum, & Missam Mozarabum, quae Isidoro viuente adhuc in vsu fuit per Hispanias, & Philotheum Patriarcham, & Stephanum Eduensem Episcopum, aliosque.

*Philoth. in ordine quomodo ministret Diaconus.*
*Apud Aug. ser. 181. de diuersis.*
*Zach. epist. ad S. Bonif. extat tom. 3. Surij.*
*Extant tom. 6. Biblioth. PP.*
*Tom. 1. in Epicheresi de Can. Missa.*

Ex quibus omnibus liquet; quo spiritu impulsus Zvvinglius haec scripserit: *In quem vsum* (cùm missa celebratur) *tot cruces in aëra pingamus, non video. Ista enim frequens Cruce signatio animum haud secus terret, atque Mathematicorum characteres idiotas, si quando admittantur, terrent; qua hic prorsus abstinendum erat: Vnius enim Dei, qui tres est, tum essentia & vnitas, tum gloria & actio exprimitur,* (verbis illis Canonis; *per quem haec omnia bona creas, sanctificas, benedicis, & praestas nobis per ipsum, & cum ipso, &c.) Ad quam rem nescio quid cruces tot faciant. Subolet mihi (pace omnium dixerim) eum, qui cruces tot adiunxit, simplici plebeculae, velut praestigio quodam illudere voluisse; nam vetusti Canones multis locis, & praesertim isto loco, cruces alia manu pictas habent, quàm eius qui scripsit.* Haec tam impia & blasphema, cùm Ioannes Eckius inter caeteras blasphemias Zvvinglio obiecisset: ipsius etiam, quantumuis scelerati Haeresiarchae animum, quasi ab omni religionis sensu longissimè abhorrentia; perculerunt: Itaque sua esse pernegauit; vt testatur Eckius. *Huius generis* (ex falsis videlicet) *est; quod me,* inquit Zvvinglius, *dixisse ait, hominem terreri, cum signo Crucis sese signat. Quod ipsum manifestè falsum est.* Sic Zvvinglius, parum scilicet memor eorum, quae in *Epicheresi* de Canone Missę effutiuerat; vbi etiam subiungit: *Cruce signationem nō contemnimus,* quod quàm verùm sit: planum facit scilicet creberrimus Cruce signationis apud Zvvinglianos Ministros vsus; quo ita frontem triuerunt; vt frontem funditus amiserint. Per-

*Eckius in libro art. 404.*
*Zuuing. Resp. 2. ad Eckij responsiones Badenses tom. 2.*

Pergit Hæreticus, *Sed tamen velim omnes Christi discipulos esse, vt crebrius cogitent, quid in Cruce actum sit, quàm Crucem in ventum figant. Fidem Crucis maximam esse oportet, crucibus pictis opus non habent, qui Christum viuunt.* Verùm & Crucis signaculo vti; & quid in Cruce actum sit, frequenter in memoriam reuocare; optimè simul consistunt; cum ipsum Crucis signaculum sit rerum in cruce peractarum commodissimum mnemosynon; subiiciens exprimentis animo vim Crucis & passionis Dominicæ.

*Huc pertinet,* ait Zvvinglius, *quod benedicere, non est Crucis charactere signare, vt vulgò iam creditur, sed hoc, quod nos dicimus, gratias vel referre, vel agere.* Latius quidem sese diffundit benedictio; quàm *Crucesignatio,* cùm benedictio solis verbis sine Crucis expressione fieri possit; apud Christianos tamē benedictio, & *Crucesignatio* semper, aut ferè semper coniunguntur, vt alibi demonstramus: Vix enim vsurpant Christiani benedictionem; cui Crucis signaculum non adiungant. Et quamuis benedicere sit quoque aliquem celebrare; laudibusque extollere; attamen non tantùm hanc notionem subiectam habet, etiam in sacris litteris; cum aliò significatu idem sit quod consecrare; seu benè, & bona precari; siue id verbis solummodò fiat; siue gestu tantùm; siue verbis & gestu externo simul: qui gestus externus plerunque nihil aliud esse solet, quàm Crucis efformatio. Certè cùm Christus ascendens in cœlum, eleuatis manibus discipulis benedixit; non vtique discipulis *Lucæ 24.* gratias retulit, aut egit; quod dicendum esset; si notio à Zvvinglio tradita, vera esset; sed benè eis precatus est; Aliud est autem benè precari; aliud gratias agere.

Illud non absque discussione prætereundum existimo; quod Zvvinglio Crucissignatio visa est potius terriculamentum, quàm benedictio vel consecratio. Quæ causa huius persuasionis? Equidem, non negamus crucem esse terrorem, & terriculamentum, sed dæmonum. Si Zvvinglium cum suis terret, videat, ne id contingat propter atrum illum spiritum, à quo somnians suum de Eucharistia dogma didicit: cui, si quis in pectore hospicium præbeat, mirum non est, si Crucis signo terreatur, imò & crucietur; quia inter huius inquilini cruces, & terrores, haud postremum locum crucesignatio tenet.

Lutherus in sua Thalia seu Colloquiis Mensalibus tit. de Sacramento Altaris, multa scurratur de Crucibus in Missa efformari consuetis. Ait desumptas ex veteris Testamenti sacrificio, *Trumpha dicto, quod non eleuabatur, sed ad quatuor mundi plagas ostendebatur; sicut Papistæ,* inquit, *in Missa Cruces* vnd andere Schirmschlege *ad quatuor orbis partes formabant. Et cum Lutherus inciperet huiusmodi Cruces mira digitorum gesticulatione*

*reformare: nec tamen veteri more & instituto posset. dicebat:* Marge Gottes Mutter/wie waren wir mit der Meß geplagt/vnd sonderlich mit den Creutzen. Herr Friderich Mecum hat mir offt gesagt/er hab sie sein lebtag nit können machen. Ach wir waren arme Leuth/ꝛc. Miserrimus fuisti; non quando Cruces formabas, sed quando hæc coram congerronibus, comedonibus & combibonibus tuis pantomimicè deblaterabas, vt tibi & illis ilia risu distenderes; præcipuè cum iam probè saburrati certamẽ illud, quod Germani vocant Trumphen/ occœpistis; in quo Lutherus longè versatior fuit, quam in antiquæ legis sacrificiis & ritibus.

*Epist. 141. inter epist. S. Bonifacij.*

Quæsiuerat ex Zacharia, summo Pontifice, S. Bonifacius, quando & quoties in Canone signum Crucis exprimendum esset, cui hunc in modum rescripsit Pontifex. *Flagitasti à nobis, sanctissime frater, in sacri Canonis prædicatione, quot in locis Cruces facere debeamus, tuæ significemus sanctitati. Votis autem tuis clementer inclinati, in rotulo dato prædicto Lul, religioso presbytero tuo per loca, signa sanctæ Crucis, quanta fieri debeant, infiximus.* Hæc Pontifex. Per *rotulum* intelligit Notitiam seu Indiculum. Germanicè Rodel vel Rotel.

## CAPVT XVII.

### *Nec alia Sacramenta sine crucis signo perfici, vt nec dedicationes templorum & altarium.*

*Chrys. hom 55. in Matth. Idem in cap. 3. ad Phil. Aug. serm. 19. de Sanctis.*



SACRAMENTVM ordinis Cruce perfici tradit S. Chrysostomus: *Crux,* ait, *adest, cùm in ordine consecrandi statuimur.* Alibi: *Manus imponuntur per crucem.* S. Augustinus: *Sacerdotes & Leuitæ per signum Crucis ad sacros ordines promouentur.* Vtroque antiquior S. Dionysius: *Vnicuique eorum, qui consecrantur, signum Crucis à consecrante Pontifice imprimitur.* Ibidem ait: *Crucis consignationem communem esse Ordinationi Episcoporum, Sacerdotum & Diaconorum.* Quid hæc Crucis impressio doceat eum, qui consecratur; his verbis explicat D. Dionysius: *Signum Crucis impressum significat omnium simul corporis cupiditatum cessationem, diuinæq; vitæ imitationem, quæ constanter humanam Iesu, diuinamq; vitam intueatur, qui ad crucem vsque & mortem omnis peccati expers peruenerit.* Stephanus V. Pont. *Nunquid non omnia charismata sacerdotalis ministerij, crucis figura perficiuntur?*

*Dion. de Eccles. Hierarch.*

*Steph. ad Stilianum Archiepiscopum.*

*Per visiones ait interpres intelligi mentis cupiditates & perturbationes motuumque imagines.*

Ab instituto alienum non est inserere hîc, quod idem D. Dionysius de Monachorum inauguratione scriptum reliquit; nam & hos Crucis signo initiari docet. *Sacerdos, oratione perfecta, cùm ad eum, qui initiatur, venit, illum rogat primùm, num remittat nuncium non solùm diuiduis distinctis vitis, verumetiam visionibus; deinde perfectissimam ei vitam exponit, hoc pro testimonio dicens, eum mediam vitam superare ac transilire oportere: quæ vbi omnia,*

*omnia, is qui initiatur, continenter professus est se esse facturum; Sacerdos signo crucis eum consignatum tondet, appellans tres personas diuinæ beatitudinis, omnique veste detracta, eum alia induit, & cum aliis sanctis viris qui adsunt, cùm eum salutauit, participem facit diuinorum mysteriorum.* Hæc Dionysius Areopagita: & paulò pòst explicans singula subdit: *Signum figuræ Crucis, vt iam à nobis dictum est, declarat vniuersarum ad corpus pertinentium cupiditatum priuationem.*

Neque prætereundum, vestes Deo sacratarum virginum fuisse signo Crucis benedictas; quod patet ex orationibus, quæ apud sanctum Gregorium Magnum, quarum vna: *Suppliciter exoramus, vt hæc indumenta, humilitatem cordis & contemptum mundi significantia, quibus famula tua sancto inuisibiliter est informanda proposito, propitius bene✠dicas. & beatæ castitatis habitum, quem te inspirante susceperit, te protegente custodiat.* *Gregor. lib. Sacramentorum de bened. Vest. Virginis.*

Vestimenta sacra & sacerdotalia fuisse signo Crucis benedicta, perspicuum fit ex eiusdem S. Gregorij monumentis. *Ibid. de bened. Vest. sacerd.*

De Sacramento Extremæ Vnctionis accipi potest illud D. Augustini, quod superius ad Confirmationem retulimus; cùm negat, *fideles oleo, quo Chrismate vnguntur, rectè inungi posse sine cruce.* Duas autem ob caussas hæc ad Extremam Vnctionem referre licet; Altera est, quod priora verba; *siue frontibus credentium*; ad Confirmationem potius spectare videantur. Altera est, quia etiam ipse Innocentius I. Pontifex, Augustino synchronos, appellat oleum Extremæ Vnctionis, *oleum Chrismatis.* Non igitur locus ille Augustini ob id ad Confirmationem referendus est, quod *Chrismatis* meminerit, cùm ipse Innocentius oleum simplex, materiam Extremæ Vnctionis, *Chrisma* appellet. Est enim Chrisma generali notione omne vnguentum, licet vsus iam obtinuerit, vt plerumque pro materia Confirmationis accipiatur. *Innocent. epist. ad Eugub. ca. 8. tom. 1. Concil.*

Reconciliationem peccatoris cum Deo per Sacramentum Pœnitentiæ; quis sine Crucis signo peractum credat? cùm & S. Chrysostomum dicentem audiuerimus: *Omnia quæ ad salutem nostram conducunt, per crucem consummari.*

Luculentum testimonium prębet factum sancti Corbiniani Episcopi Frisingensis. Nam cùm Grimoaldus Princeps Bauariæ, viduam Theodoaldi fratris sui vxorem duxisset, igneis eos sermonibus ad pœnitentiam commouit: *Qui venientes humi se prostrauerunt,* inquit Aribo quartus Episcopus Frisingensis, *& extensis ad pedes eius brachiis se grauiter peccasse confessi sunt: & ita pura confessione ad Pœnitentiæ confugerunt remedia. Quorum capitibus vir Dei manus imponens,* SIGNO *æternæ salutis eos munire curauit; ex humo eos erigens tam grauiter lapsis pœnitentiam designauit.* *Aribo in Vita S. Corbiniani.*

H Quid

Quid quod & pœnitentibus iniungebatur pœnæ & satisfactionis nomine, vt manus in crucis speciem expanderent, proculdubio non sine certis precationibus propitiando Numini accommodatis. In hunc sensum accipio & interpretor stationem in cruce apud Bedam, cùm agens, quæ quibusuis pœnitentiæ sint iniungendæ, ita scribit: *Quibusdam à cibis abstinendo, nonnullis genua sæpius flectendo, siue in cruce stando, aut aliud aliquid huiusmodi, quod ad purgationem peccatorum pertineat, faciendo, plurimis vniuersa hæc agendo, sua necesse est errata corrigere.* Idem mos standi in cruce habetur in fragmento incerti Auctoris de ritibus veteris Ecclesiæ; Iubet enim ex pœnitentium numero alios *genua flectere*; alios, *in cruce stare.* Nonnulli tribuunt hoc fragmentum Carolo Magno; Amalario alij, vt Antonius Augustinus.

*Bed. lib. de Remed. peccatorum.*

*Impress. Antuerp. M.D.LX. Anton. Aug. in Not. ad lib. Bedæ de Remed. peccatorum.*

Matrimonio adiungitur benedictio sacerdotalis ex vetustissima Ecclesiæ consuetudine; cuius testes sunt Syricius Papa, Innocentius I. S. Ambrosius, Nicolaus I. Pontifex apud Gratianum; Isidorus & Concilium IV. Carthaginense, cui interfuit S. Augustinus. At benedictionibus communiter crux adiungi solet, cùm plerumque non modò verbo, sed & expresso signo quopiam, Christiani benedicere consueuerint. Sed quidquid sit de hoc; ad probandum in matrimonio crucis signaculum adhiberi fuisse solitum, satis nobis est illa D. Augustini sententia, cùm asserit; *vniuersaliter omnia Ecclesiæ sacramenta in huius signi virtute perfici*, nisi quis mecum illam sententiam Tertulliani, tanquam speciale testimonium accipere velit, cùm Christiani Matrimonij felicitatem prædicans, *vnde sufficiam*, ait, *ad enarrandam felicitatem eius matrimonij, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignatum Angeli renunciant, Pater rato habet.* Ex quibus verbis planum fit primò, matrimonia in facie Ecclesiæ celebrata. Secundò, immolatum in nuptiis sacrosanctum corporis & sanguinis Dominici sacrificium. Tertiò, additam consignationem & benedictionem, per crucem scilicet, *nam signare & obsignare* est Tertulliano Cruce signare, vt paulò pòst: *Non furtiua signatio.* Vbi clarum, sermonem esse de signaculo crucis. Eodem spectat illud Andreæ Cretensis, cùm crucem *coniugij vinculum* nominat.

*Syr. epist. 1. c. 4. Innoc. epist. 2. cap. 6. Amb. epist. 70. Nic. apud Gratianum 30. q. 5. C. Nostrates. Isid. libr. de diuin. off. cap. 19. Conc. Carthag. cap. 4. Tertul. lib. 2. ad Vxorem sub fin. Vide, quæ de hoc Tertulliani loco scripsi in animaduersionibus ad notas Tertullianeas Iunij cap. 1.*

*Andr. orat. in Exalt. S. Crucis.*

Et vt ad extremum de templis, Basilicis, & altaribus aliquid adiungamus: *Cum eiusdem crucis charactere*, inquit S. Augustinus, *Basilicæ dedicantur, & altaria consecrantur.*

*Aug. serm. 19. de Sanctis. In Edit. Louaniensi est 75.*

S. Gregorius Nyssenus: *Altare hoc sanctum, cui assistimus, lapis est natura communis, nihil differens ab aliis crustis lapideis, ex quibus parietes nostri extruuntur & pauimenta exornantur, sed quoniam Dei cultui consecratum atque dedicatum est, ac benedictionem accepit; mensa sancta, altare immaculatum est,* quod

*Nyss. orat. de Baptismo.*

*quod non amplius ab omnibus, sed à solis Sacerdotibus, iisque venerantibus contrectatur.*

## CAPVT XVIII.

### *Veteres somno, cibo & potui præmisisse signaculum crucis.*

ETSI ex illis, quæ suprà ex Tertulliano, Cyrillo, aliisque attulimus; satis liquet id, quod hoc capite explicandum sumpsimus; magis tamē in specie declarare placet; quando nam, & quàm religiosè veteres Christiani, crucis signaculum vsurparint. Igitur somno crucem præmittebant; hinc ex communi consuetudine monitum illud Prudentij: *Cap. 10.* *Prud. Hym. 6. ante somnum.*

*Fac cùm vocante somno*
*Castum petis cubile,*
*Frontem locumq; cordis,*
*Crucis figura signet;*
*Crux pellit omne crimen*
*Fugiunt crucem tenebræ,*
*Tali dicata signo*
*Mens fluctuare nescit.*
*Discede, Christus hic est:*
*Hic Christus est, liquesce:*
*Signum, quod ipse nosti*
*Damnat tuam cateruam.*

Idem obseruabant expergefacti è somno, teste S. Cyrillo & Gregorio Turonensi. *S. Cyrill. cat. 13. Tur. lib. 1. mir. cap. 83.*

Tertullianus dissuadens fœminis Matrimonium cum infideli inire, præter cætera incommoda, etiam hoc adfert; quod *vxor fidelis* vix tantum spatij & loci habitura sit, vt *lectum & corpusculum suum* signaculo crucis signet: *Latebisne, inquit, tu cum lectulum, cum corpusculum tuum signas?* Sub finem libri, inter commoda Christianæ mulieris nuptæ Christiano, numerat *non furtiuam signationem*, hoc est, liberum crucis vsum: eam enim, quæ Ethnicum coniugem habet, tantùm occultè Crucis signo vti posse, ne maritum offendat, vel vt superius ait, *ne magia aliquid operari videatur.* *Vide Animaduers. in notas Iunij cap. 1.* *Tertul. lib. 2. ad Vxorem.*

Quanti referat signare corpus, cum dormitum tendis, docet hoc exemplum ex VValfrido Strabo: *Quidam vir dum per syluam quandam iter faceret, ac circumspectè incursum latronum, qui in ea solebant commorari, multisq; nocere, festinando deuitare conaretur, tantus eum subitò sopor inuasit, vt vix incedere potuisset. Cumq; periculi metu suspectos haberet itineris casus, & dormiendi* *VValfrid. lib. 2. de Vita S. Galli cap. 22.*

*causa paulisper diuertere vellet; rusticum quendam obuium habuit, eumq́ rogare cœpit, vt interim custos sui existeret, donec importunitatem somni parumper quiescendo depelleret. At ille pacem simulans, fidem spopondit. Itaque modicum diuertens, pallium capiti supponit, & se prosternens, beati viri suffragia his verbis implorat: Sancte Galle tua me protectione custodi. Signaculo Crucis deinde munitus cum obdormisset, insidus custos sponsionis immemor, sumptis armis soporatum, quasi peremturus, aggreditur: de collo vestem subtrahit, quo facilius vno ictu perimat dormientem. Sed cùm gladium in ictum vellet deponere, artubus rigore stupefactis, inflecti brachia nequiuerunt.*

Bibituri potum & poculum cruce signabant. Illustre huius rei exemplum refert Theodoretus, & ante illum S. Gregorius Nazianzenus. Cùm Iulianus Apostata, *donatiuum* militibus distribuens, fraude quosdam eò perduxisset, vt thuris nonnihil in aram plenam carbonum iniicerent; subdit Theodoretus: *Post istam perniciosam pecuniæ distributionem, nonnulli, qui aurum acceperant, in conuiuio quodam fortè vnà epulabantur, quorum vnus, sumpto in manus poculo, non antè bibebat, quàm salutare crucis signum adhibuisset; atque cùm quidam ex conuiuis eum increparet, diceretq́, illud rei paulò antè ab eo gestæ prorsus repugnare; sciscitatur, quid sit, quod in factis suis repugnantiam habere asserat: ille aræ, thuris & negatæ fidei illum admonet, aitquè ista confessioni Christianæ prorsus aduersari. Quibus auditis, complures ex conuiuis flebiliter lamentis se dedere, & capillum lacerare cœperunt, surgentesq́ de conuiuio per forum cursitare, se Christianos esse clara voce profiteri, Imperatoris artibus impulsos esse in fraudem, palinodiam canere, & cladem imprudenter acceptam, pugna renouata, sarcire velle.*

*Theod. li. 3. hist. cap. 16. Nazian. orat. 1. contra Iulian.*

Narrat deinceps quomodo isti ipsi milites, Iuliani iussu, capti & ad locum supplicij ducti, tandemque vita donati, & ad extremas Imperij Romani partes relegati fuerint; non benignitate desertoris, sed inuidia, ne sanguine ob Christi nomen fuso, à Christianis in Martyrum numero collocarentur & honorarentur. Suprà ex Tertulliano & Cyrillo audiuimus, Christianos signaculum crucis mensæ adhibuisse, Et quidem si adesset sacerdos, aut Diaconus; illius erat esculenta & poculenta signo Crucis consecrare. Qui mos ab antiquis illis sæculis ad posteriora itidem peruenit.

*Cap. 10.*

Hinc Bulgari sciscitati sunt, ex Nicolao I. Vtrum liceat mensæ signaculum crucis adhibere, si desit Sacerdos aut Diaconus. Quibus respondit Pontifex; procul dubio licere. *Nam omnibus datum est*, inquit, *vt & omnia nostra hoc signo debeamus ab insidiis munire diaboli, & ab eius omnibus impugnationibus, in Christi nomine triumphare. Superest tantùm, vt cùm potior adest, inferior hoc sibi, nisi iussus, non audeat arrogare.*

*Nicolaus I. ad Consult. Bulg.*

Solenne

Solenne ergo fuit vt Presbyter, vel Diaconus, vel dignissimus inter cæteros cruce cibos benediceret: de quibus quicunq; sumerent, censebantur ei quoque, qui benedixisset, communicare in eadē religione. Colligitur id ex Gregorio Turonensi, qui narrat, cum in eadem mensa simul essent Sacerdos Catholicus & Hæreticus, noluisse Catholicum cibos attingere, quos Hæreticus cruce consignarat. Sed audiamus ipsum Gregorium; qui ait: *Semper Catholicorum inimica est Hæresis; & vbicunq; potuerit tendere insidias, non omittit; sicut illud est quòd quodam loco factum celebre fama refert. Mulier quædam erat catholica, habens virum hæreticum: ad quam cùm venisset Presbyter nostræ Religionis valde Catholicus; ait mulier ad virum: peto charitati tuæ, vt pro aduentu huius sacerdotis, qui me visitare dignatus est, lætitia habeatur in domo nostra; ac præparatum dignis impendiis prandium epulemur cum eo. Promittente aūtem viro eius, sic se, vt illa flagitabat, facturum, aduenit & alius Hæreticorum Presbyter, dixitq; vir mulieri: Duplicata est lætitia hodie, eo quod sint sacerdotes vtriusque religionis in domo nostra;* Turō. li. 1. Mir. c. 80. & li. 3 c. 1.

*Discumbentibus autem ad conuiuium, vir ille cum Presbytero dextra partis cornu occupat; catholicum ad sinistrum statuens, positaq; ad læuam eius sellula, in qua coniunx eius resideret: dixit vir ad Presbyterum Hæreticum: si consenseris dictionibus meis, exercemus hodie cachinnum de hoc Romanorum Presbytero, vt scilicet apposito ferculo tu celerius signare festines; cumq; ille manum non posuerit, illo tristante, nos cum lætitia comedemus cibum: cui ille, faciam, inquit, quod præcipis. Tumq; veniente disco cum oleribus signauit Hæreticus; posuitq; primus manum suam. Quod cernens mulier ait; Ne feceris, quia ingratè fero iniuriam sacerdotis Et exhibito alio cibo sumpsit catholicus. In secundo verò & tertio ferculo similiter fecit Hæreticus. Quarto autem exhibito, festinans Hæreticus priusquam ferculum illud vel mensam tangeret, eleuata manu signat, statimq; positum cochleare sumit; non intelligens an caleret; feruentemq; cibum velociter ingluuit protinus accenso pectore æstuare cœpit; & cum suspirio immenso nequam spiritum exhalauit; ablatusq; de conuiuio, locatus in tumulo terrenæ molis congerie est opertus. Tunc exultans Presbyter nostræ religionis ait, Verè vltus est Deus seruos suos; & conuersus ad virum ait: Periit huius memoria cum sonitu, & Dominus in æternum permanet. Tunc homo ille perterritus prouolutus ad pedes presbyteri, conuersusq; ad fidem Catholicam, credidit cum domo sua.* Hæc Gregorius Turonensis.

Ex prædictis perspicuum fit, antiquos non initio tantùm signaculum crucis benedicendi causa adhibuisse, sed quotiescunque bibituri erant, aut quoties nouum ferculum inferebatur. Mandat quoque S. Athanasius virgini Deo dicatæ, vt vbi sederit, panemque frangere inceperit, *ter eum consignet.* Theodosius Studita oblatum sibi ab Hæ- S. Athan. lib. de Virginit.

 retico

*Apud Bar. Tom. 9 anno Christi DCCC. XIX.* retico potum, non prius attigit, quàm Crucis signaculo ter super eum edito, vt ipsemet scribit in epistola ad Naucratium.

*S. Greg. lib. 1. Dial. c. 4.* Magni interesse Crucis signum iis, quæ esuri & bibituri sumus, imprimere, docet tristis casus Monialis cuiusdam apud S. Gregorium: *Quadam die*, inquit, *vna Dei famula, ex eodem monasterio Virginum* (cuius Equitius Abbas curam habebat) *hortum ingressa est, quæ lactucam conspiciens concupiuit, eamq́; signo Crucis benedicere oblita, auidè momordit; sed arrepta à diabolo protinus cecidit, cumq́; vexaretur, eidem Patri Equitio sub celeritate nunciatum est, vt veniret concitus, & orando succurreret, moxq́; hortum idem Pater, vt ingressus est, cœpit ex eius ore quasi satisfaciens ipse, qui hanc arripuerat, Diabolus clamare dicens. Ego quid feci? Ego quid feci? Sedebam ibi super lactucam; venit illa & momordit me. Cui cum graui indignatione vir Dei præcepit, vt discederet, & locum in omnipotentis Dei famula non haberet; qui protinus abscessit, nec eam vltra contingere praualuit.* Hæc S. Gregorius.

*Greg. lib. 1. Dial. c. 11.* Qui etiam refert, moris fuisse, panes dum pinserentur, Crucis figura insigniri. Et quid miraculi Martyrio Monacho euenerit, cùm hæc consignatio omissa fuisset; his verbis ostendit: *Dum quodam die Fratres*, (Martyrij Monachi) *panem subcinericium fecissent, eiq́; obliti essent Crucis signum imprimere, sicut in hac prouincia crudi panes signo signari solent, vt per quadras quatuor partiti videantur, idem Dei famulus adfuit, iisq́; referentibus, signatum non fuisse cognouit. Cumq́; iam panis ille prunis esset & cineribus coopertus, dixit, Quare hunc minimè signastis? Qui hoc dicens, signum Crucis digito contra prunas fecit: quo signante protinus immensum strepitum panis dedit, ac si ingens in ignibus olla crepuisset; qui dum coctus postmodum fuisset ab igne subtractus, ea Cruce signatus inuentus est, quam non contactus, sed fides fecit.*


*Ionas Scotus in Vita Eustasij apud Bedam.* Quidam fugitiuus & monachus, nomine Agrestinus, obiecit S. Eustasio crebram Crucis signationem, qua etiam *cochlearia* obsignabat, tanquam superfluam. *Deductum in medium* (Concilij Matisconensis) *Agrestinum depromere cogunt, quid contra regulam Columbani vel Eustasij obiiciendum haberet. Tum ille trementibus labiis assistens, & nihil auctoritatis vel elucubrati eloquij habens, ait; Superflua quadam & canonica institutioni contraria in eorum studiis teneri, cochleam videlicet, quam lamberent, Crucis signo crebro signari.* Subdit Ionas responsum S. Eustasij: *Nequaquam, ait, reor contrarium esse religioni, si cochleam quam Christianus lambit, vel quodcunq; vas, aut poculum Crucis signo munit, cùm per aduentum signi Dominici pellatur pestis aduersantis inimici.*



CAPVT

## CAPVT XIX.

### *Martyres adituri tyrannos, & tormenta subituri, signo crucis sese muniebant.*



TRIA hîc occurrunt quæ mirificè vsum signi crucis commendant & illustrant. Primò, Martyres coram tyrannis, & in ipsis tormentis signo crucis vsos. Secundò, crucis consignationem fuisse quandam fidei professionem. Tertiò. Martyres manibus in crucis formam expansis, tormenta & mortem excepisse. Quæ tria tribus capitibus ordine exequemur. Et hic de primo agimus: cuius tam pij moris passim multa occurrunt exempla.

Cæsarius S. Gregorij Nazianzeni germanus constantiam suam in fide Christi muniuit signo crucis, cùm ad Iulianum Apostatam fidei rationem redditurus vocaretur. *Ingrediebatur*, inquit Nazianzenus, *vir generosus, Christi signo communitus, clypeiq; vice magnum Verbum obtendens, ad hominem rei militaris peritissimum, ac dicendi facultate præstantem.* *Nazian. orat. in laudem Cæsarij.*

S. Gordius Centurio Cæsariensis, iam iam supplicium supremum obiturus, signo crucis se consignauit, vt testatur S. Basilius. *Basil. orat. in S. Gordian.*

De SS. quadraginta martyribus scribit S. Ephræm, quod crucis signum fecerint. *Isti autem in vno Crucifixi signaculo Christum in se quasi legis loco omnibus præscripserunt.* Ibidem: *Crucem signifera figura in mente gestabant.* De S. Tecla Virgine è prisco illo & aureo Martyrum æuo, ita Ado ex antiquioribus monumentis: *Capta ab apparitoribus, vt in focum iactaretur, sponte pyram ascendit, & signo crucis facto, virili animo inter medias flammas stetit, subitoq; facta inundatione pluuiarum, ignis extinctus est, & beata virgo illæsa, virtute superna erigitur.* *Ephram encomio in SS. 40. Martyres.* *Ado in Martyrol. 23. Sept.*

Sancti Nazarius, Geruasius, Protasius & Celsus, accepta mortis sententia, crucis signo se communierunt, & læti exierunt, *vt qui non ad mortem, sed ad vitam æternam vocarentur*, vt ait Metaphrastes. Idem fecerunt S. Flora & Maria Martyres, item S. Rodericus & Salomon Martyres Cordubenses, vt testatur S. Eulogius Archiepiscopus Toletanus. *Eulog. li. 2. Memorialis Sanctorum cap. 8. & in Apolog. SS. Martyrum tom 9 biblioth. PP.*

Simili armatura, muniit se non semel celeberrima illa Martyr Euphemia, de qua in Actis eius: *Postquam autem ipsæ machinæ dicto citius fuerunt constructæ, & Martyr in eas erat coniicienda, validis continuò in se paratis armis, nempe diuina crucis figura, & ea signata, aduersus rotas processit, nullam quidem vultu ostendens tristitiam.* Sic & Antipas, cuius in Apocalypsi meminit B. Ioannes, *coniectus in incensam bouis ærei machinam, crucis* *Ap. Sur. tom. 5.* *Ap. Sur. tom. 2.* *Apocal. 2.*

*crucis signo sese consignauit.* S. Tiburtius Martyr cùm carbones ardentes nudis pedibus pertranseundi essent, facto sanctæ crucis signo, illæsus pertransiit, vt habetur in Actis S. Sebastiani & sociorum.

*Ap. Sur. tom. 1.*

Sed quia plurimi sunt, qui in Martyrio subeundo se crucis signo consignarunt, aliquos ex tot hîc enumero, quorum Martyrij diem notare sufficiat; nam Acta apud Surium extant; vbi videre est; quanta id pietate fecerint, & quantum præsidij in hoc sacro signo reposuerint. Sunt autem isti. S. Iulianus. 9. Ianuar. S. Pontianus. 14. Ianuar. SS. Constantius & Crescentius. 29. Ian. S. Isidorus. 5. Febr. S. Maximinus. 6. Febr. S. Alexander miles sub Maximiano. 13. Maij. S. Sophia, & filiæ Fides, Spes, & Charitas. 1. Aug. S. Paulus & Iuliana sub Aureliano Imperatore. 17. August. S. Cyprianus & Iustina. 26. Septembr. S. Demetrius. 8. Octobr. S. Eulampius. 10. Octobr. S. Benignus. 1. Nouembr.

Imò Martyrium adituri à sanctis viris & Presbyteris petebant, vt ab iis signo crucis ad tam arduum certamen armarentur. S. Corebo S. Eleutherium, à quo conuersus ad fidem fuerat, alloquitur his verbis: *Ora pro me, & me arma his armis, nempe Christi signaculo, quibus ducem exercitus muniuisti Felicem. Sic ergo Corebo armatus à Martyre, & protinus iniectus in clibanum*, vbi illæsus fuit ab igne. Idem confirmatur ex Actis Glyceriæ Martyris, quæ in carcerem coniecta Philocrati Presbytero dixit: *Signa me Christi signo, &c. Ad hæc Philocrates Presbyter: Signum, inquit, Christi vota tua compleat.*

*Ap. Sur. 18. April.*

*Ap. Sur. tom. 3.*

Neque hoc prætereundum, quòd à crucis figura, qua Martyres consignabantur, duxerint firmissimum argumentum sese inuicem exhortandi ad omnes cruciatus pro nomine Iesu Crucifixi tolerandos. Sic eadem nobilissima virgo Glyceria, filia illustrissimi viri, tertium Consulis, iam coronæ Martyrij, sub Antonino Pio, propinqua, ita suos appellat, vt habent eius Acta, quæ Baronius fidelissima appellat: *Fratres, sorores, filij, patres, & quæcunque matris loco mihi estis, videte & vobis cauete, ac diligenter animaduertite, qualis est Imperator ille, cuius characterem habemus, & quali forma in fronte signati sumus.*

*Baron. tom. 2.*

Iure ergo Gregorius Turonensis: *Martyres ea quæ vicerunt, non suis viribus, sed Dei hæc auxiliis per signaculum crucis gloriosissimè peregerunt, in quibus ipse Dominus & dimicat & triumphat.* S. Ephram: *Cruce thoracis loco amicti milites Christi, sancti Martyres quascunque artes & adinuentiones, audaciamque tyrannorum superarunt ac destruxerunt.* S. Chrysostomus: *Cùm signum ceperis, sis miles paratus, & contra diabolum trophæum erigens, iustitiæ coronam capias.*

*Turon. li. 1. mirac. cap. 107.*

*Ephram serm. de S. Cruce.*

*Chrys. hom. 21. ad pop. Antiochen.*

Alta

Alta mente fixum habebant omnes Martyres, hoc verum verbum S.Cypriani: *Nec timetur mortis periculum, vbi tantæ reuerentiæ conspicitur signum.* Sancti Carpus & Papylus cum sociis, sub Decio Martyres, cùm sisterentur tribunali, audita iudicis oratione, *oculis in cœlum sublatis,* (inquiunt Acta) *cùm se Christi signaculo muniissent, dixerunt, Scias te non incidisse in viros pusilli, & abiecti animi.*

*Cypria. de natiuit. Christi.*

*13. April. apud Surium.*

## CAPVT XX.

*Crucis consignatio, Christianæ fidei professio erat.*



SANCTVS Cyprianus vrgente funesta persecutione, quæ passim Christianos inuoluit, dum Thibaritanos ad Martyrium exhortatur, inter alia arma, quibus eos munit, commendat signum crucis. *Muniatur frons*, inquit, *vt signum Dei incolume seruetur: muniatur os, vt Dominum suum Christum victrix lingua fateatur.* Vult S. Martyr, vt Martyres frontem in Baptismo cruce insignitam, crucis signo obarment, hacque ipsa consignatione admoniti tueantur, & profiteantur intrepidè fidem Christi. Nam crucis obsignatio Christianæ fidei verè quædam professio est, toties à Martyribus ad crucis gloriam vsurpata. Docent id Acta Glyceriæ illustrissimæ virginis, ad quam Præses: *Age lampadem sumens Ioui sacrifica. Minimè, inquit Glyceria, æterno Regi & Deo lampadibus fumum emittentibus opus est. Sed iube ipsas extingui, vt sacrificium meum non labefactetur: Iussit igitur Præses, & extinctæ sunt lampades; quibus extinctis, sancta illa fœmina Glyceria pectus temperantia & fortitudine præcinctum habens, oculos ad cœlum intendit, & manu ad populum extensa, Videtísne, inquit, illustrem hanc lampadem in fronte mea inscriptam? Cumq; hæc diceret, crucem Christi ostendit,* &c. *Tunc Præses eam in fornacem ignis coniici iussit. Accensa igitur fornace, sancta mulier crucis signo seipsam muniuit ac dixit, Scripsi ac pronunciaui confessionem tuam coram Angelis & hominibus,* &c. *Et cùm in fornacem coniecta esset, repentè ros è cœlo demissus flammam extinxit.*

*Cypr. epist. 56. edit. Pamelij: quem hic vide.*

*Ap. Sur. tom. 3.*

Deinde fidei Christianæ professionem quandam fuisse crucis consignationem, colligimus ex his S. Augustini verbis: *Si dixerimus Catechumeno, Credis in Christum? Respondet, Credo; & signat se cruce Christi: portat in fronte, & non erubescit de cruce Domini sui.* Vnde S. Ambrosius cùm reddidisset rationem, quare in fronte nos signemus, nimirum vt Christum liberè profiteamur, subiungit: *Luceat ergo imago eius in confessione nostra, luceat in dilectione.* Verè enim signum crucis, signum fidei in Crucifixum est. quod insinuat S. Augustinus cùm ait: *Credant omnes Christo, & signentur in eius nomine, qui salui esse cupiunt.* Et S. Ambrosius

*Aug. tract. 11. in Ioan.*

*Ambr. de Isaac cap. 8.*

*Aug. in expos. epist. ad Rom. inchoata.*

Cant. 2. Ambr. de Isaac cap. 4.

sius apertè ait, ideo in nobilissima faciei parte signum crucis figi, vt sit confessio fidei; & huc refert illa verba: *Ostende mihi faciem tuam.* *Hortatur* Deus *ad confidentiam*, inquit S. Ambrosius, *vt non erubescat crucem Christi, nec eius signaculum, hortatur ad confessionem.*

Aug. in Psa. 93.

Quod crucis signum tum formauerint, quando se volebant profiteri bonos Christianos, illustre testimonium habemus apud S. Augustinum his verbis: *Cùm vndiq; mali perstrepant & dicant, Quare sic viuis? tu solus Christianus es? Et tu signas te, & dicis, Christianus sum, vt repellas istos nescio quos.* Sanctos Martyres legimus, cùm se vellent Christianos profiteri, signum crucis efformasse. Sic Stratonicus vnus è tortoribus, qui S. Iulianam excruciabant, repentè conuersus, signansque se signo crucis ait, *En & ego Christianus sum.* Susanna sub Diocletiano Martyr, Consignans pectus suum dixit, *Ego Deo meo meipsam cupio sacrificium offerre.* Non aliò respexit, quàm ad crucis consignationem, quæ professionis Christianæ admonet, cùm ait S. Zeno Veronensis Martyr: *Frontem meam tutor, & fidem meam noui.*

Apud Sur. 17. & 11. Aug.

Zeno serm. 6. ad neophytos. tom. 2. biblioth. PP.


Ambr. epist. 83. Aug. in Psa. 68. Paulin. lib. 2. de vita S. Martini.

Huc pertinere intelligo similia dicta Sanctorum Patrum, vt S. Ambrosij: *Super limen ostij nostri sacræ redemptionis confessio resplendeat.* Et S. Augustini: *Quid times fronti tuæ, quam signo Christi armasti?* Et S. Paulini:

*Proferret totum Domini frons libera signum.*

## CAPVT XXI.

### *Martyres in suppliciis orasse manibus in crucis formam expansis.*



ARTYRES coram tyrannis palam hoc habitu orationes ad Deum fuderunt, testantes hoc ipso se Crucifixi cultores esse, quem corporis gestu referrent. Fecit hoc S. Fructuosus Episcopus Tarraconensis, cum S. Augurio, & S. Eulogio Diaconis, qui in mediis flammis, spectante theatro, manus in crucis formam extendentes, orarunt. Quod vt possent, insigni id Deus effecit miraculo: nam vincula, quibus post terga manus erant reuinctæ, igni exusta deciderunt, cùm tamen illæsæ à flammis manus essent. Quæ omnia eleganter describit Prudentius:

Prudent. περὶ στεφ. Hym. 6.

*Hæc inter, rapidis focos crepantes*
*Intrant passibus, & minantur ipsi*
*Flammarum trepidantibus caminis.*
*Nexus deniq; qui manus retrorsus*

In

*In tergum reuocauerant reuinctas,*
*Intacta cute decidunt adusti.*
*Non ausa est cohibere pœna palmas,*
*In morem crucis ad Patrem leuandas:*
*Soluit brachia quæ Deum precentur.*

Eusebius de quodam Christiano adolescente bestiis obiecto, hæc habet: *Vidisses adolescentulum, non viginti annos integros natum, nullis constrictum vinculis, firmiter consistentem, manibus in Crucis modum è transuerso expansis, robusta, & excelsa mente in precibus ad Dei numen fundendis ardentissimè defixum, neq; omnino se commouentē, neq; in hanc vel illam partem, de loco, in quo steterat, deflectentem, idq; cùm vrsi & pardi furorem & mortem in eum exhalarent, cumq; iam eius carnem dentibus lacerare aggrederentur, quorum ora diuina quadam & inexplicabili potentia, nescio quo pacto fuêre prope obturata, & iterum ipsi retrò properè recurrerunt.* *Euseb. lib. 8. Ecclesi. hist. cap. 7.*

S. Agnes in mediis flammis manus in crucis figuram expandit, vt scribit S. Ambrosius: *Tendere,* inquit S. Ambrosius, *Christo inter ignes manus, atq; in ipsis sacrilegis focis tropheum Domini signare victoris.* Idem: *Beata Agnes expandens manus suas in medio ignis, his verbis orationem fudit ad Dominum: Omnipotens, adorande, colende, tremende Pater Domini nostri Iesu Christi, benedico te, quia per filium tuum vnigenitum euasi manus hominum impiorum, & spurcitias diaboli impolluto calle transiui. Ecce & nunc rore cœlesti perfusus per Spiritum sanctum focus iuxta me moritur, flamma diuiditur, & ardor incendij huius ad eos, à quibus in me ministratur, effunditur.* *Ambr. lib. 1. de Virginibus.* *Ambr. de passione S. Agnetis.*

Equidem hanc manuum in modum crucis extensionem fuisse solennem, talique gestu Christianos professos esse se Crucifixi cultores, discimus ex Minutio Felice, qui Ethnicis obiicit, quòd & ipsi manibus passis, & in crucis figuram expansis, eas solennes verborum formulas soleant passim vsurpare, quibus vnum tantùm esse Deum fateantur; adeoque hoc similes esse Christiano *Confitenti*, confitenti, inquam, non plures, sed vnum Deum esse: quem Christiani colunt, & coram tyrannis inter exquisita tormenta hanc suam professionem manibus in crucis formam expansis obsignant. *Vulgus,* inquit Minutius ad Ethnicos, *cùm ad cœlum manus tendunt, nihil aliud quàm Deum dicunt: &, MAGNVS EST: &, DEVS VERVS EST: &, SI DEVS DEDERIT. Vulgi iste naturalis sermo est, an Christiani confitentis oratio?* *Minut. in Octauio.*

Quid quòd Deus voluit in veteri Testamento esse, qui hac manuum in formam crucis extensione præiret, prænunciaretque habitum, tam Christi in cruce, quàm Martyrum pro crucis gloria mor-

Mach.2.cap.7. tem oppetentium. Notus eſt in libris Machabæorum, qui *manus conſtanter extendit.* Quem in crucis figuram manus extendiſſe obſeruauit S. Cyprianus Martyr, qui ait: *Manus quoq; amputandas conſtanter extendit, multum beatus genere iſto ſupplicij, cui contigit, extenſis ad pœnam manibus, paßionis Dominicæ inſtar imitari.*

Cypr. de exhortat. Mart. c. 11.

## CAPVT XXII.

### *Veteres prælium cum hoſtibus ingreſſuri, aut cum hæreticis diſputaturi ſigno crucis ſeſe muniebant.*



MILITES decertaturi, & cum hoſtibus manus conſerturi; cruce ſe ſignabant. Teſtatur hoc Prudentius, cùm de exercitu Romano, Duce Stilicone, cum Gotthis, quorum Dux Alaricus erat, conflicturo, ait, nobiliſsimam illam victoriam ad Pollentiam non fuiſſe obtentam, Ioue auſpice, ſed beneficio Chriſti:

Prud. li. 2. contra Symmach.

*Dux agminis Imperiiq;*
*Chriſtipotens nobis iuuenis fuit, & comes eius*
*Atq; parens Stilico. Deus vnus Chriſtus vtriq;*
*Huius adoratis altaribus, & cruce fronti*
*Inſcripta, cecinere tubæ.*

Paulò pòſt:

*Illic ter denis gens exitiabilis annis,*
*Pannoniæ pœnas tandem deleta pependit.*

De Theodoſio Magno, cum Eugenij copiis dimicaturo, ſcribit Oroſius his verbis: *Sciens ſe eſſe non ſolùm ſigno crucis tuendum, ſed & victoriam adepturum, ſigno crucis ſe muniens, ſignum prælio dedit, ac ſe in bellum, etiamſi nemo ſequeretur, victor futurus immiſit.* Quæ Oroſij verba accipi poſſunt, non modò de cruce, toti exercitui prælata; vt diximus libro ſecundo; ſed etiam de ſignaculo crucis, quo Theodoſius priuatim ſeſe contra belli impetum armauerit.

Oroſ. lib. 7. c. 35.

S. Martinus, cùm poſtridie prælium inſtaret, intrepidè aiebat, vt habet S. Paulinus:

S. Paul. lib. 2. de Vita S. Mart. & Sulpit. lib. de Vita S. Martini.

*Primus ego abiectis præcedens agmina telis,*
*Non arma arripiens hominis, ſed ſigna ſalutis,*
*Tegmine nec fidens clypei, ſed nomine Chriſti,*
*Atq; crucem fronti auxilium pro caſside ponens,*
*Intrepido cunctis occurram corde periclis.*

Cho-

Choniates: ἀσπιδηφόροι πάντες καὶ μαχαίρας ἀμφήκεις ἐγχειριζόμενοι καὶ ἀτεχνῶς ἀνδριάντες χάλκεοι. κἀκεῖσε εἰς τάξιν τὸ περὶ αὐτὸν καταστήσας ὁ Καῖσαρ καὶ τῷ σταυρικῷ σημείῳ φραξάμενος, τῶν ἄλλων προεκπηδᾷ. *Omnes clypeos & longos ancipites enses gestabant, planè aneis statuis similes. Ibi Cæsar acie instructa, signo Crucis munitus, ante alios prosiluit.* Chon. in Alexio Comn. F. cap. 7.

S. Ambrosius: *Scit exercitata mens, quos ad prælium consummandum sibi adhiberet, quibus armis instrueret, quibus ducat vexillis. Non aquilarum præfert imagines, nec dracones, sed in cruce Christi, & in Iesu nomine progreditur ad prælium, hoc signo fortis, hoc vexillo fidelis.* Amb. lib. 2. de Abraham, c. 7.

De exercitu Andronici Iunioris in Asia conflicturo, hæc Ioannes Cantacuzenus, σταυρῷ τε καθοπλίσαντες ἑαυτοὺς ἐχώρουν κατὰ τῶν Βαρβάρων. *Cùm se Cruce amassent, in Barbaros ibant.* Cant. lib. 2. hist.

De S. Austregisilo habent eius Acta quod se Crucis signo munierit, cùm à rege indictum duellum cum calumniatore instaret. Apud Surium 20. Iun.

Non possum non dare spectandum hîc duellum, quod S. VVenceslaus Rex Bohemiæ, & Martyr, contra Radislaum regni inuasorem iniit, vt refertur à Ioanne Dubrauio, Olomucensi Episcopo. *Loriculam super cilicinam vestem indutus paruoq́ ensiculo succinctus erat VVenceslaus, cùm in arenam prodiret. At Radislaus cataphractus hastatusq́ contrà se inferebat; erecta vtrinque acie ad noua rei spectaculum. Nouum enim esse videbatur, vt ipse VVenceslaus pro imbelli habitus, componere se cum bellatore auderet. Vbi sub ictum ventum est, alter signo Crucis frontem pingit, alter hastam vibrare festinat, idemqúe subitò Angelos videt, atque hanc vocem velut ab homine promptam ponè se exaudit: Ne feri. Ac nemine conspecto, qui illam emiserit, vim numinis fauore propitio VVenceslaum prosequentis veritus, humi procumbit.* Dubrau. histor. Bohem. lib. 4. & 5. Apud Surium tom. 7.

Solenne fuisse vt cruce se armarent in conflictu, colligimus ex his verbis Arnobij, qui illud Psalmi: *(Docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum)* ad hunc morem refert. *Docuit,* inquit, *digitos nostros ad bellum, vt dum bellum siue visibilium, siue inuisibilium senserimus hostium, nos digitis armemus frontem triumpho crucis.* Nicetas Choniates de fortissimo milite, qui in arcis munitissimę oppugnatione primus scalas conscendit: Πρῶτος οὖν ὁ Πυπάκης τὸ σημεῖον τοῦ σταυροῦ διατυπώσας ἐν ἑαυτῷ, τῆς ἀναβάσεως ἄρχεται. *Primus igitur Pupaces cùm se cruce signasset, ascensum auspicatur.* His testimoniis probatum sit moris fuisse, vt milites decertaturi signarent se cruce, qui etiam tunc DEVM, & CRVCEM, & CRVCIS VICTORIAM solenni & militari more inclamabant, teste Leone Imperatore, qui militibus præcipit: *Omnes Deo consecrentur: verbis factisq́ persuadeantur se Deum adiutorem habere; atque hoc modo ad bellum puros, sinceros, alacresqúe procedere.* Arnob. in Psal. 143. Chonia. in Manuele Comneno lib. 2. cap. 4. Leo libr. de apparatu bellico cap. 7. §. 74. & cap. 12. §. 69. & 106. & cap. 14. § 1.

Quod ad disputationem cum Hæreticis attinet; S. Porphyrius

Episcopus Gazensis, disputaturus cum muliere quadam Manichæa, linguam Crucis signo munit, vt habetur in eius vita. S. Cyrillus idem faciendum monet, cùm disputaturi sumus cum crucis aduersariis: *Accipe arma contra aduersarios huius crucis, trophæum statuas, fidem crucis, aduersus contradicentes. Cùm enim de Domino cruceq; contra infideles quæstio tibi erit; prius statue manu tua signum, & obmutescet contradicens: non pudeat crucem Christi confiteri, Angeli enim gloriantur dicentes, Iesum quæritis crucifixum, &c. Corona enim est crux, & non ignominia.*

Cyr. catech. 13.

Monet quoque S. Epiphanius, vt si quando incidamus in hæreticos, hæreticorumque libros, signum Crucis, tanquam clypeum, aduersus tela venenata obiiciamus: *Te*, inquit Epiphanius, *lectorem adhortamur, vt legas ac condemnes & transilias, vt ne incidas in venenum improbitatis horum reptilium, sed etiamsi aliquando in aliquos ex Serpentaria illa sibola incidas, statim arrepto ligno per Dominum nobis parato, in quo Dominus noster Christus affixus est, contra caput Serpentis dicas; Christus crucifixus est, pro nobis, effigiem nobis relinquens salutis.*

Epiph. hær. 26.

## CAPVT XXIII.

***Concionaturi, vel de re quapiam collocuturi; item Ecclesias, vel alias ædes ingressuri & egressuri, nec non ad Scripturas sacras, orationesq; in Ecclesia recitari solitas, cruce se consignabant.***



FORMABANT Crucem, quando ad circumstantem multitudinem verba facturi erant. Corippus de Iustino Iuniore, cùm iam iam Imperatorio diademate redimitus esset, & ad Senatum populumque verba facere vellet:

Corip. in laud. Iustini lib. 2.

*Ipse coronatus solium conscendit auitum,*
*Atque Crucis faciens signum venerabile, sedit.*
*Erectaq; manu, cuncto præsente Senatu,*
*Ore pio hæc orans ait.*

Infrà:

*Egreditur cum luce noua, frontemq; serenam*
*Armauit, sancti faciens signacula ligni.*

Quibus verbis innuere videtur, Iustinum Cruce, quam manu tenebat, Crucis signum efformasse. Nam Imperatores Orientis semper Crucem gestare consueuisse, testis est Curopalata: *Dextra manu tenet Crucem, prout moris est teneri à Rege, quando coronam gestat.*

Curopal. de off. palat. Constan.

Episcopos concionaturos, signum Crucis fecisse ad hæc verba, PAX OMNIBVS, ex eo coniicio, quòd sciam hæc solennia fuisse verba Epi-

Episcopi benedictionem dantis, quæ vix sine signo Crucis conferebatur, vt alibi ostendimus. S. Chrysostomus: *Mox atq; Præsul Ecclesiæ ingreditur, dicit:* PAX OMNIBVS. *Quando concionatur, dicit:* PAX OMNIBVS. Ad quæ verba signum Crucis fuisse expressum, apertè habemus in Liturgia Marci Euangelistæ: *Populũ cruce signat sacerdos, dicens, Pax omnibus.* Hinc S. Methodius Episcopus Patarensis & Martyr concionem suam vocat *nauem sermonis, crucis signaculo insignitam.* ἀλλ' αὐτοῦ που τοῖς προσόρμοις καταπαύσωμεν τὴν σταυροφόρον ὁλκάδα τοῦ λόγου διὰ τὸ σύμμετρον τῷ ἱστίῳ χαλάσαντες. *Cæterùm hîc nauem nostri sermonis, crucis signaculo insignitam, tanquam in portum appellentes, vt modus iam ratioq; eius postulat, velis contractis quiescere sinamus.*

Chryſ. in 1. Col. hom. 3.
Ext. tom. 6. Biblioth. SS. PP.
Method. homil. de Simeone & Anna, quo die sibi in templo occurrerunt. Ex editione Petri Pantini.

Neque solum concionaturi, sed & de re quapiam grauiore tractare volentes, cruce signabantur. S. Zenobius Florentinus Episcopus, cuius virtus sub Iuliano Apostata enituit, cùm parentibus iratis factum suum probare vellet, quibus insciis baptismum susceperat, *signo crucis edito,* inquit Ioannes Archipresbyter Aretinus, *pios in cœlum oculos sustulit: cuius linguæ sanctus Spiritus tantã extemplò eloquij vbertatem infudit, vt parentes ipsius, impio furore deposito, eum, quem paulò antè in filio baptismum culpauerant, ipsi mox nuda humo prostrati ad pedes sacri Antistitis contenderent.* S. Cyrillus Hierosolymitanus: *Fac hoc signum, & loqueris.*

Apud Surium 25. Maij.
Cyril. 4. catech. illumin.

Cùm templum ingredimur, ante omnia cruce nos consignamus. Ita instituunt liberos suos pij parentes: quod exemplo prisci & sancti illius æui se facere sciant. Morem hunc asserit S. Augustinus: *Intras Ecclesiam, signas te signo crucis Christi.* Neque mirum veteres, cùm templum pietatis causa subissent, crucem formasse, qui id fecerunt, perenni & constanti consuetudine, etiam cùm quascunq; ædes intrarent. *Multi thermas ingressi, cùm primùm fores transcenderint, signantur: hoc nouit manus, vel nullo iubente, & ex consuetudine facere* ait S. Chrysostomus, qui & ab hoc Christianorum more se signandi in ædium introitu, ducit dilemma in eos, qui ad Synagogas Iudæorum clam commeare, & diabolica arte, pactoque imbutas ligaturas ab illis accipere solebant. *Et quo modo,* inquit, *ingredieris Synagogam? Si signaueris frontem tuam, illicò fugiet praua potestas Synagogam inhabitans: sin verò non signaueris, in ipsis foribus protinus arma abiecisti; mox nudum & inermem abreptum diabolus malis innumeris afficiet.*

Aug. tract. 50. in Ioan.
Chryſ. hom. 27. ad Antioch.
Chryſ. orat. 5 in Iudæos.

Aedes egressuri formabant crucem antiqua pietate viri: quod, qua verborum formula facere deberent, docet idem Chrysostomus: *Sine verbo hoc nunquam in forum prodeas, sed cùm es ianuæ vestibula transgressurus, hoc prius loquere verbum:* ABRENVNCIO TIBI SATANA, ET CONIVNGOR TIBI CHRISTE. *Nec vnquam absque hac voce exeas. Hæc erit tibi baculus, hæc armatura, hæc turris inexpugnabilis. Cum hoc verbo & crucem in frontem*

Chryſ. 21. ad popul. Antioch.

*frontem imprime. Sic enim non tantùm homo occurrens, verùm nec ipse diabolus te quidquam lædere poterit, cum his te cernens armis vbique apparentem. Et hæc te ipsum iam hinc doce, vt cùm signum ceperis, sis miles paratus, & contra diabolum trophæum erigens, iustitiæ coronam capias.*

Populus Christianus in Ecclesiis olim vnà cum clericis cantauit, sacerdotique respondit; quin & benedictionum, orationum, & quæ ex sacra Scriptura recitabantur capitum, finem excepit, solenni acclamatione huius vocis, AMEN. *Si benedixeris spiritu*, ait S.Paulus, *qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem?* S.Hieronymus: *Ad similitudinem cælestis tonitrui, Amen, reboat.* Tertullianus: *Quale est de Ecclesia Dei in diaboli Ecclesiam tendere? Ex ore, quo Amen in sanctum protuleris, gladiatori testimonium reddere?* S.Augustinus: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Sic arguit in scripturis sanctis vox diuina Iudæos. Habet enim magnam vocem Christi sanguis in terra, cum eo accepto ab omnibus respondetur, Amen. Hæc est clara vox sanguinis, quam sanguis ipse exprimit ex ore fidelium eodem sanguine redemptorum.*

*Hier. præfat. in epist. ad Galat. lib. 2.*

*Tert. de spectac. cap. 25.*

*August. lib. 12. cōtra Faustum cap. 10.*

Ad hanc igitur solennem Ecclesiæ vocem, *Amen*, cruce omnes se signare solebant, Colligo id ex S.Augustino: *Signent se omnes signo Crucis Christi; respondeant omnes, Amen.* Clarius alibi hunc morem asserit ad Donatistas scribens, qui ægrè ferentes se edictis Imperatoris coërceri, contendebant nihil in religione vlla à Principe debere vel præpediri, vel prædicari. Hos Augustinus suo ipsorum facto conuincit, quòd scilicet more Ecclesiæ Catholicæ responderent, *Amen*, seq; cruce consignarent lecto sacræ Scripturæ capite, in quo Nabuchodonosor proponit edictum, & prædicat religionem Iudæorum, & mortis condemnat quicunq; contra diceret blasphemiam. *Si iussiones Regum*, ait Augustinus, *non pertinent ad prædicandam religionem, & sacrilegia prohibenda, quare ad edictum Regis talia iubentis etiam ipsi vos signatis? An ignoratis verba Regis esse, Regi Nabuchodonosor ostendi signa & ostenta, quæ fecit mihi Dominus Deus excelsus, placuit mihi in conspectu meo annuntiare, quàm magnum & potens sit regnum eius, regnum sempiternum & potestas eius in secula seculorum? An cùm hoc audieritis, non respondetis, Amen: & hoc dicto clara voce ad edictum Regis vos in sancta solennitate signatis?*

*Aug. tract. 5. in Ioan. epist.*

*Aug. epist. 190. ad Donatistas.*

Exstat fragmentum de ritibus veteris Ecclesiæ, sub nomine Caroli Magni, in quo præter alios mores Ecclesiasticos hic etiam legitur, qui hodieque obtinet: *Diaconus* (cantaturus Euangelium) *Crucem in fronte ponit: vt ostendat se illius disciplinæ esse, qui Crucem pro totius mundi salute sustinuit. Deinde in pectore, vt omnis vana & immunda cogitatio ab eius corde pellatur, salutat & populum, dicens: Dominus vobiscum. Ad cuius salutationem populus Crucem in frontibus ponit; vt à malis cogitationibus corda sua emundet, & ad intelli-*

*Impress. Antuerp. M.D.LX.*

*intelligenda verba salutis pura permaneant. Lecto Euangelio iterum se signo Crucis populus munire festinat, vt quod ex diuinis eloquiis ad salutem percepit, signo Crucis signatum atque munitum permaneat.*

## CAPVT XXIV.

### *Blasphemia aliòue quopiam verbo iniurioso, vel impio audito Christiani signabant se: item quando admiratione afficiebantur.*



ESTATVR S. Augustinus, Christianos, suo tempore, cùm blasphemiam in Christum audirent, pectora tundere solitos: *Horremus*, inquit, *Iudaeos, quia dixerunt Domino nostro Iesu Christo, Daemonium habes. Et quando audimus Euangelium recitari, tundimus pectora nostra.* Neque tantùm pectus tundere, sed etiam signo Crucis se se consignare solebant, teste eodem sanctissimo Patre: ex quo discimus eo tempore solenne fuisse Christianis, vt cruce se obsignarent, si quando blasphemum, vel impium quid effundi audiuissent, vel si animaduertissent ab aliis ea dici suaderiue, quæ Christianum nomen vllo modo dedecere videbantur. Verba S. Augustini hęc sunt, iam alibi copiosius citata: *Cùm vndique mali perstrepant, & dicant, Quare sic viuis? Tu solus Christianus es? Quare non facis quod faciunt & alij? Quare non spectas, quemadmodum & alij? Quare non Remedia & Ligaturas adhibes? Quare non Mathematicos & Aruspices consulis, sicut & alij? Et tu signas te; & dicis, Christianus sum; vt repellas istos nescio quos.*

*Aug. in Psal. 48.*

*Aug. in Psal. 95.*

Hic mos etiam hodie durat. Nam si quippiam insolens, vel temeritate præceps & periculo plenum, vel impiè & blasphemè gestum dictumue videamus vel audiamus, illicò admirabundi pariter indignabundique signum Crucis exprimimus; hoc ipso significantes, nobis ea displicere, nosque rei nouitate commoueri, vel perterreri tanta impietate. Hinc illud apud Germanos: Er hat sich creutzigt vnd gesegnet. Item: Ich hab mich nit genug können vercreutzigen. Cùm quis nimirum summam admirationem & nouitatem dicti factiue vult indicare: quòd nimia admiratione perculsi, signum Crucis formare soleamus. Quem morem illustrat, quòd aliæ gentes solenne habuerint, frontem manu tangere vel percutere, vel circulos in aëre effigiare, si quando insolitæ rei admiratione tenerentur. Nonnus:

*Nonn. paraphr. in cap. 1. Ioan.*

Ναθαναὴλ δ' ὀλόλυξεν ἔχων ταχυπειθέα βουλὴν,
Θαύματι πιστὰ μέτωπα θεουδέϊ χειρὶ πατάξας.
Ῥαββὶν, ἐπουρανίων ἀδύτων ὑψίθρονε ποιμὴν,
Ἰσραὴλ σὺ φίλοις βασιλεύς.

*Nathanaël autem habens credulum consilium, fidelem frontem, præ admiratione, manu pia percutiens, exclamauit, Rabbi altisedens pastor recessuum cœlestium, tu es Rex Israël.*

Christiani itaque hanc consuetudinem tangendi frontem in admiratione ita retinuerunt, vt pietate quadam conuestirent nudum morem, volueruntque frontem signo Crucis consignare.

*Aristæn. lib. 2. epist. 14.* Aristænetus. σὺ δ' ὡς τὸ σὸν ἑώρακας μελισσάριον, ὥσπερ εἰς σύμβολον χρονίου θεάματος μεθ' ἡδονῆς τὸν δάκτυλον ἀνατείνας ἀσμένως αὐτὸν περιέστρεφες ἠθικῶς. *At tu, simul tuam Melissarium vidisti, velut indicium exspectatæ diu visionis, digitum cum voluptate protensum libenter, & eleganter in orbem vertisti.* Hoc ipsum hodie etiam nonnullis vsitatum videas. Sed inualuit pariter illa altera formandæ Crucis consuetudo. Sed hæc sufficiant de more se signandi in admiratione. Hic præcipuè ostendimus, Christianis vsitatum fuisse, vt crucis munirent se signo, vbi vlla blasphemiæ, vel impietatis species in rebus aut verbis fuisset obiecta.

Cuius moris illustre testimonium suppeditat S. Eulogius Archiepiscopus Toletanus, & Martyr, qui narrat de auo suo, eum cùm audisset Mahometanos è turribus suas blasphemias & deliria Machometi declamātes, consueuisse fronti signum Crucis imprimere. Verba S. Eulogij hæc sunt: *Machomet delubra, in quibus pessimum dogma suum coleretur, extruxit, constituens in vltimo idololatriæ situ turrem altiori pinnaculo, ceteris ædibus prominente, ex qua populis veneno nequitiæ illectis, sacrilegi furoris concionaretur decretum. Quod hodie suæ impietatis sacerdotes ab illo edocti obseruant: ita vt more aselli diffusis mandibulis, impurisq; patentibus labiis, horrendum præconium non prius emittant, quàm obseratis vtroque digito auribus. Quod aliis exequendum annunciant, quasi quoddam edictum sceleris, id ipse eorum propheta audire nō patitur. Quem impietatis ruditum dum diuæ memoriæ auus meus Eulogius aure captaret, ferunt, cùm continuo vexillo Crucis frontem præmuniisset, cum gemitu hunc Psalmum solitum fuisse cantare: Deus quis similis tibi? Ne taceas, neque sileas Deus; quoniam ecce inimici tui Domine sonuerunt.*

*Eulog. in Apolog. SS. Martyrū extat tom. 9. Biblioth. PP.*

Apud S. Ephræm Syrum dignum quid obseruatione est. Audito consilio quopiam noxio prauoque, solebant aures signo Crucis obsignare. Quod ille fecit, qui apud S. Ephræm his verbis malum consiliarium alloquitur: *Despicio itaque consilium tuum nefarium, ob patris mei reuerentiam, animæq; meæ salutem; auresq; meas preciosæ Crucis signaculo obsigno, ne amplius intret in aures meas verborum tuorum virus.*

*Ephram de Virtute cap. 7.*

Ad iniurias & acerba vel contumeliosa verba, si quę inimico animo fuissent ab aliis effusa, veteres se Cruce signauerunt, teste S. Chrysostomo: *Vituperando quis te persequitur, Crucis signo statim pectus signato; recordare omnium, quæ tunc gesta sunt* (in passione Christi) *& confestim omnia extinguuntur.*

*Chrys. hom. 88. in Matth.*

Quia

Quia verò capitis huius initio mentio incidit de tunsione pectoris, non abs re erit hic annotare, quod à S. Augustino proditum legimus, videlicet Christianos olim ita fuisse affectos, vt vel audito duntaxat verbo *Confiteor*; quamuis in alia, quàm peccata agnoscendi significatione sumpto, pectora tunderent. Testis D. Augustinus, qui hæc ad suos auditores, super illa verba Euangelij: *Confiteor tibi pater, etc. Hinc admonenda fuit charitas vestra, Confessionem non esse semper vocem peccatoris; quia mox, vt hoc verbum sonuit Lectoris, secutus est etiam sonus tunsionis pectoris vestri. Audito scilicet quod Dominus ait, Confiteor tibi pater. In hoc ipso quod sonuit, Confiteor, pectora vestra tutudistis. Tundere autē pectus quid est nisi arguere quod latet in pectore, & euidenti pulsu occultum castigare peccatum? Quare hoc fecistis, nisi quia audistis, Confiteor tibi Pater. Confiteor audistis: quis est qui confitetur non attendistis. Nunc ergo aduertite.* Et subdit, *Confiteri* hic sumi pro *Laudare*; & sic Christum, qui sine peccato erat, *Confiteri*; alio scilicet sensu huius verbi, quàm illo ad quem Christiani pectora solent tundere. *Aug. serm. 8. de Verbis Domini.*

Est autem tunsio pectoris argumentum contritionis. *Quomodo frangis,* inquit S. Augustinus, *quomodo conteris cor tuum confitendo, puniendo peccata tua? Quid aliud significat pectorum tunsio? nisi fortè putamus, ossa nostra aliquid peccasse, cum cadimus, & tundimus pectus, sed significamus, nos cor contere-re, vt à Domino dirigatur. Sanat enim contritos corde.* *S. Aug. in Psal. 146.*

Tunsionibus & planctui pectoris additam aliquando Crucesignationem non videtur in dubitationem vocandum. Eleusius de S. Theodoro Siceota in eius Actis. *Veneranda Crucis signo tunsionibus in pectus adhibitis, diu precationibus incubuit.*

## CAPVT XXV.

*Ad fulgura & tonitrua, aliosúe repentinos terrores, animiq́ consternationes, item in mœstitia consignamus nos cruce.*



*I repentè fulgur aliquod vel tonitruum clarius ac vastius contingat,* inquit S. Ephræm Syrus, *omnem subitò sui formidine præterret hominem, cunctiq́ horrore perculsi in terram nos inclinamus.* Et licet hîc S. Ephræm non meminerit signi Crucis, scimus tamen ex S. Augustino, Christianos quocunque repentino pauore perculsos continuò se cruce signauisse. *Si fortè,* inquit S. Augustinus, *aliqua ex causa expauescant, continuò se signant.* Ex Gregorio Turonensi notum est, in quocunque tremore & metu periculi, signum Crucis fuisse vsurpatum. Quod ergo S. Ephræm scribit, in fulminum & tonantium tempestatum terroribus consueuisse se Christianos in terram *Ephræm serm. de Cruce.* *Aug. li. 50. hom. hom. 21.* *Tur. lib. 2. mir. S. Martini, cap. 45. & ibid. lib. 3. cap. 16.*

*Apud Michaelem ab Isselt anno M. D. LXXXI.*

inclinare, subintelligo ego hîc, quòd etiam ad ipsam inclinationem se Crucis signo muniuerint. Certè id hodie quoque retinent Moscouitæ. Nam cùm tria millia Moscouitarum Naruam arcem munitissimam deditione Schvvedis cederent, anno M. D. L X X X I. hoc modo tristitiam testabantur: *Discedentes ex arce oculis in cœlum sublatis, signabant cruce frontem, & pectus, & vtrumque humerum, & subitò in terram inclinati denuo oculos ad cœlum sustulerunt.*

*Aug. in Psalm. 50. Eadē li. 50. homil. hom. 21.*

Sed vt testimoniis & exemplis, id quod proposuimus, ostendamus, luculentus locus est S. Augustini de hoc more: *Si fortè in ipso circo aliqua ex causa expauescant, continuò se signant, & stant illic portantes in fronte, vnde abscederent, si hoc in corde portarent.*

*Chon. in Isaacio. Aug. lib. 3. cap. 8.*

Imperator Isaacius Angelus cum infausto nuncio exanimatus audisset Alexium inuasisse Imperium, vt scribit Choniates, τὸ σωτήριον σημεῖον ἑαυτῷ ἐγχαράξας, ἱλήκοις Χριστὲ βασιλεῦ ἀνεβόησε, καὶ ῥυσθῆναι τῆς ὥρας ἐκείνης πολλάκις ἐδυσώπησεν. *signo Crucis sese consignauit, & exclamauit, ó Christe Rex sis propitius. & Deum sæpius orauit, vt ex illo discrimine liberaretur.*

*Damasc. orat. 3. de Imagin.*

Narrat S. Damascenus ex Arcadio Archiepiscopo Cypri, & iste ex vita Simeonis miraculorum effectoris illustre exemplum, de more signandi se, cùm quis timore percelleretur: *Contigit illis diebus, vt vir quidam mercator ciuitatis Antiochenæ graui molestia ab improbo dæmone affligeretur, diúque angeretur, adeò vt suffocaretur interclusa spirandi facultate. Hic profectus ad sanctum* ( Simeonem) *& eius precibus sanitatem sic assecutus, ac si nihil vnquam perpessus esset, cùm in propriam domum rediisset, vt grati animi significationem daret, in loco ciuitatis publico atque illustri, supra fores officinæ suæ imaginem statuit. Hanc infidelium quidam conspicati luminibus & velis decoratam, zelo pleni, sui similes homines incompositos concitarunt, vt multitudo conueniret, confuséque vociferaretur: Tollatur è vita qui hoc fecit, & imago deiiciatur. Diuina autem prouidentia factum est, vt tunc domi non inueniretur. Cupiebant enim illum interficere, dum alius aliud clamaret. Cùm igitur tantam insaniam cohibere non possent, cuidam militum mandarunt, vt gradus conscenderet, & imaginem deturbaret. Qui cùm ascendisset, & manus extenderet, vt iussa perficeret, statim collisus est è superiore loco delapsus deorsum in terram. Et magnus tumultus in turba est excitatus inflammatíque perrexerunt alterum adhibere: qui manu protenta cùm detrahere imaginem ipse quoque conaretur, humi pariter afflictus est. Quo quidem facto, metu omnes perterriti, crucis signum sibi ipsi cœperunt admouere. Verùm cùm adhuc infideles illi insanirent, tertium eodem impellere non destiterunt: qui cùm manum extendisset, vt imaginem deiiceret, ipse quoq; similiter confractus in terram decidit. Tunc fideles omnes qui circumstabant, magnus inuasit timor, & infidelium cæcitatem atque audaciam admirati, imaginem adorantes, cum precationibus discesserunt.*

Grego-

Gregorius Turonensis de rege Theodorico: *Nocte pauore perterritus de stratu suo exilit, ac solus per viam publicam fugere nititur: perdiderat enim sensum, nesciens quid ageret. Quod aduertentes sui, eumq́ retinere conantes, vix potuerunt, cohortantes, vt se signo salutari muniret.* Hæc Greg. Turonensis, qui & alibi habet de quodam in somnis perterrito cruce se obsignante. Et alio loco de quodam, qui fluuium traiecturus, audiuit dæmonum has voces: Merge, merge, quibus ille territus se cruce consignauit. *Turon. Vit. SS. PP. cap. 4.* *Turon li. 1. mirac. cap. 87. & de gloria Confess. cap. 31.*

Ad idem sacrosanctæ Crucis præsidium confugit Mauricius Imperator, cum apri siluestris subito occursu non parum turbatus fuisset: Rem ita narrat Theophylactus Simocates describens Imp. Mauricij Thraciam à Cagano deuastatam visitaturi profectionem, τό τε ξύλον τοῦ σταυροῦ Χριστοῦ εἰς ὕψος ἐπὶ δόρατος χρυσοῦ ἀπῃώρητο, καὶ προηγεῖτο τοῦ τε βασιλέως, καὶ τῆς περιπόλου δυνάμεως. ὑπὸ δὲ δευτέραν ἕω, θηρίον παμμέγεθες, ὗς δὲ τοῦτο ἐτύγχανεν ὄν, ἐχώρει κατὰ τοῦ καίσαρος. τοῦ τοίνυν βασιλείου ἵππου ὑποταραχθέντος τῇ ἀθρόᾳ τοῦ θηρίου ἀφίξει. τῆς καθέδρας ἀποβαλεῖν τὸν βασιλέα τὸν ἐπιβάτην κατεπεσιάζε. τοῦ δὲ βασιλέως ἐπόχως ἐχομένου τοῦ χαλινοῦ, γίνεται ἄκων ὁ ἵππος πειθήνιος, τά τε τῆς ὄψεως ἀποβαλόμενος δείματα, καὶ τὴν γνώμην μετέβαλεν, αὖθις ταῖς ἡνίαις οἰκονομούμενος. τὸ μὲν οὖν θηρίον ὑπὸ μηδενὸς πολεμούμενον, ἀνανταγωνίστῳ ἀλκῇ τὴν πάροδον εἶχεν ἀζήμιον. ὁ δὲ αὐτοκράτωρ τοῦ θηρίου ἀφανοῦς γενομένου, ἐπὶ τὸ μέτωπον τοῦ σταυροῦ διατυπώσας τὰ σήματα, ὡς ἔθος ἐπὶ τῶν παραδόξων Χριστιανοῖς ἀπεργάζεσθαι, εἴχετο τῆς βαδίσεως. *Theophyl. lib. 5. cap. Vlt.*

*Lignum crucis Christi in sublime ex aurea hasta suspensum erat; præcedebatq́ Imperatorem, & totam prætorianam cohortem. At verò sub alteram auroram, bellua ingentis magnitudinis, aper nimirum erat, rectà aduersus Cæsarem tendebat. Turbato igitur Imperatoris equo, ob repentinum belluæ aduentum, è sede Imperatorem insidentem excutere moliebatur. At cum Imperator frenum tenaciter retineret, mansuefit equus vel inuitus, abiecta terrifici aspectus formidine, mutatoq́ impetu, rursus sese habenis regi sinit. Cæterũ bellua à nemine oppugnata, nulliusq́ vi compulsa, sine noxa transiit, Imperator autem postquam bellua ex conspectu abiisset, signo crucis fronti inscripto, vt Christianis terriculamento aliquo præter exspectationem obiecto moris est, cœptam prosequebatur viam.*


Sic Philip. rex Francor cùm in vastæ syluæ periculis fuisset omni suorum ope destitutus, *impressit fronti signum S. Crucis*, inquit Rigordus Gothus. *Rigor. de gestis Philippi regis.*

Concludat hoc caput S. Aug. qui ait: *Omnis qui ad malum aliquod opus currit, si fortè pedem impegerit, signat os suum.* Ex quo loco disco, ita fuisse omnibus solenne in quocunque periculi metu & terrore se cruce munire, vt id etiam fecerint consuetudine edocti, qui ad illicita pergebant. *Augustin. lib. 50. homiliar. hom. 21.*

# CAPVT XXVI.

## AEgri signum Crucis adhibuerunt, item moribundi, qui & manibus in Crucis speciem conformatis, mortem oppetebant.

*Hieron. in Epitaph. S. Paulæ.*



MORBO affecti mitigandis doloribus signum Crucis vsurpant: *Eustochium*, inquit sanctus Hieronymus, *Paula matris os, stomachumq́; signabat, & matris dolorem Crucis impressione nitebatur lenire.*

Quibus suprema hora aduenerat, consignabant se cruce contrà mortis terrores. Fecit hoc S. Ioannes Apostolus & Euangelista, de quo Nicephorus: *Cùm dudum transitionem suam ad Deum, diemq́; & horam eius præuidisset Ioannes, &c. Postremoq́; illis in Domino saluere & valere iussis, vbi se Crucis signo muniuisset, in monumentum descendit.* Illustre exemplũ pro more hoc confirmando; cui addo S. Ioannem Chrysostomum, & Macrinam virginem, quæ quid in extremis dixerit, feceritque, audi S. Gregorium Nyssenum, qui sanctissimæ sororis suæ vltima verba excepit: *Tu ad hostis perniciem & vitæ nostræ securitatem dedisti signum metuentibus te, notam sanctæ Crucis, æterne Deus, &c. Hæc dicens, oculis, & ori, & cordi Crucis signum apposuit.* S. Hieronymus de S. Paula: *Digitum in os tenens, Crucis signum pingebat in labiis.* S. Corbinianus *signum Crucis Christi, capiti impressit, & Deo Spiritum reddidit*, ait Aribo.

*Niceph. lib. 2. cap. 42.*
*Vita S. Chrys. ap. Sur. tom. 1.*
*Nyss. in vita S. Macrinæ.*
*Hieron. in Epitaph. S. Paulæ.*
*Aribo in vita S. Corbin.*

De S. Eutychio Patriarcha Constantinop. hæc Eustathius: *Vehementi febre circa mediam noctem correptus est: atq; ita mansit septem dies, assiduè precibus incumbens, seq́; signo crucis muniens.*

*Eustath. in vita S. Eutychij.*

S. Martinianus *cùm totum corpus suum obsignasset, dicit Episcopo, Commenda me Deo Pater*, vt habent eius Acta.

*Apud Sur. 2. Iulij.*

Eugippius mortem S. Seuerini, Noricorũ Apostoli, describens, ait: *Cunctos per ordinem ad osculum suum iussit accedere, & Sacramento Communionis accepto, fleri se penitus prohibet, totumq́; corpus signo crucis extenta manu consignans, vt psallerent imperauit.*

*Eugip. cap. 44. vita S. Seuerini, edit. M. Velseri.*

De Ignatio Patriarcha Constantinopolitano hæc in eius vita Nicetas. *Iam aderat animæ excessus: & ecce Diaconus iuxta Ecclesiæ regulam, dum medium esset noctis, magna voce clamans, dixit illud: Benedic Domine; & beatus ille, cum manu os suum signo Crucis signasset, & veneranda labia sua cùm parum mouisset, voce submissa, &c. interrogauit; Cuius sancti hodie fit commemoratio? Illi verò dicunt, Iacobi fratris Domini, &c. Tunc beatus ad illos: Domini mei, &c. Valete igitur, &c. Benedictus Deus noster nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen. Et vnà cum hoc hymno discessit è vita.*

Inue-

Inuenio quoque quod morituri, quasi vltimum vale suis dicentes, cruce eos signauerint. De S. Zenobio qui inprimis S. Ambrosio familiaris fuit, hæc Ioannes Archipresbyter Aretinus: *Eleuata aliquantulum manu omnes benedixit, rogauitq; adstantes Episcopos, vt sacratissimis suis manibus eum crucis signo communirent.* *Apud Sur. 25. Maij.*

S. Ansbertus Episcopus Rothomagensis moriturus se suosque cruce signauit, vt scribit Angradus Monachus. *Angrad. in vita S. Ansberti.*

Idem tradit Marcellinus de S. Suuiberto Saxonum, Phrysonum & VVestphalorum Apostolo, qui obiit anno Domini 717. *Perceptione corporis Dominici se muniens, ac sancta Crucis vexillo se cunctosq; circumstantes signans, in mortis quiete dormiens, transiit feliciter de mundo.* *Marcell. in vita S. Suuib. ap. Sur. tom. 2.*

Cùm ad Theodorum Studitam ægrotantem, pauloque pòst ex hac vita migraturum, ingens concursus piorum hominum fieret; ille singulis benedicebat, crucisque signum imprimebat; vt scribit in eius vita Michaël discipulus illius.

De S. Eustratio Thaumaturgo hæc Menæum die 9. Ianuarij. *Tandem hinc emigraturus, coactos qui sub eius præfectura vixerant, in hæc verba compellauit. Fratres ego ad vltimam vitæ lineam perueni,* &c. *Hæc effatus, beneq; precatus, Cruce illos signauit, & sublatis in cœlum oculis; in manus, inquit, tuas, Domine, commendo spiritum meum,* &c.

De Anastasia Patricia iam iam moritura Menæum decimo die Martij. *Signauit deinde se sancta Cruce, & dixit: In manus tuas commendo spiritum meum, vnaq; cum dicto animam exhalauit.* Eadem perceptis sacris Eucharistiæ mysteriis dicebat ad Danielem Abbatem: *Signa me signo Christi, & preces pro me ad Deum fundite.*

Imò & mortui Crucis signum edere aliquando conspecti sunt. Miscella de Anastasio Episcopo. *Cùm exanimis iaceret, manu fertur se signaculo Crucis signasse.* Ioannes Curopalata in Isaacio Comneno de Patriarcha Constantinopolitano defuncto. *Dextra Patriarchæ manus in Crucis figuram conformata, vt mos est benedicendi, populo acclamanti pacem, firma permansit, neq; cum mortuo corpore est immutata.* *Miscell. lib. 15.*

Addo quod narrat Rodulphus, de quodam Augustidunensi, Lethbaldo nomine, qui in monte Oliueti *proiiciens se in crucis modum toto prostratus corpore cum lachrymis inenarrabili mentis iubilo exultauit,* impetrauitq; vt solueretur corporis ergastulo. De Roberto rege Francorũ iam iam morituro hæc scribit Helgaudus: *Dei Sanctos in auxilium suum venire, voce, signis, indesinenter orabat, muniens se semper in fronte & oculis, naribus & labiis, gutture & auribus, per signum sanctæ Crucis, memoria Dominicæ incarnationis, natiuitatis, passionis, resurrectionis, & ascensionis, & Spiritus sancti: Habuit hoc ex more in vita; cui nunquam defuit voluntate aqua benedicta.* *Glab. lib. 4. historia cap. 6.* *Helgaud. in epitome vita Roberti Pij. edit. Pithoei.*

Neque

Apud Sur. 13. Febr.

Turon. li. 1. Mirac. cap. 58.

Neque desunt Sancti, qui in Crucis speciem formatis manibus Deo animum reddiderunt, vltima corporis compositione testantes affectum suum in crucem Christi. Sancta Photina mortua inuenta est habens manus in formã Crucis compositas. De S. Eugenio Episcopo Carthaginensi, fortissimo contra Arianos athleta, quem Gundabundus VVandalorum Rex in exilium expulit, hæc habet Gregorius Turonensis: *Cùm magnis in sæculo polleret virtutibus, & iam victor de tormentis martyrialibus exiliisset, tempus vocationis suæ, quo accerseretur ad gloriam, Domino reuelante, cognouit illud præcipuè, quod populis occultabatur, manifestum, noscens se Martyrij Amarantho socium esse futurum. Ad eius sepulchrum dirigitur, prostratusq́ solo diutissimè fudit orationem ad Dominum. Deinde expansis super pauimentum brachiis spiritum cælo direxit.*

Paulin in Vita S. Ambrosij.

Arnob. in Psal. 140.

S. Ambrosius *eodem tempore*, inquit Paulinus presbyter ad S. Augustinum, *quo migrauit ad Dominum, ab hora circiter vndecima diei, vsq́ ad illam horam, qua emisit spiritum, expansis manibus in modum Crucis orauit.* Arnobius illud Psalmi (*Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum*) pro hoc more orandi in mortis articulo passis manibus ita explicat: *Sacrificium nostrum vespertinum fit, id est, iuxta finem lucis huius, qua hora ab hac luce migramus. Tunc enim in sacrificio vespertino sumus; ibi est tota nostra cogitationis ponenda intentio, vt leuantes manus nostras in signo Crucis, dum ad Dominum pergimus, gratulemur in Christo Iesu.*

Auct. Vita S. Vdalrici.

Suger. de Vita Ludouici Crassi edit. Pithoei.

Addamus hoc loco, quod de S. Vdalrico legimus, videlicet eum nocte vltima vitæ, voluisse cinere in figuram Crucis aspergi; hacque compositione precantem, sub ortum solis obiisse. Idem fecit Ludouicus Rex Francorum, cognomento Crassus, qui sub extremum vitæ iussit cinerem in figuram Crucis insterni: *Præcipiens ergo*, ait Sugerius, *tapetum terræ, & cineres tapeto in modum Crucis deponi, ibidem manibus suorum depositus, signo sanctæ Crucis præsentiam suam muniens, XXX. regni administrationis, ætatis vero ferè LX. anno, Kal. Augusti spiritum emisit.*

Hier. de Vita S. Pauli.

S. Hieronymus de S. Antonio: *Ingressus speluncam, vidit genibus complicatis, erecta ceruice, extensisq́ in altum manibus, corpus exanime.*

Theg. li. de gest. Ludouici Imperat.

De Carolo Magno in extremis versante, Theganus Chorepiscopus Treuirensis: *In crastinum verò luce adueniente, sciens, quod facturus erat, extensa manu dextera, virtute, qua poterat, signum sanctæ Crucis fronti imprimens, & super pectus, & omne corpus consignauit.*

Simile quid de Caroli Magni filio Ludouico Pio refertur in eius vita, quam Pithoeus ex tenebris eruit: *His peractis & dictis præcepit, vt ante se celebrarentur vigiliæ nocturnæ, & ligno sanctæ Crucis pectus muniretur, & quãdiu valebat, manu propria tam frontem quàm pectus eodem signaculo insigniebat. Si quando lassabatur, per manus fratris sui Diogonis nutu id fieri poscebat.*

S. Ephræm

S. Ephræm agens de Anachoretis: *Alius rursus signans se crucis signo, atq; seipsum in sepulchro componens, quòd mortem aduenisse intelligeret, se ipse quodammodo sepeliuit, gratia sui confirmatus Domini.* *Ephram in S. Patres suo tẽpore defunctos.*

## CAPVT XXVII.

### *Spectris & dæmonum infestationibus Crucis signum obiiciendum.*



VISIS spectris ad Crucis signum confugiebant prisci illi, quibus Crucifixus & pietas cordi: *Viso Hippocentauro*, inquit S. Hieronymus de S. Antonio, *salutaris impressione signi frontem armat.* Et cùm eidem occurrit Faunus seu Satyrus, *scutum fidei & loricam spei, vt bonus præliator arripuit.* Rectè ergo S. Ephræm: *Crucem fronti impressam tenentes, spectaculum diabolo tremendum habebitis.* Hinc quotiescunque à Dæmone vel palam, vel clam infestabantur, clypeum Crucis obiiciebant, vt sanctus Hilarion, de quo B. Hieronymus: *Cùm dæmonum intelligeret ludibria, prouolutus genibus, Christi Crucem signauit in fronte, taliq; armatus casside, & lorica fidei circumdatus, facilius fortior præliabatur.* Quare B. Antonius, teste S. Athanasio, monachos suos monere solebat, *vt crucis armatura diabolo obuiam irent. Solent*, inquit, *noctu venientes dæmones, Angelos Dei se fingere, laudare studium, mirari perseuerantiam, futura præmia polliceri. Quos cùm videritis, tam vos quàm domos vestras Crucis armate signaculo, & confestim soluentur in nihilum. Quia metuunt illud trophæum, in quo Saluator aërias expolians potestates, eas fecit ostentui.* *Hieron. in Vita S. Pauli Eremita.* *Ephram paranesi 2. ad Relig.* *Hieron. in Vita S. Hilarion.* *Athan. in Vita S. Antonij.* *Vide, quæ hac de re scripsimus in Animaduers. ad notas Iunianas in Tertullianũ cap. 1.*

Exstat de huius signi virtute aduersus dæmones elegans Epigrãma sancti Gregorij Nazianzeni, cui titulus: *Signaculum Crucis.* Id placet adscribere: *Naz. epigram. de orat.*

*O cœnum, hoc fugito signum: nec mî esto molestus,*
*Omnis abesto malus: sic ego pingo Deum.*
*Omnes, ne fugiat mens me compacta, valete;*
*Quos procul à terra nunc agit ipse Deus.*

S. Ephræm verè ait: *Strenuus, cruce Christi, laqueos fugat diabolicos.* Huc pertinent etiam versus illi S. Paulini: *Ephram paranesi 1. ad eos, qui in relig. rud. se exercẽt.* *Paulin. Nat. 8. S. Felicis.*

*Nos crucis inuictæ signum & confessio munit;*
*Armatiq; Deo mentem, non quærimus arma*
*Corporis. Et quanquam membris videamur inermes,*
*Arma tamen gerimus, quibus & sub pace serena*
*Contra incorporeos animis decernimus hostes.*

Insigni contemptu fugauit sanctus Abramius dæmonem, signo Crucis fretus, teste S. Ephræm, qui ita refert: *Exsiliens cacodæmon ad aliã mox illu-* *Ephram in Vit. S. Abramij.*

*illusionem se conuertit. Et ecce quasi candelabrum coram eo statuens, ardentemq́; desuper candelam imponens, magna voce psallere incipit*, &c. *Nihil vir beatus ipsi respondit, donec cibum solitum sumpsisset. Qui vbi iam comedit, atq; à mensa surrexit, signo se Crucis muniens ait ad ipsum, Canis immunde, & ter miserande, insulsissime & timidissime*, &c. Synesius Cyrenæus Ptolemaidis Episcopus de signo Crucis contra infestationes dæmonum hæc habet: *Synes. hym. 3.*

*Tesseram dato*
*Signum tuum;*
*Qui vexant animos;*
*Spiritus*
*Abigens à vita,*
*Precibusq́; à meis.*

*August. lib. 2. symb. ad catechum. cap. 1.* Sanctus Augustinus suos catechumenos iisdem armis contra insultus dæmonum obarmat: *Si quando*, inquit, *voluerit aduersarius Diabolus denuò insidiari, nouerit redemptus cum symboli Sacramento & Crucis vexillo ei debere occurri; vt talibus armis indutus facilè vincat Christianus, de cuius oppressione malè antea triumphauerat nequissimus diabolus.*

*Turon. lib. 2. de mirac. S. Mart. cap. 18. & lib. de Vita SS. PP. ca. 5. & cap. 9. & lib. de S. Niceto. Beda tom. 3. in Vita S. Burgundofora. Chrys. hom. 21. ad popul. Antioch. Cosm. hymno in exaltationem S. Crucis.*

Quomodo Landulphus Viennensis, & Secundellus diaconus illusiones dæmonum signo crucis fugarint, narrat Gregorius Turonensis, & de aliis quoque: quæ hîc satis est citasse. Nam alio loco, vbi agemus de effectibus signi crucis, etiam hoc exemplis ostendetur, hîc tantum ex auctoritate Patrum generatim asserimus, contra omnes dæmonum infestationes signum Crucis semper habitum esse præsens remedium. *Nec ipse diabolus te quicquam lædere poterit*, inquit sanctus Chrysostomus, *cum his te cernens armis vbiq; apparentem. Et hac te ipsum iam hinc doce, vt cùm signum ceperis, sis miles paratus, & contra diabolum tropheum erigens, iustitiæ coronam capias.* Cosmas Hierosolymitanus: *Subterraneorum potestates, inimicæ crucis, horrent signatum signum in aëre, in quo πολλύτα versantur.*

## CAPVT XXVIII.

### *Cùm noxiæ cogitationes animum subirent, ad signum Crucis confugiebant.*



QVi dæmonem aspectabili forma sese obiicientem, Crucis signo in fugam verterunt, ij eodem signaculo eundē salutis nostræ hostem, turpibus cogitationibus in animos se insinuantem repulerunt, sicut & alias noxias cogitationes, quas vel mundi, vel carnis illecebræ ingerunt.

Monet

Monet S. Chrysostomus, vt, cùm ira, vel aliud vitium in corde efferuescit, ad Crucis signum confugiamus: *Si succendi cor tuum senseris, pectus continuò signaculo Crucis signato, & ira illicò, tanquã puluis dissipabitur.* *Chrys. hom. 88. in Matth.* *Aug. lib. 50. homil. hom. 20.*

S. Augustinus in eandem sententiam: *Si tentatio serpentina momorderit, conspecta illius exaltatione serpentis, tanquam mortis in carne Domini victa atq; triumphatæ, eodem crucis medicamento sanetur. Si aduersarius Amalechita iter intercludere atq; impedire conabitur, pro reuerentissima extensione brachiorum eiusdem crucis indicio superetur.*

S. Ambrosius eleganter: *Non regnet in corpore vestro mortuo vlla concupiscentia. Versate manibus vestris crucem Domini Iesu.* *Ambr. exhort. ad Virg.*

Petrus Damianus in Institutione Monastica; *Esto quoq; solicitus, vt, cum prauam tibimet cogitationem esse persenseris, extento pollice protinus cor tuũ signare festines; certus, dum in ipsam carnem signum sanctæ Crucis imprimitur, continuò interior homo ad dimicandum cum cogitatione peruersa totis viribus excitetur; sicq; mens, vtpote sublato triumphali signo, hostibus suis viriliter obuiet, & propriis sedibus, dum adhuc in vestibulo retardantur, exturbet.* *Pet. Damian. in Institut. Monast.*

S. Bernardus: *Si adhuc steterit cogitatio mala, oppone illi signum Crucis. Sanctimonialis quædam apud nos in tanta veneratione habuit signum Crucis, vt, cum efferenda esset ad tumulum, facies crucifixi, verteretur post eam, in parte illa, per quam elata est; & sic caput imaginis in partem illam intendens perpetuò contra solitum sic permaneret. Alia reuelauit cuidam computruisse manus suas, sed pollicem non posse corrumpi, quo signum crucis sibi imprimere consueuerat.* *S. Bernard. in doctrina quadam fol. 1779. nouæ edit. Parisiens.*

Qua vtilitate hoc, quod toties sancti Patres monent, faciamus, testatur Marcus Eremita, qui Leoni Imperatori mortis annum prædixit, hic, inquam, experientia ait se cognouisse, quod signum Crucis, pulsa omni perturbatione, serenitatem mentis præstet. Nam de se ipso ita scribit: *Statim post signum Crucis, gratia sic operatur: sedat omnia membra pariter & cor.* Quomodo Eparchius Aruernensis Episcop. signo crucis abegerit turpes cogitationes, scribit Greg. Turonensis. *Marc. de temperantia c. 26. extat tom. 5. biblioth. PP.* *Turon. lib. 2. hist. Francor. cap. 21.*

Abbas Hellen liberauit quendam signo Crucis ab infestatione prauorum animi motuum, vt refert Palladius. *Crux enim,* ait S. Augustinus, *vexillum nostrum est contra aduersarium nostrum diabolum.* Huius vexilli vsus est, quoties vitium oppugnat virtutem. Hac mente Prudentius introducit *Sobrietatem*, quæ hoc vexillo debellat *Luxuriam*: *Pallad. in Lausiaca histor. sect. 54.* *August. lib. 4. symb. ad catechum. cap. 5.* *Prud. in Psychomachia.*

*Vexillum sublime crucis, quod in agmine primo*
*Dux bona prætulerat, defixa cuspide sistit.*
*Crucem Domini feruentibus offert*
*Obuia quadrigis, † signum venerabile in ipsos*
*Intentans frenos: quod vt expauere feroces,*
*Cornibus oppansis, & summa fronte coruscum,*

† *lignum*

*Vertunt præcipitem cæca formidine fusi*
*Per prærupta fugam.*

Chryſ. hom. de contin. Ioſeph. — Non aliud vult Prudentius his verſibus, quàm quod ſanctus Chryſoſtomus ait diſertis verbis: *Crux ante oculos viſa omnem ſtatim abigit malam voluptatem. Hæc enim eſt ſalus animæ fœdarumq; concupiſcentiarum ſalubre antidotum.* Turõ. lib. 1. mirac. cap. 106. — Parendum ergo eſt conſilio Gregorij Turonenſis, qui ait: *Si te ſenſeris captiuum abduci in lege peccati, tutare frontem tuam ſigno crucis inſigni, quo propellas iaculum harum inſidiarum; quia iuxta Prudentium:*

*Crux pellit omne crimen,*
*Fugiunt crucem tenebræ.*
*Tali dicata ſigno*
*Mens fluctuare neſcit.*

Gregor. lib. 2. dialog. cap. 20. — S. Gregorius Magnus de S. Benedicto: *Quadam die dum venerabilis pater veſpertina iam hora corporis alimenta perciperet, eius Monachus, cuiuſdam Defenſoris filius fuerat, qui ei ante menſam lucernam tenebat, cumq; vir Dei ederet, ipſe autem cum lucernæ miniſterio aſtaret, cœpit per ſuperbiæ ſpiritum in mente ſua tacitus voluere, & per cogitationem dicere. Quis eſt hic, cui ego manducanti aſſiſto, lucernam teneo, ſeruitium impendo? Quis ſum ego, vt iſti ſeruiam? Ad quem Vir Dei ſtatim conuerſus, vehementer cœpit eum increpare, dicens. Signa cor tuum, frater, quid eſt quod loqueris? Signa cor tuum. Qui requiſitus à fratribus, quid habuerit in corde, per ordinem narrauit, quanto ſuperbiæ ſpiritu intumuerat, & quæ contra Virum Dei verba per cogitationem tacitus dicebat.*

S. Maximus Taurinenſis eleganter ſcribit, cùm ſignum Crucis adhibemus, hoc ipſo ſigno nos commoneri, vt Chriſtum crucifixum Apud Ambr. ſerm. 55. — recogitemus, eiuſque opem imploremus. *De ipſius ſigno ſperemus noſtris vulneribus medicinam, hoc eſt, ſi fortè nobis venenum auaritiæ ſe diffundit, ipſum conſideremus, & ſanat. Si ſcorpionis nos libido compungit, ipſum rogemus, & curat. Si terrenarum cogitationum nos morſus lacerant, eundem precemur, & viuimus.* Nam verè ait ille: Apud Ambr. autor commẽt. in epiſt. ad Rõ. cap. 8. — *Satanas amiſit dominium retentarum animarum, vt iam ſignatos ſigno Crucis, in qua victus eſt, in ſecunda morte tenere non audeat.* Quare qualiſcunque in animum irruat nequitiæ illecebra, pelle illam, & vt pellas, *viriliter & non tepidè ſignum, vel fronti, vel pectori ſalutare ſuperponas,* Turõ. lib. 1. mirac. cap. 106. — inquit Gregorius Turonenſis. Hoc faciunt quotquot ſeriò pij ſunt Damaſc. orat. de trãsfiguratione Chriſti. — teſte Damaſceno, τοῖς τοῦ κόσμου τρικυμίαις, καὶ τοῖς ταῦτα κινοῦσι τῆς πονηρίας πνεύμασι, τὸ τοῦ σταυροῦ πηδάλιον παραβαλλόμενοι. *Mundi procellis, & peruerſis ſpiritibus eas excitantibus crucis gubernaculum opponentes.*

Cantic. 4. Beda lib. 3. expoſ. in Cantica cap. 4. — Beda explicans illud Canticorum: *Sicut vitta coccinea, labia tua,* ait: *Noxios ſæpe cogitatus, dum incauta mente voluimus, ac ſubitò reſpecti à Deo ſignum ſanctæ Crucis pectori inprimimus, & quod nefarium tractamus, abiicimus, quaſi vitta coccinea capillos nobis ligamus, quia fluxa cogitationum tropheo ſacri cruoris comprimimus.*

Non

Non est hic silendus Lutheri amor in Crucis signaculum; qui cum plurimas epistolas scripserit, quibus afflictos, & à Dæmonibus vexatos, & desperationis spiritu exagitatos consolari, & quibus armis impresioni hostium resistere deberent, instruere voluerit, nuspiam signaculum Crucis præscribit; nuspiam, vt hunc clypeum tentationibus obiiciant, monet; sed longè alia, & quidem efficaciora scilicet Diabolicarum tentationum depellendarum medicamina tradidit: quorum en tibi specimen ex epistola consolatoria ad quendam, qui tædio vitæ affectus eò mœroris deuenerat, vt periculum esset, ne sibi necem conscisceret: Darumb müsset jhr ein Hertz / vnd Trotz fassen gegen euch selbs / vnd mit Zorn zu euch selbs sprechen: Nein Gesell / wann du noch so vngerne lebetest / so solt du leben / vnd must mir leben. Dann so wils mein Gott / so wil ichs haben. Hebt euch jhr Teuffels Gedancken / in Abgrund der Helle / mit sterben / vnd todt / hie habt jhr nichts zuschaffen. Vnd nur die Zeene zusamen gebissen / wider die Gedancken / vnd in Gottes Willen solchen harten Kopff auffgesetzt / vnnd halsstarriger / vnnd eigensinniger sich gemacht / dann kein böser Bawr oder Weib / ja herter / dann kein Amboß / oder Eisen ist. Werdet jhr euch so angreiffen / vnd wider euch selbs kämpffen / so wirdt euch Gott gewißlich helffen. Wann jhr aber euch nit speret / noch wehret / sondern laßt die Gedancken mit aller musse frey euch plagen / so habt jhrs bald verloren. *Extat tom. 5. Ihen. German. fol. 228. b edit. M. D. LXI.*

Mirabilis prorsus consolandi ratio, cui nulla similis in toto Bibliorum Codice. Nulla hîc Christi Saluatoris mentio. Nulla sceleris, qua homicida sui sese obstringit: Nulla salutiferæ armaturæ Crucis. Nil denique hic, quod pietatis spiritum redoleat; omnia vana, & profana.

Sed intuere multò adhuc mirabilius antipharmacum. Aber der aller beste vber allen Rath / ist / wann jhr nichts vberal mit jhnen kämpffen möchtet / sondern könnet sie verachten / vnd thun / als fület jhr sie nicht / vnd gedechtet immer etwas anders / vnd sprecht also zu jhnen: Wolan Teuffel last mich vngeheyet / ich kan jetzundt nit deiner Gedancken warten / ich muß reiten / fahren / essen / trincken / diß / oder das thun. Item: Ich muß jetzundt frölich sein / komb morgen wider / ꝛc. Vnd was jhr sonst könnet fürnemen / spielen / vnd dergleichen / damit jhr solche Gedancken nur frey / vnd wol verachtet / vnd von euch weiset. Auch mit groben / vnd vnhöflichen Worten / Als lieber Teuffel / kombst du mir neher / so lecke / ꝛc. Ich kan dein jetzundt nicht warten.

Hic iterum nihil ex cœlo petitum apparet, omnia ex triuiis, popinis, tonstrinis & lustris hausta sunt. Nihil hic remedij in sacratissimo Golgothæ montis horto lectũ. Nec quod sequitur, aliunde quàm

 ex

ex ganeonum latibulis depromptum est. Dauon last euch lesen das Exempel von dem Leuscknicken / vnd von dem Genßpfeiffen / vnd dergleichen im Gersone, de cogitationibus blasphemiæ. Das ist der beste Raht.

Pulchra coniugatio Gersonis cum fabulosis illis mythologis, perinde ac si quis moneret; vt qui mœroris & anxietatis spiritu opprimitur, cum Thoma de Kempis Eulenspiegelium & Marcolphum diligenter euoluat. Quàm vbiq; sui similis Lutherus? Quàm ab omni pietate remotus? Quàm à Crucis signaculo auersus? Nam quod interdum Crucis meminit; id nihil est; quia leuissimè & quasi aliud agens id agit; vbi ex instituto ad hoc scutum arripiendum excitandi & inflammandi erant homines; ipse silet, & quiduis aliud potius quàm crucem, Dæmonis insultibus opponendum docet. *Hic odoratu percipias*, inquit Lutherus libro de verbis Cœnæ contra Sacramentarios, *quàm grauiter & ingratè Diabolo femoralia oleant.*

Non nego Lutherum aliquando suos cohortatum, vt Crucis signo se munirent. Sed hoc vix aliter, quàm aliud agendo egit; & quasi sui oblitus, vt ei accidit in secunda concione feriæ secundæ Pentecostes, vbi postquam nescio quid de malis cogitationibus garriuerat, subiecit: Darumb wo solche Gedancken dir einfallen / so schlag das Creutz für dich / als were der Teuffel selbst da. Quare non idem consilium desperabundo illi de quo paulo antea, dedit?

Luther in der Haußpostill.

## CAPVT XXIX.

*In discessu signo Crucis valedicimus, item ardua pericula, vel iter, vel negotium, & opus quodcunque aggressuri, cruce nos consignamus.*



MOREM valedicendi signo Crucis expresso, præclarè probant illa exempla, quæ cap. 26. adduximus, vbi ostendimus, quomodo è vita abituri, & vltimum suis Vale dicturi, id non fecerint sine Crucis signo. Quia tamen hîc non de illo supremo abitu agimus, neque de illo vltimo morientium Vale, tantùm adferemus exemplum sancti Abramij, qui cùm è vico, quem ipse ad Christi fidem conuerterat, discedere statuisset, amore solitudinis, prius vale dicere voluit, & benedicere. Signo igitur Crucis ter facto, suis valedixit & benedixit, vt scribit magnus ille Ephrem Syrus, cuius hæc verba: *Completa oratione abiens, ter Crucis signaculo vicum signauit, ac latenter in alium locum recessit, & quibus potuit latebris se occultauit.*

*Ephram in Vita S. Abramij tom. 3. operum Ephram.*

De S. Lamberto Episcopo Tungrensi suis valedicente hæc habet

Stepha-

Stephanus Leodiensis Episcopus: *Benedixit clero, & populo, Christi eos signo communiens.* *Steph. in Vita S. Lambert. ad Herman. Coloniens. Archiep.*

Hæc laudata consuetudo consignandi eos, quibus vale dicimus, hodie solennis est. Hinc illa in digressu pœne semper vltima verba sunt: Gesegne dich Gott. Behüte dich das H. Creutz. Et è nostratibus Germanis inter valedicendum nulli non in ore est talis aliqua formula verborum de sancta Cruce.

Robertus Turnerus in Triumpho Bauarico, vbi agit de valedictione Archiepiscopi Moguntini & Ducis Bauariæ Leodium proficiscentis. *Post expressum in aëre hinc ab Archiepiscopo, inde à Duce Crucem (hunc enim morem precandi discedentibus fausta, solennem apud Catholicos aduerti in Germania) certatur vtrinque buccina, &c.*

Vbi periculum vel arduum quid discriminis obeundum est, Cruce nos signamus. Sic Gundoaldus filius regis Clotharij, dolo captus, cùm ad hostium castra certum mortis periculum aditurus duceretur, *consignans se cruce Dominica,* ait Aimoinus, *cum his qui se ceperant, abire cœpit ad eorum castra.* Quod ipsum de signo Crucis narrat etiam Gregorius Turonensis. *Aimoin. li. 3. de gest. Fran. c. 71. Tur. lib. 7. hist. Franc. cap. 38.*

Testimonia de iis, qui se signarunt, cùm iter ingrediendum esset, passim obuia sunt. hîc tantùm ista damus. Tertullianus: *Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum. Quacunque nos conuersatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus.* Gregorius Turonensis de S. Lupicino Romano: *Tunc armati vexillo Crucis, sumptis in manu bacillis regressi sunt ad eremum.* S. Hieronymus: *Ad omnem actum,* inquit, *ad omnem incessum, manus pingat Crucem.* Dorotheus Abbas de seipso inquit: *Méque obsignans & firmans abij supplicans Deo.* Addo vltimo S. Cyrillum Hierosolymitanum, qui ait: *Crux fiat in egressu & in ingressu, eundo & quiescendo.* *Tert. de corona militis. Tur. lib. de Vita SS. PP. cap. 1. Hier. ad Eustoc. epist. 22. Doroth. doctrina 7. Cyril. catech. 13.*

Hodie pij, opus incepturi qualecunque illud sit, seu negotium adituri, solent se prius Cruce signare, hoc ipso testificantes se Apostoli monito satisfacere velle, qui præcipit, omnia in nomine Domini facienda esse. De hoc ergo tam pio & prisco more hæc paucula testimonia adduco, cùm alibi sparsim plura inserta sint. *Fac hoc signum, & ambulans: In summa,* inquit S. Cyrillus Hierosolymitanus, *in omni tuo negotio.* S. Ambrosius: *Omne diei opus in signo facere Saluatoris.* *Cyril. 4. catech. illumin.*

Iniuriosus Senator Aruernensis, cùm Deo castitatis votum offerre vellet, prius se signo Crucis consignauit, vt refert Gregorius Turonensis. *Tur lib. 1. hist. cap. 47.*



CAPVT

# CAPVT XXX.

## *Sancti Patres ominibus opposuerunt signum Crucis, eorumq́ue obseruationem dissuaserunt etiam hoc argumento; quod in signo Crucis tuta sit prosperitas.*



ETHNICI varias superstitiones, & ominatrices coniecturas ducebant à variis rebus, vt à palpitatione membrorum, à sternutatione, à tinnitu aurium, & mille aliis. De tinnitu Aristænetus: *οὐκ ἐβόμβει σοι τὰ ὦτα ὅτε σου μετὰ δακρύων ἐμεμνήμην; Non tinniebant tibi aures, quando tui cum lachrymis recordabar?* Ad sternutationem, patet ex Apuleio, iam olim acclamatum: SALVS. Plinius: *Sternutamentorum remedium credebant annulum è sinistra in longissimum dexteræ digitum transferre.* Leo Imperator: *Sternutante quodam, milites statim demisso animo erant, quasi malo omine obiecto: quod Imperator animaduertens, Minimè mirum, inquit, est, si ex tot circumstantibus vnus sternutet.*

*Arist. lib. 11.*
*Apul. in aur. as.*
*Plin. lib. 28. c. 6.*
*Leo lib. de bellico apparatu, cap. 20. § 192.*
*Iust. quæst. 19.*

De tremore, & si membrum aliquod salierit, multa habet S. Iustinus Martyr: *Tremor est motus corporis ex spiritus naturalis cursu & fluxione, qui in animantium omnium corpore desidet. Itaque indignum iudicabant Sancti, esse indicium rerum futurarum eiusmodi corporis motionem. Atque vt sternutamenta narium, tinnitusq́ue aurium præter nostrum propositum incidunt, sic etiam tremor.* Isidorus: *Salissatores vocati sunt, quia dum eis membrorum quæq́ue partes salierint, aliquid sibi exinde prosperum seu triste significari prædicunt.* Hinc Theocritus:

*Isid. lib. 8. Orig. cap. 9.*
*Theoc. idyll. 3.*

*Ἄλλεται ὀφθαλμός μευ ὁ δεξιός.*
*Salit mihi dexter oculus.*

*Aug. 2. de doct. Christ. cap. 20.*

*His adiunguntur,* inquit S. Augustinus, *millia inanissimarum obseruationum: si membrum aliquod salierit, si iunctim ambulantibus amicis lapis, aut canis, aut puer medius interuenerit, &c. Hinc sunt etiam illa, limen calcare, cùm ante domum suam transit: redire ad lectum, si quis dum se calceat, sternutauerit: redire domum, si procedens offenderit: cùm vestis à soricibus roditur plus timere suspicionem mali futuri, quàm præsens damnum dolere. Vnde illud eleganter dictum est Catonis, qui cùm esset consultus à quodam, qui sibi à soricibus erosas caligas diceret, respondit; non esse illud monstrum; sed verè monstrum habendum fuisse, si sorices à caligis roderentur.*

Hæc & alia ominum genera mille sancti Patres omnino contemnenda docuerunt, & signum Crucis adhiberi debere, quod tutam incolumitatem præstat, relicta omni ominosa obseruatione. Sic Ethnicus solebat *redire domum, si procedens offenderit*, vt inquit S. Augustinus: Item: *Lapidem calcant, tanquam diremptorem amicitiæ.* Contra Christiani contempta hac superstitione signabant se signo Crucis, teste S. Augustino:

*Aug. 2 de doctr. Christ. cap 20.*

ſtino: *Si pedem impegerint, ſignant ſe.* Alibi: *Si fortè pedem impegerit, ſignat os ſuum.* S. Ambroſius vniuerſo gentilium omnium & ſuperſtitionum agmini ſignum Crucis opponit his verbis: *Nonne cùm adhuc gentilis eſſes, ſolebas ſigna perquirere? Iam nunc nolo erres in numero: Scito, quia in vno ſigno Chriſti omnium rerum eſt tuta proſperitas.* *Aug. de temp. ſerm. 215. & lib. 50. homel. hom 21.* *Ambr. ſerm. 43.*

S. Eligius Nouiomenſis Epiſcopus pro concione contra omina, auguria, aliaque huius ſortis deliria, ita ad ſuos concionabatur, vt refert Audoënus Epiſcopus Rothomagenſis: *Chriſtiano nec auguria, nec alia qualibet figmenta poſſunt officere: quia vbi ſignum Crucis cum fide & timore Dei praceſſerit, nihil ibi inimicus nocere poterit. Tepidis verò & negligentibus, ideo nocere poſſunt, quod relinquentes Dei præcepta per vitæ ſuæ negligentiam, praua exercendo opera, ipſi ſe dæmonum poteſtati ſponte tradunt: qui ſi in Chriſti ſeruitio perſeuerarent, & eius niterentur auxilio, nihil prorſus mali paterentur.* *Aud. li. 2. de vita Eligij, cap. 16.*

*Cùm aliquis ſe velle oſcitare ſentiebat, continuò ſignum Crucis ſibi imprimere feſtinabat. & hæc conſuetudo vſque nunc ſeruatur,* inquit Siffridus Presbyter Miſnenſis. *Siffr. lib. 1. Epitomes hiſtoria.*

## CAPVT XXXI.

### *Veteres Chriſtianos frontem potiſſimum cruce ſignaſſe, & quam ob cauſam.*

HVIVS rei tam multa paſsim ſeſe offerunt teſtimonia, vt ſuperuacaneum videri poſsit, quidquid ad hoc probandum allatum fuerit. Quis enim ſanctorum Patrum, vel non monet nos, vt crucem in fronte pingamus, vel non affirmat, Chriſtianos id priſco & ſolenni ritu facere? *Quod cum magna inſultatione perſecutores Iudæi Deo procurarunt,* inquit S. Auguſtinus, *magna fiducia ſerui eius etiam & Reges in fronte nunc geſtant.* Et: *A locis ſuppliciorum fecit crux tranſitum ad frõtem Imperatorum:* Verè *ad frontes Imperatorum.* Nam de Conſtantino Magno ita Euſebius: *Frontem illa ſalutaris Paſſionis ſignauit nota, & nonnunquam trophæo illo victorioſo plurimum ſe extulit.* Rurſus S. Auguſtinus: *Vſque adeò de cruce non erubeſco, vt non in occulto loco habeam crucem Chriſti, ſed in fronte portem.* Alibi: *Homines ſumus,* inquit, *& ſi Chriſtiani, vtique ipſo nomine ad Chriſtum pertinentes; huius ſignum in fronte geſtemus, de quo non erubeſcimus, etſi in corde geſtamus.* Et: *Crucem illam, in qua ille crucifixus eſt in corpore, nos geſtamus in fronte.* Hinc Tertullianus ſignum Crucis *vocat ſignaculum frontium.* *Aug. ſerm. 118. de Verbis Dom.* *Aug. in Pſalm. 36.* *Euſeb. lib. 3. de vita Conſt. c. 2.* *Aug. in Pſalm. 141.* *Idem tract. 3. in Ioan.* *Idem ſerm. 2. in Paraſceue.* *Tert. lib. 5. contra Marcion.*

Poſuit autem Chriſtus crucem in frontibus fidelium multas ob cauſas. Prima eſt, vt ne erubeſcerent Chriſtiani de cruce. Indicauit hanc cauſam S. Auguſtinus: *Non ſine cauſa,* ait, *ſignum ſuum Chriſtus in* *Aug. in Pſalm. 30.*

*fronte nobis figi voluit, tanquam in sede pudoris, ne Christi opprobrio Christianus erubescat. Hoc ergo in conspectu hominum si feceris, si inde coram hominibus non erubueris, spera tibi perfici dulcedinem Dei.* Alio loco: *Quia in fronte erubescitur, ille qui dixit, qui me erubuerit coram hominibus, erubescam eum coram patre meo, qui in cœlis est: ipsam ignominiam quodammodo, & quam pagani derident in loco pudoris nostri constituit.*

*Aug. in Ps. 141. Idē tract. 53. in Ioan. & serm. 8. de Verbis Apost. Ambr. lib. de Isaac & anima.*

Attigit eandem causam S. Ambrosius, simulque cur in pectore & brachiis formari soleat, explicauit. Ait enim: *Signaculum Christus in fronte est, signaculum in corde. In fronte, vt semper confiteamur; in corde, vt semper diligamus; signaculum in brachio, vt semper operemur.*

*August. in tit. Psal. 46.*

Secunda causa est, quia Christus noluit, vt frons Christiani nuda esset, ac proinde ipsa sua nuditate turpitudinem præ se ferret, tegi eam voluit & ornari cruce: *Ipsa cruce,* inquit S. Augustinus, *in qua illi insultatum est, non permisit caluam esse frontem nostram, quia eam suo ligno signauit.* Vbi tacitè, sed eleganter, S. Augustinus frontem sine cruce, comparat cum capite sine crine. Nam vt sine crine caput, iure inter turpia numeratur, ita & frons absque cruce, meritò turpis iudicatur. Quia reuera talis frons, effrons est, hoc est, impudens: *Audis hominem,* inquit S. Augustinus, *insultare impudenti, & dicere: frontem non habet. Quid est frontem non habet? impudens est. Non habeam,* subdit sanctissimus Doctor, *nudam frontem, tegat eam crux Domini mei.* Vbi vides nudam à cruce frontem, & nullam frontem Augustino vnum & idem esse.

*Aug. in Psalm. 141.*

Tertia causa est; vt superbiæ impudentia à fronte hominum depelleretur, simulque signo humilitatis in fronte posito, illa etiam pectoribus altius imprimeretur. Reddidit hanc causam S. Augustinus, cùm de Goliath & Dauid agens: *Omnis superbia,* inquit, *habet impudentiam frontis, euacuata est frons, quæ habebat impudentiam superbiæ suæ, & vicit frons, quæ habebat similitudinem crucis Christi, propterea & nos signum ipsum crucis in fronte portamus, qui illud intelligimus. Hoc dico fratres, quia multi illud faciunt, & intelligere nolunt. Factorem quærit Deus signorum suorum, non pictorem: Si portas in fronte signum humilitatis Christi, porta in corde imitationem humilitatis Christi.* Agnoscant ergo effrontem suam impudentiam, quicunque quiduis potius in fronte ferre possunt, quàm crucem. Malunt ferre hæreseos lepram & impietatis cum Ozia, qui cùm *obtemperare nollet, & credere,* ait S. Cyprianus, *diuina indignatione confusus, & lepra varietate in fronte maculatus est; ea parte corporis notatus offenso Domino, vbi signantur qui Dominum promerentur.*

*Aug. serm. 10. de diuersis edit. à Louan.*

*2. Paral. 26. 4. Reg. 5. Cypr. de Vnit. Ecclesiæ.*

Quarta causa est, cur Christus in fronte, hoc est, in nobilissima hominis parte crucem fixerit, quia ipse etiam toti mundo apertè & dilucidè constare voluit, per quidnam nomen super omne nomen adeptus

adeptus sit, deuicto diabolo, & reparata humano generi salute: *Per stellam,* inquit S. Augustinus, *Christum Magi cognouerunt, & erat hoc signũ de Domino datum cœleste, & praclarum; noluit stellam esse in fronte fidelium signum suum, sed crucem suam: Vnde humiliatus, inde glorificatus est; inde erexit humiles, quo humiliatus ipse descendit.* Trophæa non in obscuris locis collocari solent, sed in celebribus & publicis, vt omnibus sint conspicua; trophæum Christi crux est. Cur ergo non erigeretur in loco quasi publico, omnibusq; conspicuo, hoc est in fronte? *Ipsam.* inquit S. Augustinus. *crucem de diabolo superato tanquam trophæum in frontibus fidelium positurus erat.* S. Cyprianus: *Hic est lapis, quo Dauid frontem Goliæ percussit & occidit; significans diabolum & seruos eius inde prosterni, victa scilicet ea capitis parte, quam signatam non habent. Quo signo nos, & tuti semper sumus, & viuimus.* S. Paulinus:

*Aug. tract. 3. in Ioan.*

*Aug. tract 59. in Ioan.*

*1. Reg. 7.*

*Cypr. lib. 2. testimon. 17.*

*Paul ep. 42 ad Cytherium.*

*Quia fronte signum Christianis emicat,*
*Quo mors subacta corruit.*

Alcimus Auitus Viennensis Episcopus:
*Sic nos Christe tuum saluet super omnia signum*
*Frontibus impositum.*

*Alcim. lib. 5. de transitu maris.*

Quinta causa est, quia milites Christi palam quoque arma, quibus in conflictu vtuntur, hostibus ostentare & obiicere decet; vt vel ipso armorum aspectu terreantur. Indicauit hanc rationem S. Ioannes Chrysostomus, cùm explicans illud Apostoli: *Pretio empti estis; pretium,* inquit, *hîc crucem appellauit, quam non simpliciter digito corpore, sed magna profectò fide in mente prius formare oportet. Nam si hoc modo eam faciei tuæ impresseris, nullus scelestorum dæmonum, cum hastam videat, qua lethale vulnus suscepit, congredi tecum audebit. Nam si cùm solummodo loca, in quibus capite damnati pœnas persoluunt, videmus, ingenti horrore concutimur; quid passurum putas diabolum, si mucronem tenere te viderit, quo vires eius Christus dissoluit, & quo caput draconis magno ictu rotauit. Noli ergo tu tanto bono verecundari, ne quando in maiestate sua venerit Christus, de te verecundetur.* S. Cyrillus: *Non pudeat nos, crucis Christi. Quod si aliquis id occultet, tu manifestè te signa cruce in fronte, vt dæmones signum Regis videntes, trementes procul fugiant.*

*Chrys. hom. 55. in Matth.*

*1. Cor. 6.*

*Cyril. catech. 4. illuminat.*

Sextò, ideo crucem in fronte nostra statuit, vt nos suos esse non tantùm vsu, sed & mancipatione declararet. Quo allusit B. Agnes, cùm, vt est apud S. Ambrosium, dixit: *Posuit signum in faciem meam, vt nullum præter eum amatorem admittam.* Et, vt per crucis imaginem firmam & stabilem, tanquam per titulum, res Deo consecrantur, & templa fiunt, vt alibi diximus; sic homines dedicantur & templa Dei fiunt per crucem in fronte positam. Attigit hoc S. Cæsarius Episcopus Are-

*Ambr. serm. 90.*

*Lib. 2. cap. 7.*

Cas. homil. 5. de Pascha tom. 2. Bibl. SS. PP.

latensis: *Statim*, inquit, *in ipso homine quem Redemptio in eius originem reuocauit: titulos suos Christus affixit. Hac est illa crux, quam in postibus regiis signatam in fronte gestamus, quam iustissimè in possessionem receptam Dominus Cardinalis & Imperator legitimus impressit, vt nos verè dici domus diuina possimus. Ad hominem enim per Apostolum suum Deus loquitur: Vos estis templum Dei, & Spiritus Dei habitat in vobis. Et ideo nunc (diabolus) gemit, inuidet, circuit, si fortè vel furto à nobis possit auferre instrumentum ipsius manumissionis, & acquisitæ tabulæ libertatis.*

1. Cor 3.

Hom. 5. de Pascha.

Idem alibi affirmat, crucem esse titulum, qui sit fixus in frontibus nostris vt simus domus Dei, & à possessione arceatur diabolus: *Hodie*, inquit, *Agnus ille, qui tollit peccata mundi, in Redemptionem humanæ salutis offertur, quando postes domorum sanguine illius iubentur inscribi, id est, crucis titulo frons nostra depingi.*

Quid si fortassis ideo quoque crucem suam in fronte nostra figere voluit, vt qui in monte Caluariæ cruciatus, illusus, irrisus, blasphematus, & denique crudelissimè trucidatus fuit, nunc in caluariis nostris honoretur, glorificetur, & quodammodo reuiuiscat & resurgat, cùm crux ei in Caluaria nostra non erigatur, vt occumbat, sed potius vt triumphet & regnet, nec vt irrideatur, sed vt veneratione debita colatur.

Lact. lib. 5. ca. 9. M. Tull. orat. post reditum.

Signatur & os vt nobilissima hominis pars. Nam non modò à Lactantio, sed & à M. Tullio Os *hominis, pars sanctissima corporis* appellatur.

Laert. in Diog.

Testatur Laertius moris fuisse, vt hæc verba foribus inscriberentur: *Nihil mali ingrediatur.* Aptior inscriptio & depellendis malis efficacior est crux in fronte; vbi præcipuæ sunt animi portæ.

## CAPVT XXXII.

*Mos signandi frontem occasionem dedit Ehtnicis & Hæreticis, vt crucis odio Martyrum frontes exquisitis pœnis excruciarent.*



VIDERVNT Ethnici cruce frontem signare omnibus Christianis solenne esse; idq; tum maximè, cùm mortis gloriosæ candidati, sanguine profuso, fidem & amorē Christo asserere vellent. Viderunt quoque ipsam crucis consignationem symbolum Christianæ professionis esse. Viderunt demum Martyres in hoc signo tantùm præsidij habere, vt eius vi, qualiacunque tormenta vel non sentiendo contemnerent, vel contemnendo superarent. Quare odio crucis Martyrum frontes cruce insignitas

gnitas excruciarunt, quin & interdum detracta cute nudarunt, nudaturi scilicet Christianos spe signoque salutis. Glyceria nobilissima virgo sub Antonino Pio iam in flammas cõiicienda, *crucis signo seipsam muniuit, ac dixit: Domine Deus, &c. scripsi & pronunciaui confessionem tuam coram angelis & hominibus. Tum Præses*, subiungunt Acta, *iussit capitis eius pellem à vertice vsque ad frontem detrahi. Media verò nocte Angelus Domini venit, & à vinculis Glyceriam dissoluit, & illam faciei speciem propter pellem detractam inhonestiorẽ factã ita curauit, vt talis esset facies ipsa qualem Deus effecerat.* *Apud Metaphrast. & Sur. 10. Maij.*


Notum est nefas fuisse sine vitta coronáue capiti imposita sacrificare. Tertullianus: *Lauream induisse; quâ supplicem. Erant enim supplices coronarij apud veteres.* Ibidem: *Ipsæ fores, ipsæ hostiæ & aræ, ipsi ministri, & sacerdotes idolorum coronabantur.* De vittis Lucanus: *vittata sacerdos.* Virgilius: *Redimitus tempora vittis.* Eiuscemodi vittas coronasque, quæ sæpe inuitis impositæ erant, Christiani reiiciebant, & puræ fronti signum Christi inscribendo, se Christianos profitebantur. Quo etiam S. Cyprianus alludit: *Ab impio sceleratoq; velamine, quo illic velabantur sacrificantium capita captiua, caput vestrum liberum mansit. Frons cum signo Dei pura, diaboli coronam ferre non potuit; coronæ se Domini reseruauit.* Ex quibus facilè intelligere est, vnde ille furor in capita & frontes Martyrum, in quos Ethnici odio crucis frequenter vsurparunt barbaricum illud supplicium, vt frons secta, inusta, notis compuncta variè torqueretur. Huc refero illud apud Pontium S. Cypriani Diaconum, qui appellat *Confessores frontium notatarum secunda inscriptione signatos, & ad exemplum martyrij superstites reseruatos.* Hinc etiam S. Andeolus *sub Seuero Imperatore*, inquit Romanum martyrologium, *spinosis fustibus cæsus, demùm ense ligneo, capite in quatuor partes in modum crucis conscisso, martyrium consummauit.* *Tertull. de coron. milit.* *Lucan. 1.* *Virg. 3. Aeneid.* *Cypr. de lapsis.* *Pont. in Vita Cypr.* *Rom. Martyrol. 1. Maij. Eadem Beda, Vsuardus, & Ado.*

Hæretici ne viderentur esse parum similes Ethnicis, etiam in hoc crucis inimicorum æmuli sunt. Ariani *nonnullos in frontibus*, ait Victor, *neruis remugientibus torquendo cruciabant*, qui & S. Armogastis Martyris *frontem, in qua Christus vexillum suæ fixerat crucis, ita constrinxerunt, vt* (verba Victoris sunt) *rugatam, magisq; aratam descendentes, atq; mugientes ostenderent nerui.* Enituit hîc crucis virtus: nam vincula, *vt fila aranearum, sancto cœlum respiciente crepabant. At vbi tortores neruicas chordas disruptas esse viderunt, allatis crebrius fortioribus chordis, atq; canabinis, illo nihil aliud nisi Christi nomen inuocante, illa omnia vanescebant.* *Vict. 1. de persec. Vandal.*

Sancti Theophanes & Theodorus acerrimi propugnatores contra crucis & imaginum hostes, ab Imperatore Theophilo Staurоclasta in fronte notis compuncti sunt. *Atq; notis illis*, inquit Zonaras, *hos iambicos versus atramento infuso expressit*: quos apud Cedrenum & Zonaram inuenies. *Zonaras tom. 3. in Theophilo. Cedren. in Theophilo.*

# CAPVT XXXIII.

## *Benedictiones apud Christianos plerumque fieri adhibito crucis signo.*



Gen. 14. Gen. 27. Deut. 33. Gen. 49. Gen. 1.

IN veteri & nouo Testamento, & in historiis Sanctorum, sæpissimè fit mentio benedictionis. Melchisedech Rex Salem benedixit Abrahæ à cæde Regum cum victoria reduci. Isaac moriturus benedixit filiis suis. Benedixit Moyses, homo Dei, filiis Israël ante mortem suam. Benedixit Iacob Patriarcha Manasse & Ephraim filiis Ioseph. Idem singulis filiis suis benedixit, benedictionibus duodecim.

Gen. 12. & 26.

Imò ipse Deus creaturis recens conditis benedixit, & ait: *Crescite & multiplicamini.* Idem Patriarchis illis Abraham Isaac & Iacob benedictionem suam, tanquam ingens beneficium promittere solitus fuit. Hinc cùm benedicunt parentes filiis suis, & amici amicis, vel alij aliis; diuinam benedictionem illis precari consueuerunt: *Deus autem omnipotens benedicat tibi,* ait Isaac & Iacob, *& det tibi benedictiones Abrahæ, & semini tuo post te.* Et Psalmista: *Benedicat tibi Dominus ex Sion.*

Psal. 127.

Gen. 32.

Angelos insuper hominibus benedixisse legimus: *Non dimittam te,* aiebat Iacob ad Angelum, *nisi benedixeris mihi* : *& benedixit ei in eodem loco.*

Marc. 6. Matth. 26.

In nouo Testamento Christus accepit panes & pisces, & aspiciens in cœlum *benedixit & fregit.* Et in suprema cœna, cùm sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramentum institueret, *accepit panem, benedixit & fregit.* Similiter & calicem accepit, gratias egit, & *benedixit.* Et post resurrectionem suam in Emaus accepit panem, & benedixit, & fregit. Et adscensurus in cœlum, eleuatis manibus suis *benedixit* discipulis, & dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cœlum.

Luc. 24.

Matth. 10.

Apostoli domum ingredientes dicebant: *Pax huic domui.* Et in veterum historiis varias benedictiones legimus, tam super homines, quàm super alias res.

Hieron. in Vita S. Hilar.

Refert S. Hieronymus, concurrisse Episcopos, Presbyteros, Clericorum & Monachorum greges, matronas potentesque viros ac Iudices, vt benedictum à S. Hilarione panem vel oleum acciperent. Refert idem, Hilarionis benedicto oleo vniuersos agricolas atque pastores à venenatis animalibus percussos, certam salutem resumpsisse. Oleo item à se benedicto, sanat S. Martinus puellam ægram, teste Sulpitio.

Sulpit. in Vita S. Martini.

Hier. ad Pam.

Narrat S. Hieronymus S. Epiphanio Episcopo Salaminæ in Cypro, cùm Hierosolymam venisset, à parentibus fuisse oblatos par-

nulos benedicendos. Et vt idem auctor scribit; S. Antonius Eremita leonibus, qui sepulchrũ pro corpusculo S. Pauli Eremitæ effoderant, benedixit. Et Sarraceni gregatim Hilarioni cum vxoribus & liberis obuiam processêre, submittentes colla & voce Syra, *Barach*, hoc est, *benedic*, inclamantes, vt S. Hieronymus scriptum reliquit. *Hier. in Vita S. Pauli.*

*Eudoxia Arcadij Imperatoris vxor, nos accersit*, inquit Marcus Gazensis, *& nobis occurrit in porta cubiculi, portans infantem* Theodosium *in purpura. Inclinauit verò caput, dicens; Benedicite Patres mihi, & filio, quem donauit Dominus per sanctas vestras preces. Infantem quoque tradidit, vt ipsum signarent. Sancti autem Episcopi, & ipsam, & infantem signarunt signo Crucis.* *Marcus in Vita S. Porphyrij.*

Agrestinus monachus profugus, S. Eustasio obiecit; *in ingressu cuiuslibet domus intra cœnobiũ tam introeuntẽ, quã egredientẽ, benedictionẽ postulare.* Subiungit Ionas respõsum S. Eustasij; vnde patet signo Crucis sibi inuicẽ monachos benedixisse. *Introeuntẽ monachum cellulã, vel exeuntem benedictione Domini armari, ratum duco*, inquit S. Eustasius in Concilio Matisconensi, *iuxta Psalmistæ vocem: Dominus custodit te ab omni malo, custodiat animam tuam Dominus. Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum, ex hoc, nunc & vsq; in sæculum. Licet enim hoc ad vnumquenq; Christianum referatur, vt gratia baptismi per fidem in Ecclesia seruetur, in eo videlicet, qui ad eam ingreditur, & vsq; ad finem perseuerantiæ vigore firmetur: de quotidiano tamen motu, siue ingressu, vel egressu, seu progressu, vnumquemq; nostrum signo Crucis armari, vel benedictione sodalium fas duco roborari.* *In Vita S. Eustasij apud Bedam.* *Psal. 120.*

*In magna erat veneratione tempore illo* (nimirum circa annum DC. LXIV.) *religionis habitus*, inquit Beda, *ita vt vbicunq; Clericus aliquis, aut Monachus adueniret, gaudenter ab omnibus tanquam Dei famulus exciperetur. Etiamsi in itinere pergens inueniretur, accurrebant, & flexa ceruice, vel manu signari, vel ore illius se benedici gaudebant.* *Beda lib. 3. hist. Anglic. cap. 26.*

Benedicebatur autem & nunc etiam benedicitur minor à maiore: *Sine vlla contradictione*, inquit Apostolus, *quod minus est à meliore benedicitur.* *Ad Hebr. 7.*

Quare S. Hieronymus reprehendit Diaconos, qui in domesticis conuiuiis benedictiones presbyteris dabant; *Discant*, inquit, *qui hoc faciunt, se non rectè facere.* Carolus Magnus in Capitularibus. *Auditum est aliquas Abbatissas contra morem sanctæ Dei Ecclesiæ benedictiones cum manus impositione & signaculo sanctæ Crucis super capita virorum dare. Nec non & velare virgines cum benedictione sacerdotali, quod omnino vos sanctissimi Patres, in vestrũ parochiis interdicendum esse scitote.* Meminit idem Hieronymus benedictionum sacerdotalium: *Sacerdotum,* *Hier. epist. 85.* *Legis Francicæ lib. 1. cap. 71.* *Hier. in cap. 2. Malch.*

*tum*, inquit, *benedictiones vertuntur in maledictiones, quando non benedicunt sanctis ex vero cordis affectu.*

In sacris Missæ mysteriis, solebant Sacerdotes potissimùm populo benedicere: *Cùm populus*, inquit S. Augustinus, *ad altare benedicitur, tunc Antistites, velut aduocati, susceptos suos per manuum impositionem misericordissimæ offerunt potestati.* Huic etiam benedictioni sacerdotali in sacris dari solitæ, testimonium præbent antiqua Concilia Agathense & Aurelianense primum.

*Aug. epist. 59.*

*Canon. 47. & can. 28.*

Etiam ab Episcopis benedictionem accipere moris erat: *Surreximus*, inquit Augustinus, loquens de se & aliis, qui ægrotantem amicum inuisebant, præsente etiam Episcopo, *& accepta ab Episcopo benedictione, discessimus.* Nectarius item ciuis Tarsensis, & postea Archiepiscopus Constantinopolitanus, Theodorum, Tharsi Episcopum, adiit, *vt ab eo cum precatione benedictionem acciperet*, vt scribit Nicephorus. Trita quoque illa sunt, & antiquissimis Liturgiis testata; εὐλόγησον κύριε. pro quo latini: *Iube Domne benedicere*; cùm Diaconus, vel is, qui Diaconi vel inferioris gradus munere fungitur; benedictionem à superiore petit.

*Aug. lib. 22. de ciuit. Dei, c. 8.*

*Niceph. lib. 12. cap. 12.*

Porrò omnis benedictio fit vel signo tantùm, vel verbo tantùm, vel vtroque simul. Postremæ huius exemplum sit benedictio, qua Iacob Patriarcha benedixit filiis Ioseph: Imposuit enim capitibus illorum manus in crucis speciem conformatas; adiunctis illis verbis: *Deus in cuius conspectu ambulauerunt patres mei.* Aaron præterea extendens manum ad populum benedixit; &, vt videtur, solo signo, absque verbis, cuius generis fuisse etiam videtur benedictio discipulis à Christo abituro data. Verbo solo peracta videtur benedictio, vt alias prætereamus, qua Iacob duodecim filiis suis, & Moyses duodecim tribubus Israël benedixerunt.

*Gen. 48.*

*Leuit. 9.*

*Luc. 24.*

*Gen. 49.*

*Deut. 33.*

Ex Apostolica traditione, & fortè etiam exemplo ab ipso Saluatore nostro desumpto; solent Christiani, cùm alicui benedicunt, crucis figuram efformare, vt benedictio maiorem vim ab ipsa sanctissima Domini nostri cruce accipiat. Hinc benedictio cum signo crucis data appellatur *signum benedictionis.* hocque aliquando futurum, mysticè præfigurabat illa Iacob Patriarchæ cancellatis manibus benedictio; & illa altera Aaronis extensa manu. Nec desunt auctores, qui Christum crucis figuram supra discipulos expressisse tradant, cùm adscensurus in cælum, eleuatis manibus illis benedixit.

*Aimoin. lib. 5. cap. 37.*

Quanti verò in veteri Testamento huiusmodi benedictiones maiorum suorum minores fecerint; satis docent Iacob & Esau fratres, quorum ille omni ope contendit, vt benedictionem primogenito fra-

fratri suo præriperet; hîc sibi præreptam ægerrimè tulit. Quo loco item Christiani, imò & Sarraceni sanctorum Eremitarum & Episcoporum benedictiones habuerint, satis intelligitur ex his quæ paulò superius ex S. Hieronymo & aliis retulimus. Nec mirum: nouerant enim quantas vtilitates concessa benedictio afferret: *Apostoli*, inquit S. Hieronymus, *ingredientes dicebant: Pax huic domui. Et si digna erat domus, requiescebat pax eorum super eam: Si verò exhibebat se indignam, reuertebatur ad eos, qui eam fuerant imprecati. Habebat enim benedictio cum voto effectum: & erat in potestate credentium, si talem se benedictus, qualem benedicens præbere voluisset.* *Hier. in cap. 3. ad Titum.*

Hæretici huius temporis, vt ipsam crucem, ita & omnes cùm cruce benedictiones execrantur, *nolunt benedictionem*, quamobrem mirandum non est, si ab eis *elongetur.* Malunt spernendo benedictiones sacerdotales videri similes hæreticis Pelagianis, quam eas expetendo, Catholicis. Illos enim sacerdotales benedictiones reiecisse testantur Patres Concilij Carthaginensis, inter quos erat etiam S. Augustinus, in epistola ad Innocentium Romanum Pontificem: *Contradicitur*, aiunt illi Patres, *Pelagianorum contentione benedictionibus nostris, vt incassum super populum dicere videamur; quidquid eis à Domino precamur, vt rectè ac piè viuendo illi placeant.* Infrà: *Si ergo voluerint benedictionem super populum dicere; Da illis Domine virtutem corroborari per spiritum tuum: istorum nobis disputatio contradicit.* Hæc illi Patres. Cæterùm de miraculosis quibusdam effectibus, qui ad benedictionem Sanctorum virorum per virtutem sanctæ Crucis aliquando sunt consecuti, infrà suis locis agemus. *Epist. 90. apud S. Augustinũ.*

## CAPVT XXXIV.

### *De more accedendi ad S. Eucharistiam iunctis in formam crucis manibus. Item ad finem cuiusuis horæ, & ad lumina illata signum crucis formabatur.*



OLIM receptum vsu fuit, vt Christiani ad sanctißimum Eucharistiæ Sacramentum accederent, manibus in speciem crucis conformatis. Quod præcipitur in Synodo Trullana. Statutum ita habet: *Antequam fiat Communio, Eucharistiam accepturus, manus in crucis formam figurans, sic accedat, & gratiæ communionem accipiat.* *Can. 101.*

Ex quibus verbis dubium suboritur, an velit Synodus, vt Christiani adituri ad illud sacrosanctum Mysterium, cancellatis brachiis,

& decussatim ad pectus adstrictis, crucis formam exprimant. An verò velit Synodus, vt ipsas manus tantùm in crucis figuram conforment, vnam manum alteri supponendo in crucis formam. De hoc secundo habitu intelligo S. Cyrillum Hierosolymitanum, qui vult Christianos ad sacram Eucharistiam accedere, manu sinistra dextræ subiecta; quo modo verè in crucis formam manus componi necesse est. *Accedens ad Communionem*, inquit S. Cyrillus, *non expansis manuum volis accede, neq; cum disiunctis digitis; sed sinistram, veluti sedem quandam subiicias dextræ, quæ tantum regem susceptura est: & concaua manu suscipe Corpus Christi, dicens, Amen.* Hoc ipsum videtur Synodus voluisse, illis verbis: *Eucharistiam accepturus, manus in crucis formam figurans, accedat.* ipsa enim sinistra dextræ subiecta, in crucis formam manus figurat. Imò Synodum hoc voluisse patet ex sequentibus verbis, quibus prohibetur vsus aureorum vasculorum. Iubent enim Trullani patres, vt non vasculis, sed manibus in crucis formam compositis recipiant S. Eucharistiam. *Eos enim qui ex auro, vel ex alia materia, quædam loco manus receptacula efficiunt*, inquit Synodus, *ad diuini muneris susceptionem, & per ipsa, immaculatam communionem recipiunt, minimè admittimus.*

*Cyrill. catech. mystag. 5.*

*V. de qua notat Balsamon in can. 102. Synod. Trull.*

Nec ad rem facit prior ille modus, vt scilicet, antequam accipiant Eucharistiam, brachia decussatim ad pectus adstringant, & sic manibus in crucis formam piè compositis accedant. Quo modo etiam hodie multi manus ad pectus decussatas in crucis figuram astringunt. Qui mos & olim solennis fuit obseruatus ab omnibus, qui rei diuinæ assistebant. Vnde Bulgari ex Nicolao Pontifice primo, inter alia etiam hoc quæsierunt, vtrum verum sit, quod Græci tradunt, *eum, qui in Ecclesia, non constrictis ad pectus manibus, steterit, maximo peccato se se obstringere.*

*Nicol. I. ad consulta Bulgarorum.*

Secundus mos hoc capite illustrandus, sit iste. Pij, qui horæ elapsæ signo audito vel viso, cruce se consignant, faciunt id more priscis Christianis consueto. Cuius nobile testimonium est in Conuersione S. Afræ & sociarum Martyrum, quam vir nobilis & clarissimus Marcus Velserus edidit & illustrauit: *Ego* (ait ibi quidam Ethnicus ad S. Afram) *cognoui eos* (sanctos Narcissum & Felicem) *sero ad te venisse. & scio quia Christiani erant. Nam omni hora signabant frontes suas signo crucis, in qua Christus eorum passus est.*

De S. Eligio Nouiomensi Episcopo scribit Audoënus Episcopus Rothomagensis eius æqualis, quod hoc præceptum dederit: *Horis omnibus crucis signaculo vos armate, crucis vexillo vos communite.*

*Aud. lib. 2. de Vita S. Eligij cap. 16.*

S. Ephræm Syrus: *Diebus singulis ac noctibus, horis atq; momentis in omni*

loco

*loco circumferre* ( ſignaculum crucis ) *non deſinas*. Vel hinc patet ex quàm priſca Sanctorum diſciplina mos hic ad nos manarit, quo hodie, audita hora, ſignum crucis formamus & dicimus: Verleyhe vns Gott ein ſeelige Stundt / zu leben vnd zu ſterben: Quò S.& Ambroſius manifeſtè alludit cùm ait: *Chriſtiano populo qui mortem Domini circumferens, per momenta ſingula fronti propriæ mortis contemptum inſcribit, vtpote qui ſciat ſine cruce Domini ſalutem ſe habere non poſſe.* *Amb. epiſt. 77.*

Neque prætereundum, antiquiſsimam eſſe hanc Chriſtianorum conſuetudinem, qua ad lumen illatum, ſeſe crucis ſigno obſignant. Ethnicos quidem legimus, ad primam facem acclamaſſe ſibi hoc ſolenne verbum: VIVAMVS. Item: φῶς ἀγαθόν. Notum eſt, quo ſenſu dixerint, VIVE DVM VIVIS. quod dictum refert Tertullianus. Chriſtiani verò hodie hac ferè vel ſimili formula vtuntur: *Lux æterna luceat nobis*. Germani: Geb vns Gott das ewig Liecht. Simulque ſignant ſe ſigno crucis. Qui mos ſe ſignandi, ad primam facem illatam, ita priſco illi ſancto æuo Chriſtianorum ſolennis fuit, vt perenni conſuetudine edocti, etiam aliud agentes, hoc tamen agerent. Teſtis S. Chryſoſtomus, qui hoc exemplo confirmat, quanta ſit vis conſuetudinis, his verbis: *Accenſa lucerna, mente frequenter aliud operante manus ſignum facit*. Tertullianus clarè ad hunc morem alludit: *Ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quacunq; nos conuerſatio exercet, frontem crucis ſignaculo terimus.* *Vide Calium lib. 15. cap. 15. Tert. de reſurrect. carnis. Chryſ. hom. 27. ad Antioch. Tertull. de coron. milit.*

## CAPVT XXXV.

### *Veteres oraſſe manibus in crucis ſpeciem expanſis.*



ANTEQVAM ad crucis effectus veniamus; explicandus eſt hoc loco ritus plerarumq; nationum orandi extenſis manibus in ſpeciem crucis, nam & hic habitus crucis quoddam ſignaculum eſt non tam conſtans & permanens, quàm tranſiens: & ob id in hoc libro declarandus, cui crucis ſignaculum argumentum fecimus.

Omnium fermè gentium inter orandum hic habitus fuit, vt manibus paſsis, in cœlum ſublatis, ac protenſis, figurã crucis exprimerent; quod quia ab omnibus gentibus vſurpatum eſt; videntur naturali quadam inclinatione precantes ad hunc geſtum propendere; & hoc non immeritò: videmus enim omnes opis indigos, ſiue in quocunq; repentino diſcrimine conſtitutos, manus extendere, adeò vt homini in periculis naturale eſſe videatur, manus expandere. ac proinde non mirum, quod hoc habitu paſsim Ethnici opem orauerint,

vel discrimina sint deprecati: diuino consilio id agente, vt quædam crucis Christi præsignificatio esset apud gentes.

*Apul. lib. de mundo.* *Lucret. lib. 5.*

Proferamus huius moris aliquos testes: *Habitus orantium hic est*, inquit Apuleius, *vt manibus extensis ad cœlum precemur*. Lucretius.

*Nec procumbere humi prostratum, & pandere palmas*
*Ante Deûm delubra.*

*Clem. orat. Exhort. ad Gétes.* Clemens Alexandrinus: *Non improbabiliter Democritus ait, paucos ex doctis hominibus manus sustulisse.* Eos, qui in Tharsis cum Iona Propheta contendebant nauigare, extensis orasse manibus, testatur Tertullianus.

*Tert. carm. de Iona & Niniue.*

*Expanduntq; manus nullorum ad numina Diuum.*

*Liuius lib. 36.* *Arbit. in Sat.* *Halicar. lib. 4. Antiq.* *Arrian. in Epicteto lib. 4. c. 10.* *Athen. lib. 13. cap. 27.* *Idem habet Arrian. lib. 4 de gestis Alex.*

Liuius: *Nixa genibus supinas manus ad cœlum ac Deos tendentes.* Petronius Arbiter: *Licas trepidans ad me supinas porrigit manus.* Dionysius Halicarnass. *Brutus vt cognouit casum & necem Lucretiæ, protensis ad cœlum manibus, Iuppiter, inquit, dijq; omnes.* Arrianus: *Si versantem talibus in actionibus mors me arripiat, satis mihi erit, si porrectis ad Deum manibus, sic loqui valeam.* Illustre exemplum de more hoc est apud Athenæum: *Cùm hoc Darius cognouisset*, nempe captas filias suas ab Alexandro tam honestè habitas, *manus ad solem extendens, precatus est, vt vel ipse imperaret, vel Alexander.* In Virgilio sunt passim obuia testimonia. vnum hîc pono:

*Virg. 3. Aeneid. Item 2. 4. 5. 10.*

*At pater Anchises passis de littore palmis,*
*Numina magna vocat.*

*Nonius cap. 4. V. passum.* *Ennius 10. Annal.* *Brisson. lib. 1. Formularum.*

Nonius, *passis palmis*, interpretatur, *patentibus & extensis*, ad illud Ennij, *Ægro corde, comis passis latè palmis pater.*

Ex his igitur (vt omittamus ea, quæ Barnabas Brissonius affert) satis manifestum est, quàm solemne fuerit in orationibus & votis nuncupandis, manus crucis figurâ extendere: in quo sancti Patres Dei consilium agnoscunt; quod fuit, vt Ethnici à crucis mysterio nō abhorrerent; ad cuius figuram ipsi orantes sese conformassent; & vt suo ipsorum facto redarguerentur, qui crucem odissent, quam reuerentiæ adorationisque symbolum & cæremoniam haberent, ac corporis compositione exprimerent.

*Minut. in Octauio.*

Certè Minutius Felix ab hoc contra Gentilium odium in Crucem ducit argumentum: *Signum sanè crucis*, inquit, *naturaliter visimus in naui cùm velis tumentibus vehitur, cùm expansis palmulis labitur, & cùm erigitur iugum, crucis signum est; & cùm homo porrectis manibus Deum pura mente veneratur. Ita signo crucis aut ratio naturalis innititur, aut vestra religio formatur.* S. Hieronymus: *Homo natans per aquas, vel orans, forma crucis visitur.*

*Hier. vel alius Auctor in cap. 11. Marci.*

His

His omissis, conuertamus nos ad Hebræos, quos extensis manibus orasse testis est Moyses, qui manus extendens contra Amalech, & coram Pharaone, figura fuit extensionis manuum Christi in Cruce: *Victoriam,* ait Gregorius Nyssenus, *extensio manuum Moysis, per quam mysterium crucis figuratur, præstitit. quo mysterio verus Israël quoque vincit.* Ibidem: *Hanc à peccato libertatem nostram à crucifixo factam, tenebrasq; ignorantiæ morte ac resurrectione ipsius repulsas ab historia significatas crediderim, maximè cùm & ibi Moyses pro Ægyptiis, qui sensibilibus tenebris laborabant, & hic Christus pro peccatoribus, qui delictorum tenebris obfuscantur, manus extenderit. Puluerem autem de camino sumptum, qui turgentia vlcera doloresq; intolerabiles Ægyptiis inferebat, ipso nomine camini admoniti, gehennæ ac ignis illius cruciatum significasse credimus. Qui quidem ignis, solos vexat Ægyptios, id est, malè viuentes, & extensionem manuum Christi non adorantes: si quis verò Israëlita est, nepos Abrahæ, qui illius vitam fide & opere imitetur, is ignem illum non sentiet, extensione manuum Moysis, id est, Christi, liberatus.* Hæc Nyssenus. Greg. Nyss. in vita Moysis.

Testimonia quibus probetur Hebræos passis manibus supplicasse, obuia sunt: *Clamaui ad te Domine,* ait Dauid, *tota die expandi ad te manus meas.* De Salomone legimus: *Surrexit de conspectu altaris Domini; vtrumque enim genu in terram fixerat, & manus expanderat in cælum. Manus meas,* ait Iesus filius Sirach, *extendi in altum.* Cosmas Hierosolymitanus de Iona Propheta: *Humidæ feræ in visceribus palmas Ionas in figuram Crucis tendens, Saluatoris passionem præfigurabat manifestè.* Psal 87.43.142. 3. Reg. 8. 2. Paral. 6. Eccles. 51. Cosm. hym. 9. de exalt. S. Crucis.

Et Iudas Machabæus *considerans aduentum multitudinis, & apparatum variorum armorum, & ferocitatem bestiarum, extendens manus in cælum prodigia facientem Dominum inuocauit.* 2. Machab. 15.

Neque verò tantùm aliqui, sed promiscuè omnes Iudæi hoc habitu orarunt: *Sacerdotes, protendentes manus in cælum inuocabant eum.* Mulieres item hoc gestu preces concepisse patet ex hoc scripturæ loco: *Accinctæq; mulieres ciliciis pectus, per plateas confluebant, sed & virgines, quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam, aliæ autem ad muros, quædam verò per fenestras prospiciebant, vniuersæ autem protendentes manus in cælum deprecabantur.* Omnibus communem hunc precandi gestum fuisse, ostendit Salomon: *Si quis de populo tuo Israël fuerit deprecatus, cognoscens plagam & infirmitatem suam, & expanderit manus suas in domo hac, tu exaudies de cælo.* Ac passim reperiuntur plura huius moris testimonia in scriptura; vt non immeritò dicat Clemens Alexandrinus de Hebræorum adoratione: *Sanctas vlnas tollunt ad cælum.* 2. Machab. 14. 1. Machab. 3. 2. Paral 6. Isai. 1. Eccles. 48. Hierem. 4. Thren. 1. Clem. exhort. ad Gentes.

Hoc igitur gestu Iudæorum orantium, grande Christianorum mysterium præsignificabatur, quod tandem Christus peregit in Cruce, expansis manibus pro nobis orans. Quare Christiani in Domini-

cæ passionis memoriam & reuerentiam, expansis manibus olim preces fundebant: *Nos verò*, inquit Tertullianus, *non attollimus tantùm, sed etiam expandimus, & Dominica passione modulantes & orantes confitemur Christum*, Idem: *Paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis Christiani*. quia videlicet Crucem orando formabat, hocque ipso neque Crucem, neque aliud mortis genus se formidare profitebatur.

*Tertul. de orat. Idem in Apol.*

Huius gestus seruandi auctores habemus ipsos Apostolos: S. Paulus ad Timotheum scribens: *Volo*, inquit, *viros orare in omni loco, leuantes puras manus*. De quo S. Ambrosius: *Quid est leuantes puras manus? Nunquid debes in oratione tua crucem Domini gentibus demonstrare? Illud quidem signum virtutis est, non pudoris*. Eodem modo interpretatur S. Augustinus: *Ecce leuauit ille manus, & obtulit pro nobis sacrificium Deo seipsum & per illud sacrificium deleta sunt omnia peccata nostra. Leuemus & nos manus nostras ad Deum in prece, & non confundentur manus nostra leuata ad Deum, si exerceantur in bonis operibus Quid enim facit qui leuat manus? Vnde praceptum est, vt leuatis manibus oremus ad Deum? Apostolus enim dicit: Leuantes puras manus*.

*1. Tim. 2. Ambr. lib. 6. de Sacram. cap. 4. Aug. in Ps. 62.*

Quam Apostoli voluntatem ritè executa est pia posteritas: Nam sic institutos esse Christianos, vt hoc habitu orarent, colligimus ex iis, quæ habet Maximus Taurinensis: *Ipsius etiam incessus hominis*, inquit, *cùm manus leuauerit, Crucem pingit. atque ideo eleuatis manibus orare pracipimur, vt ipso quoque membrorum gestu passionem Domini fateamur. Tunc enim citius nostra exauditur oratio, cùm Christum, quem mens loquitur, etiam corpus imitatur*. S. Petrum decertantem contra Simeonem Magum, hoc habitu orasse, testatur Clemens Romanus cuius orationis effectum ita describit Arnobius: *Viderunt* (Romani) *cursum Simonis Magi, & quadrigas igneas Petri ore difflatas, & nominato Christo euanuisse. Viderunt, inquam, fidentem diis falsis, & ab iisdem metuentibus proditum, pondere pracipitatum suo, & cruribus iacuisse perfractis*. S. Epiphanius affirmat S. Iacobum Apostolum cognomento Iustum expansis manibus orantem impetrasse pluuiam, cùm vrgeret pestilens siccitas. S. Augustinus: *Orantes de membris sui corporis faciunt, quod supplicantibus congruit, cùm genua figunt, cùm extendunt manus, vel etiam prosternuntur solo, & si quid aliud visibiliter faciunt, quamuis eorum inuisibilis cordis intentio Deo nota sit*. Rusticus Helpidius, vir nobilis & Exquæstor, Theodorico Gotthorum Regi charus; ita canit:

*Maxim. homil. de Cruce, inter Ambrosianas. Clem. li. 6. Constant cap. 9. Arn. lib. 2. contra Gentes. Epiph. hær. 78. Aug. lib. de cura pro mort. agendis. Help. hist. Veteris & noui Testam. tom. 8 Biblioth. SS. PP.*

*Cui iugiter esse precandum*
*Extensis manibus mærenti in funere tensa*
*Monstrauere manus.*

S. Basilium Magnum orasse expansis in formam Crucibus manibus, testatur Gregorius Nyssenus: *Sapenumero se opposuit Amalechitis, pro scuto vsus oratione; quo manus tollente verus Iesus hostes euincebat*. Apud S. Hippolytum

*Nyssen orat. in laud. Basilij. Hippol. orat. de Antichristo.*

tum

tum Episcopum & Martyrem, ita Christus damnandos alloquitur: *Manus vestras feci, vt ad preces & obsecrationes extenderetis eas, at vos ad rapinas, cædes & mutuas occisiones expandistis.*

Episcopos publicè hoc schemate vota fudisse, constat ex Iustiniano, qui ait: *Locorum Episcopum accersat, qui & manus in cœlum protendat, & prece sua locum consecret.* S. Chrysostomus de religiosis: *Sistunt sanctum constituentes chorum, & statim manus expandentes sacros hymnos decantant.* S. Ephræm: *Monachi manus reuerenter ad Deum extensæ sint: manibus enim suis præfigurans crucem Moyses deuicit Amalech: magnum præmium crucifixus consequetur.* Idem: *Pro arcu ad orationem manus tuas extende. sicut scriptum est: Et posuisti vt arcum æreum brachia mea. Verè enim arcus æreus est contra inimicos expansæ in oratione manus.* Sacerdotes dum sacra Mysteria peragunt, hoc etiam gestu adorant. Vnde Stephanus Eduensis Episcopus inquit: *Extensio manuum sacerdotis extra casulam prætendit in Cruce manuum Christi extensionem.*

*Authent. 123.*
*Chrys. hom. 59. ad pop. Antioc. & in 1. Tim. homil. 14.*
*Ephram paran. 1. ad eos qui in relig. rudim. & de panoplia.*
*Psal. 17.*
*Stephan. Ed. de Sacram, ca. 10.*

Vniuersum populum in Crucis formam expansis manibus adorasse, dum proponebatur tremendum illud in Missa sacrificium, testis est S. Chrysostomus: *Non temerè ab Apostolis hæc sancita fuerunt, vt in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, vtilitatem multam. Cùm enim totus constiterit populus extensis manibus, sacerdotalis plenitudo, & tremendum proponatur sacrificium, quomodo Deum non exorabimus pro his deprecantes?*

*Chrys. hom. 69 ad pop. Antioc.*

Petrus Damianus in Institutione Monastica: *Sæpè manus ad orationem in modum signi Saluatoris extende: vt, dum Crucis imaginem conaris exprimere, meritò apud Crucifixum veniam debeas facilius impetrare.*

*Petrus Dam. de Instit. Monast.*

Asterius Episcopus Amaseę, apud Photium, sermone in illud: *Duo homines ascenderunt in templum, &c. Oratio est vitæ nostræ auxilium, colloquium cum Deo, obliuio terrenorum, via ad cœlum, & rectas tendere in cœlum manus, formam est exhibere Christi crucifixi. Si verè oret, & orans placeat Deo, non in figura Crucem repræsentat, sed etiam affectu: vt enim in Cruce clauis affixus, sic & orans necat omnem carnis concupiscentiam.*

*Asterius apud Phot. Vol. 271.*

Quin & benedictiones expansis manibus à sanctis viris & sacerdotibus accipiebant: *S. Disciola*, inquit Gregorius Turonensis, *B. Saluij Albigensis Episcopi neptis, expansis manibus benedictionem efflagitans, ait: Benedic mihi sancte & famule Dei excelsi.*

*Tur. lib. 6. hist. Franc. cap. 29.*

Hanc precantium figuram, crebrò comitata sunt miracula. Insigne est de Gregorio Thaumaturgo: *Alij quidem*, inquit Gregorius Nyssenus, *radicibus collis circumsessis obseruabant, ne qua, si fugam tentassent, euadere possent: nonnulli verò qui montem subierant, in omnibus partibus scrutantes, iam Magno illi Gregorio erant in conspectu, rectè ad eum subeuntes: ille verò comi-*

*Nyssen. in Vita S. Greg. Thaumat.*

item

*tem hortatus, vt firma ac indubitata erga Deum fiducia consisteret, eique salutem committeret, similiter atque ipse faceret, manus ad orationem extendens, ac ne, si propè quidem persecutores accessissent, metu fidem excussam proiiceret: exemplum eius rei, quam præcipiebat, Diacono seipsum præbebat, cùm & immotis oculis, & passis manibus, & habitu arduo atque erecto cœlum intueretur. Atque hi quidem hæc agebant: illi verò, qui ad eum euaserant, cùm locum totum perlustrassent, & inibi omnia dumeta atque arbusta omnia, prominentia saxa, omnes cauernas voraginum, cum summa diligentia perscrutati essent, rursus ad collis radices contendunt, vt metu perscrutantium, in fugam ille versus, in potestatem eorum veniret, qui infimam partem collis circumsepsissent. Vt igitur neque ab his inuentus est, neque apud illos erat, atque speculator ille locum, vbi Magnus ille consisteret, signis describebat, in quo loco scrutatores, præter duas duntaxat arbores, paululum inter se distantes, neminem se vidisse affirmabant. Digressis tandem scrutatoribus, cùm substitisset index, atque in oratione & ipsum illum virum magnum & comitem eius offendisset, atque id ope diuina factum esse iudicaret, vt illi persequentibus, arbores esse viderentur, procumbit ei ad pedes, creditq́ue sermoni, & qui paulò antè persecutor fuerat, vnus ex profugis fiebat.* Hæc Nyssenus.

*De Baptismo Bebiani tom. 8. Bibliot. SS. PP.* Bebiano viro consulari iamiam morituro inter orandum Deus se videndum obtulit, de quo vetus quidam Auctor:

*Suspiciens cœlum ille manus dispandit & in se*
*Brachia constringens quasi quadam munera cœlo*
*Missa auido premit amplexu, Meáne omnia sunt hæc?*
*Percunctans.*

*In conuers. & pass. S. Afræ.* Miraculum, quod S. Narcisso expansis manibus oranti obtigit, cùm S. Afram conuertere vellet, ita proditum legimus: *Abiit Afra ad matrem suam Hilariam & dixit: Episcopus Christianorum venit ad me, nesciens quò intraret, & per totam noctem expandens manus suas ad Deum, cantans quod nouit, nos fecit simul orare, circa verò pullorum cantũ, extinctum est lumen candelæ, & cœpi festinare, vt eam accenderẽ, & non potui; tunc dixit mihi Diaconus eius; noli quærere lumen extinguibile, modò tibi ostendetur lux, quæ extingui non potest, & cùm dixisset Episcopus: Veni lux mea de cœlo, ostende faciem tuam, & salui erimus: venit fulgor de cœlo, sicut sol, & sicut coruscatio ante tonitrum, & non recessit antequam aurora inciperet.* Legimus ciuem Augustanum manibus in formam crucis protensis, ad sepulchrum S. Vdalrici prostratum, inter orandum sanitati restitutum esse.

*In conuers. S. Afræ. Lib. de Inuent. translat. & miraculis S. Vdalrici.* Quantopere diabolus hanc orantium conformationem reformidet, vel ex hoc vnico patet exemplo, quod de S. Narcisso ita refertur. *Dicit ei dæmon: Modò iube me hîc manere ista nocte; dicit ei Narcissus: Si potes nobiscum manere, mane: dicit ei dæmon: Si non expandis manus tuas ad cœlos; & non psallis Deo tuo, possum hîc manere.*

Sed

Sed ne à diabolo eius administri dissentiant, oderunt itidem hæretici hanc conformationem corporis in crucis figuram, quin sannis & cauillis insequuntur hodie nostros sacerdotes, qui dum sacrosancta mysteria peragunt, manibus extensis aliquoties orant, quos per ludibrium aiunt: *vlnis & cubitis aërem metiri.* Discant impij illi ac pariter inscij, quid sanctissimus & doctissimus martyr de sacerdote in sacrificio Missæ manus expandente scribat: *Hierarcha pius, quem Spiritus sanctus compungit, excitat, inhabitat, & sanctificat, eleuatione manuum Crucis mysterium repræsentans, confidenter orat pro sua & populi ignorantia.* *Cypr. de cœna Domini.*

Talis habitus fuit illius sacerdotis, quem fœmina mortua est imitata: de qua Tertullianus: *Scio fœminam quandam vernaculam Ecclesiæ, forma & ætate integra functam; post vnicum & breue matrimonium, cùm in pace dormiisset, & morante adhuc sepultura, interim oratione presbyteri componeretur, ad primum habitum orationis, manus à lateribus dimotas, in habitum supplicem conformasse, rursumq́; condita pace, situi suo reddidisse.* Habitum supplicem fuisse manuum expansionem patet ex Tertulliano qui de orante ait: *Deo expanditur.* *Tert. lib. de anima cap. 51.* *Tert. lib. 1. adu. Marcion. c. 24.*

Mirùm, Hæreticos tam multos, & tam dissimiles, in vno tamen semper esse sui simillimos, dum crucem omnes oderunt; sic & olim Quintilliani, Pepuziani, Priscilliani, Phrygastæ, Montanistæ, seu Tascodrugitæ, priscum illum Catholicorum orandi morem, extensis manibus, mutarunt, & inter orandum naso digitum imposuerunt. Testis Epiphanius: *Vocantur autem*, inquit, *Tascodrugitæ ob hanc causam: Tascus apud ipsos pertica appellatur: Druggus verò nasus siue rostrum appellatur: & ab eo quod imponunt digitum suum, indicem appellatum, in nasum, dum orant, tristitiæ nimirum ac vltroneæ iustitiæ gratia, ab aliquibus Tascodrugitæ appellati sunt,* hoc est, *perticonasati aut perticorostrati.* Hæc Epiphanius. *Epiph. hær. 48.*

Eligant Hæretici nostræ ætatis hunc gestum, quandoquidem quouis corporis habitu malunt orare, quam eo, quem Christus, dum pro nobis in cruce orat, elegit, quemque omnes Christiani, omni ætate sanctè tenuerunt; quique non mediocriter iuuat & excitat affectum pietatis, & quodammodo animam in cœlum leuat, ob quod etiam tantoperè Christianis expetitus fuit. *Caput & manus in cœlum extendimus,* inquit Clemens Alexandrinus, *& pedes excitamus in vltima acclamatione orationis, promptitudine & alacritate spiritus, assequentes essentiam, quæ apprehenditur intelligentia, & vnà cum verbo corpus à terra abducere conantes, erectam & eleuatam animam desiderio meliorum, cogimus in sancta progredi, magno animo carnis vinculum despicientes.* Cùm dicit hic Clemens: *Caput & manus in cœlum extendimus*, operæpretium est notare, Christianos, temperatè potius & modestè, non omnino in sublime, protensas manus *Clem. lib. 7. Stromat.*

tum, inquit, *benedictiones vertuntur in maledictiones, quando non benedicunt sanctis ex vero cordis affectu.*

Aug. epist. 59. In sacris Missæ mysteriis, solebant Sacerdotes potissimùm populo benedicere: *Cùm populus*, inquit S. Augustinus, *ad altare benedicitur, tunc Antistites, velut aduocati, susceptos suos per manuum impositionem misericordissimæ offerunt potestati.* Huic etiam benedictioni sacerdotali in sacris dari solitæ, testimonium præbent antiqua Concilia Agathense & Aurelianense primum. Canon. 47. & can. 28.

Aug. lib. 22. de ciuit. Dei, c. 8. Etiam ab Episcopis benedictionem accipere moris erat: *Surreximus*, inquit Augustinus, loquens de se & aliis, qui ægrotantem amicum inuisebant, præsente etiam Episcopo, *& accepta ab Episcopo benedictione, discessimus.* Nectarius item ciuis Tarsensis, & postea Archiepiscopus Constantinopolitanus, Theodorum, Tharsi Episcopum, adiit, *vt ab eo cum precatione benedictionem acciperet*, vt scribit Nicephorus. Niceph. lib. 12. cap. 12. Trita quoque illa sunt, & antiquissimis Liturgiis testata; εὐλόγησον κύριε. pro quo latini: *Iube Domne benedicere*; cùm Diaconus, vel is, qui Diaconi vel inferioris gradus munere fungitur; benedictionem à superiore petit.

Porrò omnis benedictio fit vel signo tantùm, vel verbo tantùm, vel vtroque simul. Postremæ huius exemplum sit benedictio, qua Iacob Patriarcha benedixit filiis Ioseph: Imposuit enim capitibus illorum manus in crucis speciem conformatas; adiunctis illis verbis: *Deus in cuius conspectu ambulauerunt patres mei.* Aaron præterea extendens manum ad populum benedixit; &, vt videtur, solo signo, absque verbis, cuius generis fuisse etiam videtur benedictio discipulis à Christo abituro data. Verbo solo peracta videtur benedictio, vt alias prætereamus, qua Iacob duodecim filiis suis, & Moyses duodecim tribubus Israël benedixerunt. Gen. 48. Leuit. 9. Luc. 24. Gen. 49. Deut. 33.

Ex Apostolica traditione, & fortè etiam exemplo ab ipso Saluatore nostro desumpto; solent Christiani, cùm alicui benedicunt, crucis figuram efformare, vt benedictio maiorem vim ab ipsa sanctissima Domini nostri cruce accipiat. Hinc benedictio cum signo crucis data appellatur *signum benedictionis*. Aimoin. lib. 5. cap. 37. hocque aliquando futurum, mysticè præfigurabat illa Iacob Patriarchæ cancellatis manibus benedictio; & illa altera Aaronis extensa manu. Nec desunt auctores, qui Christum crucis figuram supra discipulos expressisse tradant, cùm adscensurus in cælum, eleuatis manibus illis benedixit.

Quanti verò in veteri Testamento huiusmodi benedictiones maiorum suorum minores fecerint; satis docent Iacob & Esau fratres, quorum ille omni ope contendit, vt benedictionem primogenito fra-

fratri suo præriperet; hîc sibi præreptam ægerrimè tulit. Quo loco item Christiani, imò & Sarraceni sanctorum Eremitarum & Episcoporum benedictiones habuerint, satis intelligitur ex his quæ paulò superius ex S. Hieronymo & aliis retulimus. Nec mirum: nouerant enim quantas vtilitates concessa benedictio afferret: *Apostoli*, inquit S. Hieronymus, *ingredientes dicebant: Pax huic domui. Et si digna erat domus, requiescebat pax eorum super eam: Si verò exhibebat se indignam, reuertebatur ad eos, qui eam fuerant imprecati. Habebat enim benedictio cum voto effectum: & erat in potestate credentium, si talem se benedictus, qualem benedicens præbere voluisset.* *Hier. in cap. 3. ad Titum.*

Hæretici huius temporis, vt ipsam crucem, ita & omnes cùm cruce benedictiones execrantur, *nolunt benedictionem*, quamobrem mirandum non est, si ab eis *elongetur.* Malunt spernendo benedictiones sacerdotales videri similes hæreticis Pelagianis, quam eas expetendo, Catholicis. Illos enim sacerdotales benedictiones reiecisse testantur Patres Concilij Carthaginensis, inter quos erat etiam S. Augustinus, in epistola ad Innocentium Romanum Pontificem: *Contradicitur*, aiunt illi Patres, *Pelagianorum contentione benedictionibus nostris, vt incassum super populum dicere videamur; quidquid eis à Domino precamur, vt rectè ac piè viuendo illi placeant.* Infrà: *Si ergo voluerint benedictionem super populum dicere; Da illis Domine virtutem corroborari per spiritum tuum: istorum nobis disputatio contradicit.* Hæc illi Patres. Cæterùm de miraculosis quibusdam effectibus, qui ad benedictionem Sanctorum virorum per virtutem sanctæ Crucis aliquando sunt consecuti, infrà suis locis agemus. *Epist. 90. apud S. Augustinu.*

## CAPVT XXXIV.

*De more accedendi ad S. Eucharistiam iunctis in formam crucis manibus. Item ad finem cuiusuis horæ, & ad lumina illata signum crucis formabatur.*



OLIM receptum vsu fuit, vt Christiani ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum accederent, manibus in speciem crucis conformatis. Quod præcipitur in Synodo Trullana. Statutum ita habet: *Antequam fiat Communio, Eucharistiam accepturus, manus in crucis formam figurans, sic accedat, & gratiæ communionem accipiat.* *Can. 101.*

Ex quibus verbis dubium suboritur, an velit Synodus, vt Christiani adituri ad illud sacrosanctum Mysterium, cancellatis brachiis,

& decussatim ad pectus adstrictis, crucis formam exprimant. An verò velit Synodus, vt ipsas manus tantùm in crucis figuram conforment, vnam manum alteri supponendo in crucis formam. De hoc secundo habitu intelligo S. Cyrillum Hierosolymitanum, qui vult Christianos ad sacram Eucharistiam accedere, manu sinistra dextræ subiecta; quo modo verè in crucis formam manus componi necesse est. *Accedens ad Communionem*, inquit S. Cyrillus, *non expansis manuum volis accede, neq; cum disiunctis digitis; sed sinistram, veluti sedem quandam subiicias dextra, quæ tantum regem susceptura est: & concaua manu suscipe Corpus Christi, dicens, Amen.* Hoc ipsum videtur Synodus voluisse, illis verbis: *Eucharistiam accepturus, manus in crucis formam figurans, accedat.* ipsa enim sinistra dextræ subiecta, in crucis formam manus figurat. Imò Synodum hoc voluisse patet ex sequentibus verbis, quibus prohibetur vsus aureorum vasculorum. Iubent enim Trullani patres, vt non vasculis, sed manibus in crucis formam compositis recipiant S. Eucharistiam. *Eos enim qui ex auro, vel ex alia materia, quædam loco manus receptacula efficiunt*, inquit Synodus, *ad diuini muneris susceptionem, & per ipsa, immaculatam communionem recipiunt, minimè admittimus.*

*Cyrill. catech. mystag. 5.*

*V. de qua notas Balsamon in can. 102. Synod. Trull.*

Nec ad rem facit prior ille modus, vt scilicet, antequam accipiant Eucharistiam, brachia decussatim ad pectus adstringant, & sic manibus in crucis formam piè compositis accedant. Quo modo etiam hodie multi manus ad pectus decussatas in crucis figuram astringunt. Qui mos & olim solennis fuit obseruatus ab omnibus, qui rei diuinæ assistebant. Vnde Bulgari ex Nicolao Pontifice primo, inter alia etiam hoc quæsierunt, vtrum verum sit, quod Græci tradunt, *eum, qui in Ecclesia, non constrictis ad pectus manibus, steterit, maximo peccato se se obstringere.*

*Nicol. I. ad consulta Bulgarorum.*

Secundus mos hoc capite illustrandus, sit iste. Pij, qui horæ elapsæ signo audito vel viso, cruce se consignant, faciunt id more priscis Christianis consueto. Cuius nobile testimonium est in Conuersione S. Afræ & sociarum Martyrum, quam vir nobilis & clarissimus Marcus Velserus edidit & illustrauit: *Ego* (ait ibi quidam Ethnicus ad S. Afram) *cognoui eos* (sanctos Narcissum & Felicem) *sero ad te venisse, & scio quia Christiani erant. Nam omni hora signabant frontes suas signo crucis, in qua Christus eorum passus est.*

De S. Eligio Nouiomensi Episcopo scribit Audoënus Episcopus Rothomagensis eius æqualis, quod hoc præceptum dederit: *Horis omnibus crucis signaculo vos armate, crucis vexillo vos communite.*

*Aud. lib. 2. de Vita S. Eligij cap. 16.*

S. Ephræm Syrus: *Diebus singulis ac noctibus, horis atq; momentis in omni*

loco

*loco circumferre* ( signaculum crucis ) *non desinas*. Vel hinc patet ex quàm prisca Sanctorum disciplina mos hic ad nos manarit, quo hodie, audita hora, signum crucis formamus & dicimus: Verleyhe vns Gott ein seelige Stundt / zu leben vnd zu sterben: Quò S. & Ambrosius manifestè alludit cùm ait: *Christiano populo qui mortem Domini circumferens, per momenta singula fronti propriæ mortis contemptum inscribit, vtpote qui sciat sine cruce Domini salutem se habere non posse.* *Amb. epist. 77.*

Neque prætereundum, antiquissimam esse hanc Christianorum consuetudinem, qua ad lumen illatum, se se crucis signo obsignant. Ethnicos quidem legimus, ad primam facem acclamasse sibi hoc solenne verbum: VIVAMVS. Item: φῶς ἀγαθόν. Notum est, quo sensu dixerint, VIVE DVM VIVIS. quod dictum refert Tertullianus. Christiani verò hodie hac ferè vel simili formula vtuntur: *Lux æterna luceat nobis.* Germani: Geb vns Gott das ewig Liecht. Simulque signant se signo crucis. Qui mos se signandi, ad primam facem illatam, ita prisco illi sancto æuo Christianorum solennis fuit, vt perenni consuetudine edocti, etiam aliud agentes, hoc tamen agerent. Testis S. Chrysostomus, qui hoc exemplo confirmat, quanta sit vis consuetudinis, his verbis: *Accensa lucerna, mente frequenter aliud operante manus signum facit.* Tertullianus clarè ad hunc morem alludit: *Ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcunque nos conuersatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.* *Vide Calium lib. 15. cap. 15.* *Tert. de resurrect. carnis.* *Chrys. hom. 27. ad Antioch.* *Tertull. de coron. milit.*

## CAPVT XXXV.

*Veteres orasse manibus in crucis speciem expansis.*



ANTEQVAM ad crucis effectus veniamus; explicandus est hoc loco ritus plerarumque nationum orandi extensis manibus in speciem crucis, nam & hic habitus crucis quoddam signaculum est non tam constans & permanens, quàm transiens: & ob id in hoc libro declarandus, cui crucis signaculum argumentum fecimus.

Omnium fermè gentium inter orandum hic habitus fuit, vt manibus passis, in cœlum sublatis, ac protensis, figurã crucis exprimerent; quod quia ab omnibus gentibus vsurpatum est; videntur naturali quadam inclinatione precantes ad hunc gestum propendere; & hoc non immeritò: videmus enim omnes opis indigos, siue in quocunque repentino discrimine constitutos, manus extendere, adeò vt homini in periculis naturale esse videatur, manus expandere. ac proinde non mirum, quod hoc habitu passim Ethnici opem orauerint,

vel discrimina sint deprecati: diuino consilio id agente, vt quædam crucis Christi præsignificatio esset apud gentes.

*Apul. lib. de mundo.* *Lucret. lib. 5.* Proferamus huius moris aliquos testes: *Habitus orantium hic est,* inquit Apuleius, *vt manibus extensis ad cœlum precemur.* Lucretius.

*Nec procumbere humi prostratum, & pandere palmas*
*Ante Deûm delubra.*

*Clem. orat. Exhort. ad Gẽtes.* Clemens Alexandrinus: *Non improbabiliter Democritus ait, paucos ex doctis hominibus manus sustulisse.* Eos, qui in Tharsis cum Iona Propheta contendebant nauigare, extensis orasse manibus, testatur Tertullianus. *Tert. carm. de Iona & Niniue.*

*Expanduntq; manus nullorum ad numina Diuum.*

*Liuius lib. 36.* Liuius: *Nixa genibus supinas manus ad cœlum ac Deos tendentes.* Petronius Arbiter: *Licas trepidans ad me supinas porrigit manus.* *Arbit. in Sat.* Dionysius Halicarnass. *Halicar. lib. 4. Antiq.* *Brutus vt cognouit casum & necem Lucretiæ, protensis ad cœlum manibus, Iuppiter, inquit, diiq; omnes.* Arrianus: *Arrian. in Epicteto lib. 4. c. 10.* *Si versantem talibus in actionibus mors me arripiat, satis mihi erit, si porrectis ad Deum manibus, sic loqui valeam.* Illustre exemplum de more hoc est apud Athenæum: *Athen. lib. 13. cap. 27.* *Cùm hoc Darius cognouisset,* nempe captas filias suas ab Alexandro tam honestè habitas, *manus ad solem extendens, precatus est, vt vel ipse imperaret, vel Alexander.* *Idem habet Arrian. lib. 4. de gestis Alex.* In Virgilio sunt passim obuia testimonia. vnum hîc pono: *Virg. 3. Aeneid. Item 2. 4. 5. 10.*

*At pater Anchises passis de littore palmis,*
*Numina magna vocat.*

*Nonius cap. 4. V. passum. Ennius 10. Annal.* Nonius, *passis palmis*, interpretatur, *patentibus & extensis,* ad illud Ennij, *Ægro corde, comis, passis latè palmis pater.*

*Brisson. lib. 1. Formularum.* Ex his igitur (vt omittamus ea, quæ Barnabas Brissonius affert) satis manifestum est, quàm solemne fuerit in orationibus & votis nuncupandis, manus crucis figurâ extendere: in quo sancti Patres Dei consilium agnoscunt; quod fuit, vt Ethnici à crucis mysterio nõ abhorrerent; ad cuius figuram ipsi orantes sese conformassent; & vt suo ipsorum facto redarguerentur, qui crucem odissent, quam reuerentiæ adorationisque symbolum & cæremoniam haberent, ac corporis compositione exprimerent.

*Minut. in Octauio.* Certè Minutius Felix ab hoc contra Gentilium odium in Crucem ducit argumentum: *Signum sanè crucis,* inquit, *naturaliter visimus in naui cùm velis tumentibus vehitur, cùm expansis palmulis labitur, & cùm erigitur iugum, crucis signum est; & cùm homo porrectis manibus Deum pura mente veneratur. Ita signo crucis aut ratio naturalis innititur, aut vestra religio formatur.* S. Hieronymus: *Homo natans per aquas, vel orans, forma crucis visitur.* *Hier. vel alius Auctor in cap. 11. Marci.*

His

His omissis, conuertamus nos ad Hebræos, quos extensis manibus orasse testis est Moyses, qui manus extendens contra Amalech, & coram Pharaone, figura fuit extensionis manuum Christi in Cruce: *Victoriam*, ait Gregorius Nyssenus, *extensio manuum Moysis, per quam mysterium crucis figuratur, præstitit. quo mysterio verus Israël quoque vincit.* Ibidem: *Hanc à peccato libertatem nostram à crucifixo factam, tenebrasq́ ignorantiæ morte ac resurrectione ipsius repulsas ab historia significatas crediderim, maximè cùm & ibi Moyses pro Ægyptiis, qui sensibilibus tenebris laborabant, & hic Christus pro peccatoribus, qui delictorum tenebris obfuscantur, manus extenderit. Puluerem autem de camino sumptum, qui turgentia vlcera doloresq́ intolerabiles Ægyptiis inferebat, ipso nomine camini admoniti, gehennæ ac ignis illius cruciatum significasse credimus. Qui quidem ignis, solos vexat Ægyptios, id est, malè viuentes, & extensionem manuum Christi non adorantes: si quis verò Israëlita est, nepos Abrahæ, qui illius vitam fide & opere imitetur, is ignem illum non sentiet, extensione manuum Moysis, id est, Christi, liberatus.* Hæc Nyssenus. *Greg. Nyss. in vita Moysis.*

Testimonia quibus probetur Hebræos passis manibus supplicasse, obuia sunt: *Clamaui ad te Domine*, ait Dauid, *tota die expandi ad te manus meas.* De Salomone legimus: *Surrexit de conspectu altaris Domini; vtrumque enim genu in terram fixerat, & manus expanderat in cælum. Manus meas*, ait Iesus filius Sirach, *extendi in altum.* Cosmas Hierosolymitanus de Iona Propheta: *Humidæ feræ in visceribus palmas Ionas in figuram Crucis tendens, Saluatoris passionem præfigurabat manifestè.* *Psal 87.43.142. 3. Reg. 8. 2. Paral. 6. Ecclesi. 51. Cosm. hym. 9. de exalt. S. Crucis.*

Et Iudas Machabæus *considerans aduentum multitudinis, & apparatum variorum armorum, & ferocitatem bestiarum, extendens manus in cælum prodigia facientem Dominum inuocauit.* *2. Machab. 15.*

Neque verò tantùm aliqui, sed promiscuè omnes Iudæi hoc habitu orarunt: *Sacerdotes, protendentes manus in cælum inuocabant eum.* Mulieres item hoc gestu preces concepisse patet ex hoc scripturæ loco: *Accinctæq́ mulieres ciliciis pectus, per plateas confluebant, sed & virgines, quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam, aliæ autem ad muros, quædam verò per fenestras prospiciebant, vniuersæ autem protendentes manus in cælum deprecabantur.* Omnibus communem hunc precandi gestum fuisse, ostendit Salomon: *Si quis de populo tuo Israël fuerit deprecatus, cognoscens plagam & infirmitatem suam, & expanderit manus suas in domo hac, tu exaudies de cælo.* Ac passim reperiuntur plura huius moris testimonia in scriptura; vt non immeritò dicat Clemens Alexandrinus de Hebræorum adoratione: *Sanctas vlnas tollunt ad cælum.* *2. Machab. 14. 1. Machab. 3. 2. Paral 6. Isai. 1. Ecclesi. 48. Hierem. 4. Thren. 1. Clem. exhort. ad Gentes.*

Hoc igitur gestu Iudæorum orantium, grande Christianorum mysterium præsignificabatur, quod tandem Christus peregit in Cruce, expansis manibus pro nobis orans. Quare Christiani in Domini-

*Tertul. de orat. Idem in Apol.*

cæ passionis memoriam & reuerentiam, expansis manibus olim preces fundebant: *Nos verò*, inquit Tertullianus, *non attollimus tantùm, sed etiam expandimus, & Dominica passione modulantes & orantes confitemur Christum*, Idem: *Paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis Christiani.* quia videlicet Crucem orando formabat, hocque ipso neque Crucem, neque aliud mortis genus se formidare profitebatur.

*1. Tim. 2.*

*Ambr. lib. 6. de Sacram. cap. 4.*

*Aug. in Ps. 62.*

Huius gestus seruandi auctores habemus ipsos Apostolos: S. Paulus ad Timotheum scribens: *Volo*, inquit, *viros orare in omni loco, leuantes puras manus.* De quo S. Ambrosius: *Quid est leuantes puras manus? Nunquid debes in oratione tua crucem Domini gentibus demonstrare? Illud quidem signum virtutis est, non pudoris.* Eodem modo interpretatur S. Augustinus: *Ecce leuauit ille manus, & obtulit pro nobis sacrificium Deo seipsum & per illud sacrificium deleta sunt omnia peccata nostra. Leuemus & nos manus nostras ad Deum in prece, & non confundentur manus nostræ leuatæ ad Deum, si exerceantur in bonis operibus. Quid enim facit qui leuat manus? Vnde præceptum est, vt leuatis manibus oremus ad Deum? Apostolus enim dicit: Leuantes puras manus.*

*Maxim. homil. de Cruce, inter Ambrosianas.*

Quam Apostoli voluntatem ritè executa est pia posteritas: Nam sic institutos esse Christianos, vt hoc habitu orarent, colligimus ex iis, quæ habet Maximus Taurinensis: *Ipsius etiam incessus hominis*, inquit, *cùm manus leuauerit, Crucem pingit, atque ideo eleuatis manibus orare præcipimur, vt ipso quoque membrorum gestu passionem Domini fateamur. Tunc enim citius nostra exauditur oratio, cùm Christum, quem mens loquitur, etiam corpus imitatur.*

*Clem. li. 6. Constant. cap. 9.*

*Arn. lib. 2. contra Gentes.*

*Epiph. hær. 78.*

*Aug. lib. de cura pro mort. agend.*

*Help. hist. Veteris & noui Testam. tom. 8 Biblioth. SS. PP.*

S. Petrum decertantem contra Simeonem Magum, hoc habitu orasse, testatur Clemens Romanus cuius orationis effectum ita describit Arnobius: *Viderunt* (Romani) *cursum Simonis Magi, & quadrigas igneas Petri ore difflatas, & nominato Christo euanuisse. Viderunt, inquam, fidentem diis falsis, & ab iisdem metuentibus proditum, pondere præcipitatum suo, & cruribus iacuisse perfractis.* S. Epiphanius affirmat S. Iacobum Apostolum cognomento Iustum expansis manibus orantem impetrasse pluuiam, cùm vrgeret pestilens siccitas. S. Augustinus: *Orantes de membris sui corporis faciunt, quod supplicantibus congruit, cùm genua figunt, cùm extendunt manus, vel etiam prosternuntur solo, & si quid aliud visibiliter faciunt, quamuis eorum inuisibilis cordis intentio Deo nota sit.* Rusticus Helpidius, vir nobilis & Exquæstor, Theodorico Gotthorum Regi charus; ita canit:

*Cui iugiter esse precandum*
*Extensis manibus mærenti in funere tensæ*
*Monstrauere manus.*

*Nyssen. orat. in laud. Basilij.*

*Hippol. orat. de Antichristo.*

S. Basilium Magnum orasse expansis in formam Crucis manibus, testatur Gregorius Nyssenus: *Sæpenumero se opposuit Amalechitis, pro scuto vsus oratione; quo manus tollente verus Iesus hostes euincebat.* Apud S. Hippolytum

tum Episcopum & Martyrem, ita Christus damnandos alloquitur: *Manus vestras feci, vt ad preces & obsecrationes extenderetis eas, at vos ad rapinas, cædes & mutuas occisiones expandistis.*

Episcopos publicè hoc schemate vota fudisse, constat ex Iustiniano, qui ait: *Locorum Episcopum accersat, qui & manus in cœlum protendat, & prece sua locum consecret.* S. Chrysostomus de religiosis: *Sistunt sanctum constituentes chorum, & statim manus expandentes sacros hymnos decantant.* S. Ephræm: *Monachi manus reuerenter ad Deum extensæ sint: manibus enim suis præfigurans crucem Moyses deuicit Amalech: magnum præmium crucifixus consequetur.* Idem: *Pro arcu ad orationem manus tuas extende. sicut scriptum est: Et posuisti vt arcum æreum brachia mea. Verè enim arcus æreus est contra inimicos expansæ in oratione manus.* Sacerdotes dum sacra Mysteria peragunt, hoc etiam gestu adorant. Vnde Stephanus Eduensis Episcopus inquit: *Extensio manuum sacerdotis extra casulam prætendit in Cruce manuum Christi extensionem.*

*Authent. 123.*
*Chrys. hom. 59. ad pop. Antioc. & in 1. Tim. homil. 14.*
*Ephram paran. 1. ad eos qui in relig. rudim. & de panoplia.*
*Psal. 17.*
*Stephan. Ed. de Sacram, ca. 10.*

Vniuersum populum in Crucis formam expansis manibus adorasse, dum proponebatur tremendum illud in Missa sacrificium, testis est S. Chrysostomus: *Non temerè ab Apostolis hæc sancita fuerunt, vt in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, vtilitatem multam. Cùm enim totus constiterit populus extensis manibus, sacerdotalis plenitudo, & tremendum proponatur sacrificium, quomodo Deum non exorabimus pro his deprecantes?*

*Chrys. hom. 69 ad pop. Antioc.*

Petrus Damianus in Institutione Monastica: *Sæpè manus ad orationem in modum signi Saluatoris extende: vt, dum Crucis imaginem conaris exprimere, meritò apud Crucifixum veniam debeas facilius impetrare.*

*Petrus Dam. de Instit. Monast.*

Asterius Episcopus Amaseę, apud Photium, sermone in illud: *Duo homines ascenderunt in templum, &c. Oratio est vitæ nostræ auxilium, colloquium cum Deo, obliuio terrenorum, via ad cœlum, & rectas tendere in cœlum manus, formam est exhibere Christi crucifixi. Si verè oret, & orans placeat Deo, non in figura Crucem repræsentat, sed etiam affectu: vt enim in Cruce clauis affixus, sic & orans necat omnem carnis concupiscentiam.*

*Asterius apud Phot. Vol. 271.*

Quin & benedictiones expansis manibus à sanctis viris & sacerdotibus accipiebant: *S. Disciola,* inquit Gregorius Turonensis, *B. Saluij Albigensis Episcopi neptis, expansis manibus benedictionem efflagitans, ait: Benedic mihi sancte & famule Dei excelsi.*

*Tur. lib. 6. hist. Franc. cap. 29.*

Hanc precantium figuram, crebrò comitata sunt miracula. Insigne est de Gregorio Thaumaturgo: *Alij quidem,* inquit Gregorius Nyssenus, *radicibus collis circumsessis obseruabant, ne qua, si fugam tentassent, euadere possent: nonnulli verò qui montem subierant, in omnibus partibus scrutantes, iam Magno illi Gregorio erant in conspectu, rectè ad eum subeuntes: ille verò comi-*

*Nyssen. in Vita S. Greg. Thaumat.*

Sed ne à diabolo eius administri dissentiant, oderunt itidem hæretici hanc conformationem corporis in crucis figuram, quin sannis & cauillis insequuntur hodie nostros sacerdotes, qui dum sacrosancta mysteria peragunt, manibus extensis aliquoties orant, quos per ludibrium aiunt: *vlnis & cubitis aërem metiri.* Discant impij illi ac pariter inscij, quid sanctissimus & doctissimus martyr de sacerdote in sacrificio Missæ manus expandente scribat: *Hierarcha pius, quem Spiritus sanctus compungit, excitat, inhabitat, & sanctificat, eleuatione manuum Crucis mysterium repræsentans, confidenter orat pro sua & populi ignorantia.* *Cypr. de cana Domini.*

Talis habitus fuit illius sacerdotis, quem fœmina mortua est imitata: de qua Tertullianus: *Scio fœminam quandam vernaculam Ecclesiæ, forma & ætate integra functam; post vnicum & breue matrimonium, cùm in pace dormiisset, & morante adhuc sepultura, interim oratione presbyteri componeretur, ad primum habitum orationis, manus à lateribus dimotas, in habitum supplicem conformasse, rursumq; condita pace, situi suo reddidisse.* Habitum supplicem fuisse manuum expansionem patet ex Tertulliano qui de orante ait: *Deo expanditur.* *Tert. lib. de anima cap. 51.* *Tert. lib. 1. adu. Marcion. c. 24.*

Mirùm, Hæreticos tam multos, & tam dissimiles, in vno tamen semper esse sui simillimos, dum crucem omnes oderunt; sic & olim Quintilliani, Pepuziani, Priscilliani, Phrygastæ, Montanistæ, seu Tascodrugitæ, priscum illum Catholicorum orandi morem, extensis manibus, mutarunt, & inter orandum naso digitum imposuerunt. Testis Epiphanius: *Vocantur autem*, inquit, *Tascodrugitæ ob hanc causam: Tascus apud ipsos pertica appellatur: Druggus verò nasus siue rostrum appellatur: & ab eo quod imponunt digitum suum, indicem appellatum, in nasum, dum orant, tristitiæ nimirum ac vltroneæ iustitiæ gratia, ab aliquibus Tascodrugitæ appellati sunt,* hoc est, *perticonasati aut perticorostrati.* Hæc Epiphanius. *Epiph. hær. 48.*

Eligant Hæretici nostræ ætatis hunc gestum, quandoquidem quouis corporis habitu malunt orare, quam eo, quem Christus, dum pro nobis in cruce orat, elegit, quemque omnes Christiani, omni ætate sanctè tenuerunt; quique non mediocriter iuuat & excitat affectum pietatis, & quodammodo animam in cœlum leuat, ob quod etiam tantoperè Christianis expetitus fuit. *Caput & manus in cœlum extendimus,* inquit Clemens Alexandrinus, *& pedes excitamus in vltima acclamatione orationis, promptitudine & alacritate spiritus, assequentes essentiam, quæ apprehenditur intelligentia, & vnà cum verbo corpus à terra abducere conantes, erectam & eleuatam animam desiderio meliorum, cogimus in sancta progredi, magno animo carnis vinculum despicientes.* Cùm dicit hic Clemens: *Caput & manus in cœlum extendimus,* operæpretium est notare, Christianos, temperatè potius & modestè, non omnino in sublime, protensas manus *Clem. lib. 7. stromat.*

extulisse, more Ethnicorũ, qui quàm altissimè eas sustulerunt; Christiani verò quam modestiam & humilitatem hoc orandi schemate præ se tulerint, discimus ex Tertulliano: *Cum modestia & humilitate adorantes, magis commendamus Deo preces nostras, ne ipsis quidem manibus sublimius elatis, sed temperatè ac probè elatis, ne vultu quidem in audaciam erecto.* Huc respexit S. Cyprianus cùm vult adorandum esse *non alleuatis in cœlum impudenter oculis, nec manibus insolenter erectis.*

Tertul. de orat.

Cypr. de orat. Domin.


Nihilominus cùm interdum validiore igne diuini amoris corriperentur, tunc animus sese potentioribus desideriis in cœlum extendebat, & animum manus quoque quodammodo sequebantur, ita vt altissimè extensis brachiis orarent. quem modum orandi à sanctis Patribus inuenimus commendari. S. Chrysostomus: *Dirumpamus superiacentem & deprimentem nos nebulam: densa quidem est, & arcta, & non permittit, vt suspiciamus. Et quo modo dirumpitur, inquis, hæc nubes? Si ad nos attrahamus radios solis iustitiæ. Eleuatio, inquit, manuum mearum sacrificium vespertinum. Cum manibus etiam mentem eleuemus. Scitis qui imbuti estis, quid dicam; forsan agnoscitis quod dicitur, & intelligitis quid significauerim. Eleuemus in altum mentem nostram. Noui plures ego pœne ita pendentes, vt terram non attingant, & vltra mensuram manus extendentes, dolentes etiam, quia non possunt in aërem suspendi; & ita cum alacritate orare. Ita & vos esse desidero semper; & si non semper, saltem sæpius; si non sæpius vel plerunque, vel in matutinis, vel in vespertinis. Dic enim mihi, extendere manus non potes, extende voluntatem, quantum vis istam extende; si vis vsque ad ipsum cœlum, & si vis ipsum verticem contingere, quin & in superioribus, si voles incedere, licebit.*

Chrysost. in 11. Hebr. hom. 22.

Psal. 140.

## CAPVT XXXVI.

*Signum Crucis tres potissimùm habere effectus, probaturque primus effectus ex sanctis Patribus.*



TRES sunt generales effectus Crucis: Nam primò terret & fugat dæmones. Secundò, pellit morbos & omnia mala. Tertiò, sanctificat ea, quibus imprimitur. Hos effectus auctoritate sanctorum Patrum, & exemplis miraculorum iam confirmabimus, ducto initio à primo.

Dæmones cruce terreri & profligari, testatur inprimis S. Chrysostomus: *Si, inquit, ingenti horrore concutimur, cùm solummodo videmus loca in quibus capite damnati pœnas persoluunt, quid passurum putas Diabolum cùm hastam viderit, qua lethale vulnus accepit?* S. Ephræm: *Hoc signo, inquit, conspecto aduersariæ potestates conterritæ trementesque recedunt.* Idem in Ascetico de vita Religiosa, Deum alloquens, inquit, *cernens Diabolus signum gratiæ tuæ,*

Chrys. hom. 55. in Matth.

Ephram lib. de pœnit.

*tua, deterritus fugit, confususq; recedit ab ipsis.* S. Cyrillus monet, *vt hoc signum ostentemus audacter. Quando enim dæmones,* inquit, *crucẽ viderint, recordantur crucifixi.* Origenes: *Immortale vexillum portemus in frontibus nostris, quod cùm dæmones viderint, contremiscent, qui aurata capitolia non timent, crucem timent.* Cyr. catech. 13. Orig. hom. 8. in diuers. Euang. locos.

Docet etiam S. Augustinus: *Omnia dæmonum machinamenta virtute crucis, ad nihilum redigi.* Alibi monet catechumenos, vt si aduersarius diabolus denuò velit insidiari, *nouerint cum symboli Sacramento, & crucis vexillo ei debere occurri, vt talibus armis indutus, facilè vincat Christianus, de cuius oppressione malè antea triumphauerat nequissimus.* Aug. serm. 19. de Sanctis. August. libr. de Symb. cap. 1.

Copiosius de virtute crucis contra dæmones disserit Lactantius: *Nunc satis est de huius signi potentia, quantum valeat, exponere; Quanto terrori sit dæmonibus hoc signum, sciet, qui viderit, quatenus adiurati per Christum de corporibus, quæ obsederint, fugiant; nam sicut ipse, cùm inter homines ageret, vniuersos dæmones verbo fugabat, hominumq; mentes emotas, & malis incursibus furiatas, in sensus pristinos reponebat, ita nunc sectatores eius eosdem spiritus inquinatos, de hominibus, & nomine magistri sui, & signo passionis excludunt.* Lact. lib. 4 c. 27.

Tertullianus etiam docet, Christianos non obesse Reipublicę, sed potius prodesse; idq;, præter cetera, ostendit ex beneficio, quod Christiani in Ethnicos conferebant, exterminando ab ipsis immundos spiritus: *Quantos,* inquit, *habetis non dico, qui iam de vobis dæmonia excutiant, sed à quibus nihil timere possitis.* Alibi: *Dæmones etiam de corporibus nostro imperio excedunt inuiti & dolentes, & vobis præsentibus erubescentes.* Dicit autem Tertullianus, expulsionem hanc fieri solitam *tactu & afflatu*; non sine crucis signaculo, quod ex principio Scorpiaci colligitur, vbi ait Tertullianus; *Hoc modo,* nempe signando, & adiurando, & vngendo, *etiam Ethnicis* (obsessis à dęmone) *sæpe subuenimus, donati à Deo ea potestate, quam Apostolus dedicauit, cùm morsum viperæ spreuit.* Tert. Apol. c. 43. Tert. Apol. c. 23. Tert. in Scorp. contra Gnosticos. De hoc Tertull. loco consule Animaduersiones nostras c. 1.

Audiamus ex Lactantio quantoperè dæmones crucis signaculum metuant: *Cum Diis suis immolant, si assistat aliquis signatam frontem gerens, sacra nullo modo litant, nec responsa potest consultus reddere vates. & hæc sæpe causa præcipua. Iustitiam persequendi malis regibus fuit. Cùm enim quidam nostrorum, sacrificãtibus Dominis assisterent, imposito frontibus signo, Deos eorum fugauerunt, ne possent in visceribus hostiarum futura depingere. Quod cùm intelligerent Aruspices, instigantibus iisdem dæmonibus, quibus prosecrarant, conquerentes, profanos homines sacris interesse; adegerunt Principes suos in furorem, vt expugnarent Dei templum, seq; vero sacrilegio contaminarent, quod grauissimis persequentium pœnis expiaretur.* Nec tamen ex hoc ipso cœci homines (hęretici hoc tempore) intelligere possunt, aut hanc esse veram religionem, quæ crucis signaculo vtitur, etiam dæmones profligando, aut illam falsam, quæ crucis signaculũ, vt superstitiosum & magicum contemnit & abiicit. Lact. loc. cit.

Cent. 4. cap. 10. Hîc obstrepunt Centuriatores: *Lactantius permulta habet & superstitiosa & anilia de efficacia imaginis crucis Christi.* An non audis, pie lector, non iam Ethnicos, quorum obiectiones ibidem contra crucis efficaciam, soluit Lactantius; sed Ethnicis longè deteriores hæreticos? qui quod Ethnicis nunquam in mentem venit, tam impiè & inconsideratè effutiunt. Si superstitiosa sunt & anilia, quæ ibidem Lactantius habet; oportet, vt totus mundus Christianus, eo tempore fuerit superstitiosus, & anilis, quandoquidem ex communi sensu & consuetudine illius ætatis hæc Lactantius scripsit. *Quod si aliquis*, inquit

Cyril. catech. 4. S. Cyrillus, *id occultet, tu manifestè signa te cruce in fronte, vt dæmones signum regis videntes, trementes procul fugiant.*

Prudentius in Apotheosi. Quid Iuliano Apostatę sacrificanti euenerit, ita canit Prudentius:

*Forte litans, Hecaten placabat sanguine multo,*
*Pontificum festis ferienda securibus illic*
*Agmina vaccarum steterant, vitulasq́; reuincta*
*Fronte coronatas vmbrabat torta cupressus.*
*Iamq́; insertato reserabat viscera ferro*
*Vittatus de more senex; manibusq́; cruentis*
*Tractabat trepidas lethali frigore fibras,*
*Postremosq́; animæ pulsus, in corde tepenti*
*Callidus interpres numeris & fine notabat:*
*Cum subitò exclamat media inter sacra sacerdos,*
*Pallidus; En quid ago? maius, Rex optime, maius*
*Numen nescio quod, nostris interuenit aris,*
*Quam sufferre queant spumantia cymbia lacte;*
*Cæsarum sanguis pecudum, verbena, corona.*
*Accitas video longè dispergier vmbras:*
*Territa Persephone vertit vestigia retro,*
*Exstinctis facibus, tracto fugitiua flagello,*
*Nil agit arcanum murmur, nil Thessala prosunt*
*Carmina, turbatos reuocat nulla hostia Manes.*
*Nonne vides vt thuribulis frigentibus ignis*
*Marceat? vt canis pigrescat pruna fauillis?*
*Ecce Palatinus pateram retinere minister*
*Non valet, elisa destillant balsama dextra,*
*Flamen & ipse suas miratur vertice laurus*
*Cedere, & incertum frustratur victima ferrum.*
*Nescio quis certè surrepsit Christicolarum*
*Huc iuuenum; genus hoc hominum tremit infula, & omne*
*Puluinar Diuûm; lotus procul absit & vnctus;*

Pulchra

*Pulchra reformatis redeat Proserpina sacris.*
*Dixit, & exsanguis collabitur, ac velut ipsum*
*Cerneret exerto minitantem fulmine Christum,*
*Ipse quoque exanimis posito diademate Princeps*
*Pallet, & astantes circumspicit, ecquis alumnus*
*Chrismatis, inscripto signaret tempora signo;*
*Qui Zoroastreos turbasset fronte susurros:*
*Armiger è cuneo puerorum flauicomantum,*
*Purpurei custos lateris deprenditur vnus;*
*Nec negat, & gemino gemmata hastilia ferro*
*Proiicit, ac signum Christi se ferre fatetur.*
*Prosiluit pauidus, deiecto Antistite, Princeps*
*Marmoreum fugiens nullo comitante sacellum:*
*Tum tremefacta cohors, Dominique oblita supinas*
*Erigit ad cœlum facies atque inuocat Iesum.*

Est autem hæc historia diuersa ab ea, quam Lactantius recitat, non eadem, vt putat Alanus Copus, cùm Prudentius loquatur de Iuliano Apostata; Lactantius autem ad Imperium Iuliani minimè peruenerit: cùm suas Institutiones Constantino Magno dedicauerit, iam grandis natu. *Alan. lib. 4. cap. 6.*

Quàm verè igitur D. Athanasius: *Signo crucis omnia magica compescuntur, veneficia inefficacia fiunt, idola vniuersa deserta relinquuntur.* Et infrà: *Veniat qui istorum dictorum experimentum capere velit, & in ipsis præstigiis Dæmonum & imposturis vaticiniorum, & in miraculis Magiæ vtatur signo crucis ab ipsis deriso, nomen Christi inuocet, & videbit, quomodo eius rei metu dæmones fugiant, vaticinia conquiescant, Magia & veneficia irrita iaceant.* *Athan. lib. de Incarnat. Verbi.*

Ex prędictis historiis, quas Lactantius & Prudentius referunt, manifestè apparet, Crucem fronti inscriptam, vel alteri parti corporis, etiamsi non perseueret quoad figuram, perseuerare tamen fructu & vtilitate. Nam illi, qui Ethnicorum sacrificiis intererant, non vtique crucem ipsi fronti stabiliter inustam circumferebant, sed aliquando cruce fuerant consignati, vel ipsi à semetipsis, vel ab aliis. Quod etiam apparet ex historia de Iudæo, quam infrà recitabimus ex S. Gregorio. Signauerat enim se cruce, antequam Dæmon accederet, vt quis esset exploraret, & tamen ille aiebat, *Vas vacuum, sed benesignatum.*

Ita cùm Armogastis Martyris frontem, in qua vexillum crucis suæ Christus fixerat, Ariani neruis ita arctassent, & constrinxissent, vt eam cauitatibus quibusdam, quasi terram sulcis hiulcam reddidissent, repentè eo in cœlum suspiciente, vincula illa, tamquam ab altero Samsone, rumpuntur, &, vt inquit Victor, *cùm viderent tortores neruicas chordas* *Victor. lib. 1. de Persecut. Vandal.*

*das disruptas esse, allatis crebrius fortioribus chordis atque canabinis*, illo nihil aliud nisi Christi nomen inuocante, omnia vanescebant. Ex quibus perspicuum fit, crucem semel fronti impressam, durare fructu & emolumento.

## CAPVT XXXVII.

### *Quomodo Iulianus Apostata territus, cùm magiæ operam daret signo crucis formato dæmones fugarit.*



VM Iulianus priuatam adhuc agens vitam, spem Imperij potiundi concepisset, *perlustrare cœpit Græciam*, inquit Theodoretus, *conquirere vates & ariolos, sciscitaturus ab illis an voti compos futurus esset; incidit in hominem, qui ei hoc prædicere pollicitus est. Qui quidem deducto eo in fanum simulachrorum, & intra eius adyta collocato, fraudulentos Dæmones inuocat, quibus specie, qua solent, apparentibus, metus coëgit Iulianum, signo Crucis frontem suam signare. Dæmones igitur Dominici trophæi conspicati figuram, & suæ ipsorum cladis recordati, confestim euanuerunt. Tum præstigiator, causa cur fugerent, intellecta, Iulianum obiurgat, qui tum timorem, in quo erat declarauit, & se virtutem crucis vehementer admirari dixit. Nam Dæmones, quoniam eius figuram ferre non poterant, aufugisse.* Hæc Theodoretus.

*Theod. lib. 3. Hist. cap. 3.*

Fusius eadem narrat S. Gregorius Nazianzenus; præter cætera sic ait: *Ad crucem confugit, eaq; se aduersus terrores consignat, eumq; quem persequebatur in auxilium adsciscit. Valuit signaculum, cedunt Dæmones, pelluntur timores. Quid deinde? reuiuiscit malum, rursus ad audaciam redit; rursus aggreditur, rursus iidem terrores vrgent, rursus obiecto signaculo dæmones conquiescunt, perplexusq; hæret discipulus.* Eandem historiam recenset Sozomenus.

*Nazian. orat. 1. cōtra Iulian.*

*Sozomen. lib. 5. cap. 2.*

Quid ad hæc Brentius Vbiquista hæreticus? *Scio de Iuliano, & aliis commemorari, quod crucis formatione Dæmonem fugarint. Sed scimus etiam, Satanam esse mendacem & impostorem, qui idcirco fingat se talibus crucibus fugari, vt superstitionem confirmet & magiam doceat.* Tandem addit: *Crucis formationem per se ad pietatem non magis facere, quàm si quis manibus in aëre circulum describat.* Hæc Brentius. *Sed quis hanc hominis blasphemiam non horreat?* inquit Cardinalis Hosius, *si modò dici meretur homo portentum hoc in vltimas terras deportandum.* Tune Magiam appellas signum hoc, cuius metu Dæmones fugere, vaticinia conquiescere, magiam & veneficia irrita iacere, toties sanctissimi patres pronunciant? Sanctus, inquam, Athanasius, Chrysostomus Ephræm, Cyrillus, Augustinus, Nazianzenus, Theodoretus, Lactantius & alij, quorum testimonia iam crebrò produximus? An non Brentius nequior & improbior est, quàm ipse

*Brent. in prolegom.*

*Similia Brent. in cap. 6. epist. ad Galat.*

*Hosius lib. 4. contra Brent.*

ipse Iulianus, & sacrorum profanorũ Antistes, quibus certè id quod Brentius somniat, numquam in mentem venit? Nam seriò, non simulatè fugisse Dæmones, vterque pro comperto habuit, etsi sacrificulus quidem fugam hanc non ex timore incusso dæmonibus à cruce, sed ex detestatione Iuliani profectam diceret: *Caue*, inquiens, *caussam hanc*, nempe formidinem crucis, *eorum fugæ fuisse suspiceris. Nõ illi formidine, sed odio tui facti fugerunt*. Verum illam fugam fuisse non negabat, timorem autem, vt attribueret illis, quos pro Diis colebat, religione prohibebatur. Concedebat fugisse Dæmones, non timore, sed odio, & detestatione crucis, atque adeò ipsius Iuliani, non aliam ob caussam, quàm quod cruce se signasset. *Theodor. loc. cit.*

Eadem ratione ad alia miracula contra Dæmones formatione Crucis facta, respondebant olim Ethnici. *Aiunt*, inquit Lactantius, postquam miraculum supra descriptum recitauerat, *hoc Deos non metu, verùm odio facere*. Sed tam hos, quàm Iuliani Magum rectè sequentibus verbis refellit: *Quasi quisquam possit odisse nisi eum, qui aut noceat, aut possit nocere: Imò verè congruens Maiestati fuit, vt eos, quos oderant, præsentibus pœnis afficerent potius, quàm fugerent, sed quoniam neque ad eos accedere possunt, in quibus cœlestem notam viderint, nec iis nocere, quos signum immortale munierit, tamquam inexpugnabilis murus, lacessunt eos per homines*. Brentius ergo non tantùm sanctis Patribus, sed & ipsis Ethnicis contradicit, dum impudenter scribit: Dæmones simulatè tantùm Crucis figuram fugere. *Lactant. lib. 4 cap. 27.*

Quod & olim docebant Bogomili, & eorum Princeps Basilius medicus, *homo*, vt inquit Euthymius, *perniciosus atq; pestifer, & corruptela plenus, atq; malorum omnium instrumentum*. Ex hoc ergo cùm quæsiuisset Euthymius, cur à Dæmonibus vexati ad crucem accurrant, & vociferentur; respondit; *Crucem vt proprium opus amari vehementer à Dæmonibus, qui in eis inhabitant. Ipsi enim*, inquit, *illam tunc excogitarunt, vt Seruatorẽ è medio tollerent. Aliquando autem eam se fingunt afficere contumelia, & vltrò illam fugiunt, vt id homines aspicientes, eam magis honorent, tanquam Dæmonum inimicam & expultricem. Veritas autem apud nos haud ita se habet*, inquit Euthymius. *Nam vel inuiti trahuntur à crucis virtute, & allatrant, vt rabies ipsorum ostendatur. Latratus enim corporisq; vexatio, & gemitus eorum, qui à Dæmonibus opprimuntur, tormentum & cruciatus Dæmonum indicant, qui crucem, vt inimicam despiciunt & expultricem*. *Euthym. in Panop. part. 2. tit. 23.*

Huic seni pernicioso simillimus est Brentius, & planè gemellus. Præclarè autem Origenes ait: *Magos, qui cum Dæmonibus habent commercium eosq; ad artes suas atq; operationes inuocare solent, tantisper id agere, dum vis quæpiã diuinior ac potentior his, qui per incantationes inuocantur, interueniat* *Origen. lib. 1. contra Celsum.*

aut

*aut nominetur. Quod si diuinior illa superueniat, destruuntur operationes Dæmonum non valentium obtueri lucem diuinam.*

Modestius, quàm Brentius, Centuriatores: *Dæmones abominari & fugere crucem Christi, historia Iuliani testatur apud Theodoretum*, inquiunt Centur.

Sed ait Brentius, *Satanam esse mendacem.* Si quidquid agit Dæmon; id tantùm agit simulatè & mendaciter, vt homines in fraudem impellat; ergo simulatè etiam à Christo eiectus fuit foras, & simulatè tantummodò Christum, eiusque pasionem fugit; Ergò falsum est illud Domini: *Nunc Princeps huius mundi eiicietur foras*: quia simulata expulsio, non est vera expulsio. Si hæc Brentius non concedit, cur illud alterum astruit, quo ipso vel ipse se destruit & quidquid à Christo per crucem contra salutis nostræ hostem actum est, vel certè nos minimè lædit. Non enim semper fallax & mendax est Dæmon, nec omnia quæ facit, simulatè facit, alioqui simulatè etiam tum à nobis fugeret, cùm ei resistimus, iuxta illud Apostolicum monitum: *Resistite Diabolo & fugiet à vobis. Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris*, ait Tertullianus, *quem Dæmone angi constet, iussus à quolibet Christiano loqui spiritus ille, tam se Dæmonem confitebitur de vero, quàm alibi Deum de falso.* Et paulò pòst ait Tertullianus: *Dæmones Christiano mentiri non audere.*

*Tertull. Apol. cap. 23.*

Non ergo omnia simulata sunt, quæ Dæmones agunt, & quod hinc confici volumus, crucem non simulatè, sed verè fugiunt. Hoc enim sanctissimi Ecclesiæ Doctores vnanimi consensu tradunt, hoc ipsi Ethnici, & à fide nostra alieni testantur; hoc denique quotidiana experientia etiamnum docet. *Cuius rei gratia*, inquit Chrysostomus, *Dæmones tantummodo nomen crucis audientes in fugam resiliunt, cùm certè si res se haberet aliter, magis eos oporteret irridere, quàm fugere. An fortè crux quid clarum videtur ac nobile? Imò è contrario, turpis & exprobrabilis mors est. Vnde igitur illam Dæmones reformidant, nisi de virtute crucifixi? Si enim illā per se ipsam timerent, quamquam & hoc ipsum de his esset indignum, tamen & ante illum, & post illum pleriq; crucifixi sunt, & cum ipso etiam duo. Quid igitur, si inuocet aliquis nomen latronis, vel alterius cuiusq; crucifixi; Dæmon ne fortè timebit ac fugiet? Nequaquam. Quinimo ridebit. Si verò Iesum addideris Nazarenum, velut ab igne repente diffugiet.* Hæc Chrysostomus, quæ etiam pro iis confirmandis valent, quæ infrà de efficacitate nominis Iesu dicturi sumus.

*Chrysost. hom. 4. de laudibus S. Pauli.*

Quod impostor ille apud Euthymium ait: *Dæmonum impulsu crucem factam & Christo fixam*; id quidem verum est: sed falsum illud, quòd ob id Dęmones crucem, vt suum opus, ament. Præcipites enim & cæci malitia, non animaduerterunt initio crucem, quam Christo procurarant, sibi ipsis fore exitio: & cùm euentum hunc crucis animaduer-

maduerterunt, conati sunt omnibus modis impedire, ne Christus crucifigeretur: Quam rem pulcherrimè explicauit S. Ignatius his verbis, quæ propter vim & elegantiam Græcè dabo, ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου, τοῦτο χαίρει, ὅτ' ἄν τις ἀρνεῖται τὸν σταυρόν· ὄλεθρον γὰρ ἑαυτοῦ γινώσκει τὴν ὁμολογίαν τοῦ σταυροῦ, τοῦτο ἐστι τὸ τρόπαιον κατὰ τῆς αὐτοῦ δυνάμεως, ὅπερ ὁρῶν φρίττει καὶ ἀκούων φοβεῖται, καὶ πρὶν μὲν γένηται ὁ σταυρός, ἔσπευδεν γενέσθαι τοῦτον, καὶ ἐνήργει ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας, ἐνήργει ἐν Ἰούδᾳ, ἐν φαρισαίοις, ἐν σαδδουκαίοις, ἐν πρεσβύταις, ἐν νέοις, ἐν ἱερεῦσιν. μάλλοντος δὲ γίνεσθαι, θορυβεῖται, καὶ μετάμελον ἐμβάλλει τῷ προδότῃ, καὶ βρόχον αὐτῷ δείκνυσιν, καὶ ἀγχόνην διδάσκει, φοβεῖ δὲ καὶ τὸ γύναιον, ἐν ὀνείροις αὐτὸ καταταράττων. καὶ παύειν πειρᾶται τὰ κατὰ τὸν σταυρόν, πάντα κάλον κινῶν εἰς τὴν αὐτοῦ κατασκευήν, οὐ μεταγινώσκων ἐπὶ τῷ τοσούτῳ κακῷ. εἰ γὰρ ἂν, οὐ πάντα ἦν πονηρός, ἀλλ' ἐπῃσθάνετο τῆς ἑαυτοῦ ἀπωλείας ἀρχὴ γὰρ αὐτῷ καταδίκης ὁ τοῦ χριστοῦ σταυρός, ἀρχὴ θανάτου, ἀρχὴ ἀπωλείας. Ignat. Epist. ad Philipp.

*Princeps mundi gaudio ob hoc afficitur; quando quis crucem negat; Nouit enim crucis confessionem sibi adferre interitum: Hæc enim est trophæum contra potentiam ipsius erectum; quod dum videt, exhorrescit; dumq; audit; expauescit. Et prius quidem quàm crux fabricaretur; omni ope contendebat, vt fieret; & eò impellebat filios diffidentiæ; eò impellebat Iudam, Pharisæos, Sadducæos, Senes, Iuuenes, Sacerdotes. At cùm vt fieret, iam inibi esset, turbatur; & pœnitentiam iniicit proditori; & laqueum illi ostendit; suspendiumq; docet: Territat & mulierculam per somnum illam molestans; & quæ ad crucem spectabant, impedire conatur, licet vt conficeretur omnem antea, quod dicitur, funem mouisset; & nihil intentatum reliquisset; non quidem ductus pœnitentia ob tantum scelus: si enim, equidem non planè malus esset; sed iam tunc suam perditionem præsentiens. Nam Christi Crux ipsi condemnationis principium est; principium mortis, principium perditionis.*

## CAPVT XXXVIII.

### *Quomodo mulier Christiana signaculo crucis incantationes irritas reddiderit.*



MAGNA fuit sancto Epiphanio familiaritas cum Iosepho quodam Iudæo, magnæ dignitatis viro, postea ad fidem Christianam, per crebra, & euidentia miracula conuerso, qui causas suæ conuersionis aliquando sancto Epiphanio explicans; præter cæteras, Crucis etiam vi & potentia, quam non semel expertus esset, se ad religionem Christianam amplectendam permotum aiebat.

Narrabat autem sancto Epiphanio, vt ipsemet Epiphanius scribit; eiusmodi historiam de iuuene quodam Iudæo, Patriarchę cuiusdam Iudaici filio, moribus deprauatissimo; ob cõsuetudinem quam

P cum

Epiph. hær. 30. cum improbis contraxerat: *Cum comite Iosepho iuuenis ille, ad Gadarenses balneas profectus, reperit illic in balneis fœminam quandam formæ pulchritudine cumprimis excellentem. Adolescens ille,* ait Epiphanius ex narratione Iosephi; *proteruitatis suæ consuetudine illectus deambulans ad auram, latus suum ad fœminæ latus affricuit. Illa autem signauit se in nomine Christi, vt quæ Christiana esset, & vt ostenderet Deus sua miracula, adolescenti suus conatus non successit: Misit enim ad ipsam & munera constituit, illa verò nunciis contumelia affectis, non flectebatur proterui illius inani opera. Hinc auxiliarij eius, cognito adolescentis dolore, quem ex fœmina illa conceperat, aggrediuntur maiores quasdam præstigias construere, velut ipse Iosephus mihi per longum tempus exposuit. abducunt enim miserum illum adolescentem, post occasum solis in propinquas tumbas (sepulchra autem sic appellantur, speluncæ videlicet in petris effossæ ac constructæ) illuc abducunt prædictum adolescentem præstigiatores qui cum ipso erant; & incantationes ac eiurationes, & studia impietatis plena in ipsum faciunt, & in nomen prædictæ fœminæ.*

Post aliqua: *Post exitum igitur sceleratissimorũ ex monumento, ingressus est Iosephus, ac deprehendit etiam alia quædã curiositatis studia humi prostrata. Cognouit autẽ insidias ob qualẽ fœminam hæc ab ipsis maleficè perpetrata essent, & obseruabat, an præualerent. Vbi igitur nõ præualuerunt præstigiatores (nam per signaculũ Christi & fidẽ, mulier auxilium percepit) cognouit adolescentẽ per tres noctes tolerare ac exspectare fœminæ accessum. Deinde verò pugnare aduersus eos, qui hanc curiositatẽ fecerant, quod assecutus illã non esset. Hoc tertiũ instructionis ad fidem opus, Iosepho contigit, quod nõ valuit incantationis vis, vbi erat nomen Christi & signaculum Crucis; non tamen persuasus est, vt Christianus fieret.*

Commemorat deinceps S. Epiphanius, quomodo Christus sæpius Iosepho apparens, eundem monuerit, vt deserta Iudaica perfidia, ad Christianos transiret; sed frustrà: & quo modo tandem eidẽ pollicitus sit, in gratiam ipsius & in confirmationem fidei, se, quodcumque vellet, miraculum edere velle opera & ministerio Iosephi: *Erat autem quidam insanus in Ciuitate,* inquit S. Epiphanius, *qui nudus per vrbem circuibat,* in Tiberiade videlicet *& cùm sæpe vestis ei indueretur eam dilaniabat, vt tales facere solent. Iosephus igitur volens experiri visionem; dubitans autẽ adhuc, verecundia detinebatur. Assumit itaq; hunc intrò, & præclusis foribus, acceptaq; aqua in manu, eaq; Crucis signaculo signata insanum hominem aspersit ac dixit: In nomine Iesu Nazareni Crucifixi, egredere Dæmonium ab ipso, & sanus fiat. Homo verò magno clamore edito, humi prolapsus, & multa spuma ab ore emissa, lancinatus ad multum tempus, immotus permansit; postea autem sanus, & à Dæmone liber surgens, domum abiit multis gratiis Iosepho actis.*

Adhuc tamen permansit Iosephus obduratus corde, *sed benignus Deus occasiones salutis semper præbens bonas his, qui ipsum diligunt, eas exhibet homi-*

*hominibus, qui digni facti sunt vita æterna*; postea enim fidem amplexus & à Constantino Magno Imperatore, Comitatus dignitate auctus est, vt ibidem narrat S. Epiphanius, egregiumque templum in Tiberiade construxit. Ad quod, vt materia suppeteret, *caminos extra vrbem multos facere iussit. At callidi & quiduis facere ausi Iudæi, à præstigiis apud ipsos fieri solitis non abstinuerunt. Incantationibus enim quibusdam ac curiosa sedulitate, ignem ligare ac disperdere aggressi sunt, sed non perfectè potuerunt. Cessabat itaq. ignis, & non perfectè operabatur, sed extra propriam naturam constitutus erat. Vbi autem hi, qui combustibilem materiam igni addere iussi erant, ligna videlicet siue sarmenta, nihil effecissent, Iosepho rem ipsam significauerunt.*

*Lege Sophron. in prato spirituali, cap. 83.*

*Commotus igitur vir ipse, & zelo erga Dominum correptus, extra ciuitatem currit, & vbi aquã in vase adferri iussisset, accepto vase aquæ, coram omnibus (multitudo enim ingens confluxerat ad spectaculum, euentum videre cupiens, & quid Iosephus acturus esset) magna voce Crucis signaculum proprio suo digito vasi imposuit, & inuocato nomine Iesu, sic dixit: In nomine Iesu Nazareni, quem crucifixerunt patres mei, & omnium horum circumstantium; fiat virtus in hac aqua ad reprobationem omniũ incantationis, ac magiæ, quam hi fecerunt, & ad efficaciam potentiæ ignis, ad perficiendam domum Domini. Et sic accepit aquam in manum, & de aqua singulas fornaces respersit, & dissoluta sunt incantamenta, & ignis coram omnibus emersit: Turba verò præsentes clamore edito; Vnus Deus, qui auxiliatur Christianis, recesserunt.* Hactenus S. Epiphanius, ex cuius narratione tria miracula Crucis, contra Dæmones edita habemus.

Eodem Crucis signo fugauit Iustina virgo Dæmones à Cypriano tunc Mago, postea Martyre, immissos, vt virginis animum ad impuri amatoris amorem inflecterent. de quo S. Gregorius Nazianzenus, & Photius ex oratione prima Eudociæ Imperatricis in Cyprianũ Martyrem, vbi ait Cyprianum rogatum misisse, τοὺς βιαιοτέτους καὶ χαλεπωτάτους τῶν δαιμόνων ἐπὶ τὴν παρθένον, *violentissimos & infestissimos Dæmones aduersus Virginem*, καὶ ᾐσχυμμένους καὶ νενικημένους τοῦ σταυροῦ τῷ τύπῳ, eosque confusos & victos signo crucis; quod Cypriano prima ad salutem via fuit.

*Naz. orat. in S. Cyprianum. Phot. Biblioth. Vol. 184.*

## CAPVT XXXIX.

### *Sanctum Antonium magnum, Eremitam, & alios virtute Crucis sæpissimè fugasse Dæmonum cateruas.*



VITAM S. Antonij litteris consignauit sanctus Athanasius, celeberrimus ille sanctimonia & doctrina Alexandrinorum præsul; In ea historia multa sanè admiratione dignissima de sancto Antonio commemorat; præter cetera autem, quanta fiducia, omnibus Dæmonum machinamentis, &

*Exstat inter Opera S. Athanasij. & apud Sur. tom. 1.*

tentationibus signum Crucis obiecerit,& quomodo alios itidem cõmonuerit,vt eadem armatura infensissimo hosti obuiam irent: *Aliquando igitur sonitus repentinus increbuit,ita vt loco (*vbi erat Antonius*) funditus agitato,parietibus patefactis,varia exinde Dæmonum turba sese effunderet. Nam & bestiarum & serpentum formas induentes, omnem protinus locum repleuére phantasiis leonum,taurorum,luporum,aspidum,serpentum, scorpionum, nec non & pardorum atq; vrsorum, & hæc singula secundum suam fremebant naturã, rugiebat leo occidere volens; taurus mugitu & cornibus minabatur; serpens sibilo personabat; luporum impetus inhiabat,pardus discolor à tergo, auctoris sui calliditates varias indicabat: Truces omnium vultus,& vocis horridæ dirus auditus. Antonius flagellatus atq; confossus sentiebat quidem asperiores corporis dolores,sed imperterritus durabat mente peruigili. Et licet gemitum vulnera carnis exprimerent, sensu tamen idem permanens,quasi de inimicis luderet,loquebatur. Si virium,aiebat,aliquid haberetis,sufficeret vnus ad prælium, sed quoniam Domino vos eneruante frangimini,multitudine tentatis inferre terrores. Rursusq; confidens dicebat; si quid valetis,si vobis in me potestatem Dominus dedit, ecce prastò sum, deuorate concessum; si verò non potestis, cur frustrà nitimini? Signum enim Crucis,& fides ad dominum inexpugnabilis nobis murus est. Multa contra S. Antonium minantes fremebant dentibus suis,quod nullus eorum tentamenta sequeretur effectus, sed maximè è contrario gigneretur illusio.*

*Hier. in Vita S. Hilar.*

Simile quid prodidit S.Hieronymus de S.Hilarione: *Quadam,* inquit,*nocte,cœpit infantum audire vagitus,balatus pecorum,mugitus boum, planctusq; mulierum,leonum rugitus,murmur exercitus. & rursus variarum portenta vocum,vt antè sonitu,quàm aspectu territus cederet. Intellexit Dæmonum ludibria & prouolutus genibus,Christi Crucem signauit in fronte,taliq; armatus casside,& lorica fidei circumdatus,iacens fortius præliabatur,cùm interim ex improuiso,splẽdente luna,cernit rhedam feruentibus equis super se irruere,cumq; inclamasset Iesum; repentino terra hiatu pompa omnis absorpta est.*

*Sulpit. in Vita S. Martini. Ead. Paulinus lib. 3. de Vita S. Martini.*

De S.Martino ita scribit Sulpitius: *Frequenter Diabolus, dum mille nocendi artibus sanctum virum conabatur illudere,visibilem se ei formis diuersissimis ingerebat. Nam interdum in Iouis personam, plerumq; etiam Mercurij, persæpe etiam se Veneris & Mineruæ transfiguratum vultibus offerebat; Aduersus quem semper interritus signo se Crucis,& Orationis auxilio protegebat.*

Redeamus ad sanctum Antonium, qui cum Ethnicis quibusdam Philosophis disputans,inter alia sic locutus est: *Crucifixum nominamus, & vniuersi Dæmones,quos vos vt Deos colitis,rugiunt,atque ex obsessis corporibus ad primum Dominicæ Crucis signum fugantur. Vbi sunt illa fabulosa oracula, vbi Ægyptiorum incantationes,quò Magorum profecére carmina? Certè nunc vastata sunt omnia,cùm de sua Cruce Christus mundo intonuit.* Et infrà: *Ecce nos, vt dixit Doctor noster; Non in gentili persuasione,sed in fide aptissima suademus.*

*mus, qua verborum affirmationem prauenire consueuit. Adsunt quippe à dæmonibus vexati, quos cùm in medium produxisset, verba repetiuit dicens:* Nunc vos *Syllogismis vestris, & quo vultis malefico carmine Deos vestros, quos putatis, expellite: Sin autem non potestis, victas submittite manus, & ad Christi trophæa confugite, & statim crucifixi credulitatem, maiestatis potentia persequetur. Dixit, & inuocato nomine Iesu, cùm vitale signum in sacro numero Trinitatis preßisset in frontibus, vnà cum expulsis dæmonibus vana præsentium Philosophorum confutata est sapientia.*

Idem instruens suos, contra insidias Diaboli, & quàm variis modis dæmones, famulos Dei aggredi soleant, explanans: *Solent,* inquit, *saucij grauius assurgere, & mutata arte pugnandi, cum cogitatione nihil egerint, pauoribus terrent, assumentes nunc mulierum, nunc bestiarum, nunc serpentum formas, nec non ingentia quædam corpora, & vsq; ad tectum domus porrectum caput, infinitasq́; species & militum cateruas, quæ omnia ad primum quoq; Crucis signum euanescunt.* Hæc & alia S. Athanasius, de magno illo Antonio.

Refert etiam Cassianus duos quosdam philosophos, inuidia extimulatos, immissis per magicas artes in Antonium dęmonibus, conatos esse, eum saltem de cella magicis præstigiis exturbare, eò quod maximæ hominum turbę, ad eum, velut famulum Dei quotidie conuenirent: *Cumq́; illo,* inquit, *nunc quidem imprimente pectori suo frontiq́; signaculum Crucis, nunc orationi suppliciter incumbente, ne approximare quidem dirissimi dæmones eidem auderent, atque ad eos, qui illos direxerant, absque vllo reuerterentur effectu, & alios illi in nequitia vehementiores rursus immitterent, itidemqúe ipsis incassum suarum nequitiarum expendentibus vires, atq; inaniter redeuntibus; potentiores nihilominus aduersus militem Christi iterum destinati, nihil penitus praualerent, eò profecerunt tales, tantæqúe eorum insidiæ, tanta magica arte quæsita, vt per hæc euidentißimè comprobarent, magnam professioni Christianorum inesse virtutem, quibus illæ tam sæuæ tamq́; potentes vmbræ, quas æstimabant, solem lunamq́, si ad eas directæ fuissent, abducere potuisse, hunc non solùm nihil lædere, sed ne ad punctum quidem de monasterio suo valuerint exturbare.* Cass. collat. 8. cap. 18.

Addamus hîc & illud, quod Gennadio Patriarchæ Constantinopolitano accidit: *Hic cùm noctu ad altare sacrificij, orans astaret, spectrũ quoddam dæmoniacum ei apparuit, quod ille protinus signo Crucis, velut immisso telo, fugauit, cumqúe recederet, hæc est humana voce locutum: Abeo, & te viuente quiescam, reuersurus post obitum tuum, & modis omnibus euersurus Ecclesiam.* Hæc Theodorus Lector & Nicephorus. Obiit autẽ Gennadius anno Christi CCCC. LXXI. Cuius mortem quantæ turbæ exceperint, Ecclesiasticæ historiæ satis loquuntur. Theod. lib. 1. Collect. Niceph. lib. 15. cap. 24.

Refert idem Theodorus de dæmonibus per Crucis signum fugatis eiusmodi historiam; *Castrum quoddam est inter Persas & Indos, nomine* Theod. lib. 2. Collect.

Cedren. in Anastasio. Glycas 4. par. Annal.

Tzundadeero. Cùm rex Coades multas in illo pecunias ac lapides pretiosos asseruari audisset, volebat eius rei veritatem cognoscere: Verùm dæmones locum illum inhabitantes, Coadem ab eo, quod quærebat, impediebant. Cunctam itaque Magiam suam Magi illius impenderunt, sed frustrà. Adhibita est & Iudæorum Magia; neque sic tamen voti compos euasit. Cogitauit per Christianos amoliri dæmones illos; Episcopus igitur Christianorum in Persia, peracta super ea re synaxi, & acceptis diuinis mysteriis, & in Christianos, qui aderant, dispensatis, signo Crucis dæmones profligauit; & castrum Coadi sine vlla molestia tradidit; quamobrem vir ille stupefactus, Episcopum illum primæ sedis prærogatiua cohonestauit, cùm ad id vsque temporis Iudæi & Manichæi priores haberent; Deinde & cunctis Christianismum amplecti volentibus liberum & securum fecit. Cùm antea Christianos variis tormentis excruciasset, adeò, vt etiam multis membra, & partes eas, per quas vox editur, ademerit; qui tamen, inquit Nicephorus, illis quoque sic amissis, non minus quàm anteà clarè sunt locuti.

Niceph. lib. 16. cap 36.

## CAPVT XL.

*Exempla memorabilia de dæmonibus S. Crucis virtute fugatis, ex S. Gregorio Nysseno, S. Gregorio Magno, & S. Paulino.*

Exstat inter opera Nysseni.



IVVS Gregorius Nyssenus, qui vitam & res gestas Gregorij Neocæsariensis Thaumaturgi, posteritati scriptis commendauit; de eiusdem Diacono iter faciente hæc refert: *Cùm vesperi in vrbem* (Neocæsaream) *peruenisset, & de via fessus esset, desatigatum labore corpus lauacro curare necesse esse putabat. Dominabatur autem in illo loco dæmon quidam homicida, in balneo versari solitus, cuius perniciosa & pestifera vis, in tenebris aduersus propinquantes exercebatur, & idcirco post solis occasum balneæ illæ non exercebâtur, nemoque eò accedere id temporis solebat. Ad quas stans Diaconus, præfectum loci rogabat, vt ostium aperiret, & aditum sibi præberet, ne inuideret sibi, quò minus corpus lauacro reficeret. Illo verò testante, neminem, qui circa illam horam, aquam ingredi ausus esset, suis pedibus reuersum esse: sed post vesperam dæmonium omnes in potestate habere, ac multos iam imprudentes in insanabilia mala incurrisse, quos pro sperato leuamine lamentationes, & sepulturæ, & gemitus exceperunt.*

*Hæc & eiusmodi balneatore dicente, nihilo magis ille quidquam de cupiditate remittebat, sed instabat omni modo vrgens eum, vt se intromitteret. At balneator in lucro ponens, si non vnà cum imperito hospite periclitaretur, cùm clauem ei tradidisset, procul à lauacro discedit. Postea quam autem nudatus intus erat, multiplices quædam terrorum & concussionum materiæ à dæmonio instruebantur; spectra varia igni fumo mixtam naturam præ se ferentia, in forma hominum & ferarum*

oculis

*oculis incidentia, auribus insonantia, anhelitu appropinquantia, vndique corpori se circumfundentia. At ille signum* (Crucis) *ante sese obiiciens, Christíque nomen inuocans, primum conclaue illæsus transiuit; ad interiorem autem partem ædium progressus, in molestiora incidit spectacula, in terribiliorem faciem transformato dæmonio, & simul terræ motu concuti conclaue ei videbatur, adeò vt etiam solum infrà ruptum flammæ, quæ subtus esset, nudam conspicientiam præberet; scintillæq; flammæ ab aquis emitterentur, ac rursus iisdem armis, signo* (Crucis scilicet) *& nomine Christi, præsidióque precum Magistri, terrores earum rerum, quæ tum apparebant, tum fiebant, discussit; cumq; iam aqua recreatus exire festinaret, rursus prohibebatur à dæmone, qui ostium occupauerat. Verùm etiam hoc rursus impedimentum, per eandem vim, sponte sua ianua cedente, signo* (Crucis) *discutiebatur. Posteaquam autem ei omnia ex sententia successerant, exclamasse dicitur ad eum, humana voce dæmonium; ne sibi virtutem illam imputaret, per quam perniciem effugisset. Vocem enim eius, à quo custodiæ atque præsidio diuino commendatus esset, hoc ei præstitisse, vt ab incommodis tutus esset. Seruatus igitur, quemadmodum diximus, admirationi loci præfectis fuit, eò quod nemo eorum, qui vnquam id temporis aquam ingredi ausi essent, inter viuos postea conspectus esset.*

Scribit idem Nyssenus S. Gregorium Thaumaturgum signo Crucis fugasse dęmones ex templo quodam Idolorum, in quo pernoctauerat: *Cùm è remota solitudine, viam versus vrbem conficeret,* inquit S. Gregorius Nyssenus, *nox autem eum deprehendisset, & cùm vehementer pluuia retardaret, subit quoddam templum cum suis comitibus. Erat autem illud templum insigne, in quo, qui colebantur dæmones ad æditu os apertè ventitabant, vt qui illic diuinarent, & responsa redderent. Cùm autem subiisset templum, dæmones quidem confestim exterruit Christi nominis inuocatione: Figura autem crucis aëre expiato, ibi mansit, totam noctem in orationibus & hymnis decantandis vigilans, & manè rursus cœpit vltrà progredi. Cùm verò æditu us manè consuetum dæmonibus cultum exhibuisset, apparentes ei dæmones, dicunt clamantes, non licere eis templum ingredi propter eum, qui illic manserat.*

Recenset deinde Nyssenus, quomodo dęmones, permissu S. Gregorij, iterum ad templum reuerterint, & quomodo æditu us videns S. Gregorium, arbitratu suo cum dæmonibus agere; ad fidem fuerit conuersus, & à S. Gregorio Diaconus ordinatus; & est ille ipse, qui, vt paulò antè retulimus, horribiles illas dæmonis præstigias ex balneis virtute crucis depulit.

*Sed hæc fabulosa videntur*, inquiunt Centuriatores. Verùm Gregorio Nysseno non sunt visa fabulosa, cui qui non potius credit, quàm Centuriatoribus, is nescit, quantum distent æra lupinis. *Cent. 3. cap. 15.*

Libet hîc adiungere aliud miraculum ex D. Gregorio Romano, aduersus dæmonis præstigias, virtute crucis, patratum. Cùm enim D. Bene- *S. Gregor. lib. 2. Dialog. cap. 10.*

Eadem Paulus Diaconus lib. 1. hist. Longobar. cap. 26.

D. Benedicti fratres, fundamentis cuiusdam monasterij iaciendis, terram altius egererent, æreum illic idolum repererunt, *quo ad horam casu in culinam proiecto*, inquit S. Gregorius, *exire ignis repentè visus est, atque in cunctorum monachorum oculis, quia omne culinæ ædificium consumeretur, ostendit, cumq; iaciendo fratres aquam ad ignem, quasi extinguendo perstreperent, pulsatus eodem tumultu vir Dei aduenit, qui eundem ignem in oculis fratrum esse, in suis verò non esse considerans, caput protinus in orationem flexit, & eos, quos phantastico reperit igne deludi, vocauit fratres, monuit, vt oculos signarent, vt & sanum illud culinæ ædificium assistere cernerent, & flammas, quas antiquus hostis finxerat, non viderent.* Ita S. Gregorius, qui de eodem Benedicto aliud præterea miraculum commemorat, his verbis.

Greg. lib. 2. c. 2.

*Quodam die, cùm solus esset, tentator adfuit: Nam nigra paruáque auis, quæ vulgo merula nominatur, circa eius faciem volitare cœpit, eiusq; vultui importunè insistere, ita vt manu capi posset, si hanc vir sanctus tenere voluisset, sed signo Crucis edito, recessit auis.*

De Theodoro puero in monasterio non satis religiosè & monasticè viuente, ita S. Gregorius: *Cùm extremum spiritum ageret, conuenerunt fratres, vt egressum illius orando protegerent. Iam corpus eius ab extrema parte fuerat præmortuum, in solo tantùm pectore vitalis adhuc calor anhelabat. Cuncti autem fratres tanto pro eo cœperunt enixius orare, quanto eum iam videbant sub celeritate discedere. Tunc repentè cœpit, eisdem fratribus assistentibus, clamare, atq; cum magnis vocibus orationes eorum interrumpere, dicens: Recedite, recedite: ecce draconi ad deuorandum datus sum, qui propter vestram præsentiam deuorare me non potest. Caput meum iam suo ore absorbuit: date locum, vt non me amplius cruciet, sed faciat quod facturus est. Si ei ad deuorandum datus sum, quare propter vos moras patior? Tunc fratres cœperunt ei dicere: Quid est quod loqueris frater? Signum tibi sanctæ Crucis imprime. Respondit ille, dicens; Volo me signare, sed nō possum: quia squamis huius draconis premor. Cumque hoc fratres audirent, prostrati in terram cum lachrymis cœperunt pro ereptione illius vehementius orare. Et ecce subitò cœpit æger clamare, dicens: Gratias Deo: Ecce draco qui me ad deuorandum acceperat, fugit, orationibus vestris expulsus stare non potuit. Pro peccatis meis modò intercedite: quia conuerti paratus sum, & secularem vitam funditus relinquere.* Eandem historiam ex S. Gregorio refert S. Eligius Nouiomensis Episcopus.

Gregor. Mag. 4. Dialog. cap. 37.

S. Elig. hom. 13.

Detexit signo Crucis incantationes & præstigias Anatolij ficti Monachi sanctus Martinus. Candidam enim tunicam, quam se diuinitùs accepisse iactabat, ostendit S. Martinus esse præstigias dæmonis, quod præter Sulpitium & Fortunatum Paulinus his versibus tradidit.

Paulin. lib. 3. de Vita S. Martini.

*Hoc quoque sanctæ Cruci Martine affige trophæum:*
*Quo spolias sæuum simulata veste tyrannum;*

Scindens

*Scindens aëria mendacia tegmina telæ.*
*Distitensq́; caua fluitantia vellera nubis.*

Cùm S. Osvvaldo Episcopo VVigorniensi, cacodæmon in forma speciosa Angeli se ostentasset, Crucis signo se muniuit, eo quod sciret Angelum lucis id non molestè ferre, Angelum verò tenebrarum illo in fugam compelli. Quod & factum. *Nam*, vt inquit Senatus Brauonius, *simul atque signum illud malignus tentator vidit, instar fumi ab oculis eius euanuit.* *Senat. Brau. in Vita S. Osuualdi VVigorn.*

Eodem lapide Lydio vsus est Secundellus Diaconus, qui apud Gregorium Tur. hæc dæmoni in forma Christi se ostentanti: *In veritate comperi, quod seductor sis. neq; te Deum credo, cuius te speciem mentiris habere. Tamen si Christus es, Crucem tuam quam reliquisti, ipsam ostende, & credam tibi. Cumq́; non ostenderet, Diacono crucem in os eius faciente, confusus euanuit.* *Tur. lib. de Vita PP. cap. 10.*

Miram dæmonis illusionem signo Crucis detectam & depulsam à B. Simeone Monacho Treuirensi, narrat Eueruuinus Abbas: *In verticem montis Sinai iussu superiorum cùm missus fuisset, ibi habitaturus: nocturnis horis illi specie Angelica dæmon apparuit, & vt Missam celebret, hortatur. Ipse nec plenè dormiens, nec perfectè vigilans contradicit, non debere sine presbyterij ordine aliquem hoc ministerium implere. Contra inimicus instat, se Dei legatum esse. Christum hoc velle, nec decere, sanctum locum ministerio tali diutius priuari. Renitentem ergo & contradicentem, adiuncto sibi consortio alterius dæmonis, de lectulo educunt, ante altare iam vigilantem statuunt, alba induunt, de stola vtrinque altercantur: hostis more presbyteri, Simeon more Diaconi, contendebat sibi imponi debere. Tandem Dei famulus ad se reuersus, virtute orationis, & SIGNO CRVCIS inimicum repellit, seq́; delusum ingemiscit.* *Euer. in Vita Simeonis apud Surium 1. Iun.*

## CAPVT XLI.

### *Dæmones virtute Crucis ex obsessis corporibus eiectos esse.*



DIXIMVS suprà ex Tertulliano, Lactantio, & Athanasio, quo modo dæmones ex obsessis corporibus, vi & efficacia signaculi crucis à Christianis editi, sint profligati & exterminati. Restat, vt, vberioris doctrinæ gratia, id hoc loco aliis itidem exemplis confirmemus; vt non modò amici, sed & inimici crucis agnoscant crucis potentiam & gloriam. *Cap. 38.*

Solennes Ecclesiæ orationes, quibus dæmones ex obsessis corporibus eiiciuntur, non sine signo crucis pronunciabantur; per quod etiam dæmones adiurati cedebant, teste S. Gregorio Magno apud quem in orationibus super dæmoniacum hęc: *Triumphatus recede in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & da locum Spiritui sancto per hoc signum Crucis Iesu Christi.* Et ibidem: *Imperat tibi Sacramentum crucis.* *Gregor. lib. Sacramentorum.*

Q S. Patro-

Turon. lib. de S. Patroclo, & lib. de S. Nicetio.

S. Patroclus plurimos energumenos virtute signi Crucis liberauit, teste Gregorio Turonensi, qui de S. Nicetio Treuirorum Episcopo: *Iussit dæmoniacum extrahi, sed cùm apprehensa columna euelli à decem viris non posset, sanctus Dei sub vestimento suo, propter iactantiam fugiendam, faciens crucem Christi è contra, dæmoniacum relaxari præcepit.*

Beda tom. 3. in Vita S. Arnolfi.

Beda de S. Arnolfo: *Eo tempore, quo quatriduanum ieiunium vniuersalis celebrare cõsueuit Ecclesia, vir sanctus extra ciuitatem cum crucibus atq; promiscua populi multitudine, orandi gratia secundum morem vrbis processit: & ecce mulier ex mediis cateruis voces emisit in cælum. Quod audiens vir Domini, cùm cognouisset eam arreptam à dæmonio, opposito crucis vexillo, liberauit eam.* Sed fortè hoc miraculum non ad signum, sed ad imaginem crucis referendum est.

Greg. li. 3. Dialog. cap. 6.

De Casſio Narniensis ciuitatis Episcopo, in hunc modum scribit S. Gregorius: *Gothorum tempore, cùm Rex Totila Narniam venisset, ei vir vitæ venerabilis Cassius occurrit, cui, quia ex consperſione semper facies rubere consueuerat, hoc Rex Totila non consperſionis esse credidit, sed assiduæ potationis, eumque omni modo despexit. Sed omnipotens Deus, vt quantus vir esset, qui despiciebatur, ostenderet, in Narniensi campo, quo Rex aduenerat, malignus Spiritus, coram omni exercitu eius Spatharium inuasit, eumque vexare crudeliter cæpit: cùm ante Regis oculos ad venerandum virum Cassium fuisset adductus, hunc ab eo, vir Domini, oratione facta, signo Crucis expulit, qui in eum ingredi vlterius non præsumpsit, sicq; factum est, vt Rex barbarus, seruum Dei ab illo iam die veneraretur ex corde, quem despectum valde iudicauit ex facie.*

Tur. lib. de Vita Patrum, cap. 7.

De Gregorio Lingonico Episcopo Gregorius Turonensis; *Cùm energumeni eum primo die Episcopatus sui confiterentur, rogabant eum presbyteri, vt eos benedicere dignaretur. Quod ille viriliter, ne vanam incurreret gloriam, refugiebat, clamans indignum se ad manifestandas virtutes Dominicas esse ministrum, sed tamen quia diutius hoc dissimulare non potuit, adduci eos ad se iubens, sine vllo tactu, facto tantum signo Crucis, dæmonia discedere imperabat. Quod illa protinus audientia, corpora quæ nequitia sua diuexarant, absoluebant.*

Greg. Elensius Presbyter discipulus sancti Theodori in Vita eiusdem. Tomo 2. Surij.

Refertur in vita S. Theodori Archimandritæ, qui sub Mauritio Imperatore claruit, eum cùm adhuc iuuenis esset, dæmones signo Crucis expellere consueuisse. Cùm enim ei oblatus esset energumenus, *sumens Theodorus ex lucerna oleo, vexati caput vnxit, & signo Crucis adhibito, increpuit eum dicens: Exi iam spiritus impurissime. & vociferans dæmon, proiecit puerum ante pedes eius & exiuit.* Idem Theodorus, iam grandior natu, plures energumenos ad se adductos maligni Spiritus agitatione simul liberauit. *Dæmones enim diuina Christi gratia, venerandæq; Crucis signo torquens, tunsionibusq; pectori adhibitis, diu precationi incubuit, iussitq; vt ex hominibus egrederentur, & in locum suum redirent; qui magno clamore, scissis vestimentis, obsessos ante pedes eius prostrauerunt, & abierunt.*

Liberà-

Liberauit Stephanus Iunior, qui sub Constantino Copronymo vitam insigni martyrio conclusit, quendam signo Crucis à diaboli tyrannide: *Matris enim querelis, quæ filium obsessum ad se adduxerat, commotus, vni discipulorum imperat, vt Crucis signum vniuerso pueri corpori adhiberet, ipse autem intra se collectus, atque animi oculum attollens, eum qui celerrimè salutem adferre poterat, inuocabat. Atque ipse quidem lachrymis profusus precabatur. Ille autem humi magno cum impetu deiectus, amissa voce iacebat, ipse surgere eum, atque ad se venire iubebat, ille iussis obsequebatur: Demùm eum, adorata Christi imagine, matri suæ sanum atque incolumem tradit.* *Vide vitam S. Stephani tomo 7. Surij 28. Nouemb. & in operibus Damasc.*

S. Ioannes Chrysostomus dæmoniacum signo Crucis curauit: *Dæmoniacus quidam*, inquit Leo Imperator, *clamabat in medio omnium;* (concionante Ioanne ad populum) *rogatur medicus, vt curet laborantem, quem quidem curat signo pretiosæ crucis, & inuocatione sanctæ & viuificæ Trinitatis, dicens: Ecce sanus factus es, ne Deum amplius offendas.* *Leo Imp. in Encom. Chrysost. tom. 1. Surij.*

Narrat Marcellinus de S. Svviberto commemorabile miraculum virtute crucis editum; cùm apud Boructuarios seu Prussos moraretur: quod huc attexere placuit in gratiam eorum, qui à fide S. Svviberti desciuerunt. *Erat*, inquit Marcellinus, *in quadam Boructuariorum villa Velsenberg nomine vir quidam diues & potens, Ethelhere dictus, obsessus à dæmonio, ferro & catenis adstrictus. Qui cùm quotidie dirè vexaretur, & a multis visitaretur, tandem quadam die, præsentibus nonnullis idolorum sacerdotibus, & aliis paganis, clamare cœpit dæmon: Nisi huc veniat seruus Dei viui Suuibertus, Christianorum Episcopus, hinc non egrediar. Cumq; magis ac magis hæc iterando clamaret, confusi abscesserunt Idololatræ, dubij quid nam facerent. Tandem ab ipsis S. Suuibertus quæritur, & inuenitur, obnixè rogatur, & inuitatur ad visitandum dæmoniacum. Igitur S. Suuibertus, cùm iret ad visitandum eum, mox cœpit dæmoniacus spumare, dentibusq; dirè stridere; & horribiliter vociferando clamare plus solito. Sed S. Suuiberto appropinquante domui, cessauit dæmoniacus iacens in lecto, ac si somno dulciter pressus esset. Quem sanctus cernens præcepit suis, vt omnes orationibus deuotè vacarent, & ipse orationi incumbens, Deum deuotissimè precabatur, vt ad laudem & gloriam sanctissimi nominis sui, & ad conuersionem incredulorum, dæmoniacum expulso dæmone liberaret, surgensq; cum suis ab oratione, signauit dæmoniacum signo salutiferæ crucis, dicens: In nomine Domini nostri Iesu Christi præcipio tibi immunde spiritus, vt exeas ab hac Dei creatura, vt agnoscat suum verum creatorem. Statimque cum fœtore spiritus malignus exiit.* Exponit deinde Marcellinus, quomodo is qui liberatus est ad pedes S. Svviberti prociderit, baptismumque magnis precibus expetitum impetrarit. *Marcell. in vita S. Suuiberti cap. 20.*

His adde S. Epiphanium Episcopum Ticinensem, qui Tarantas venit, *ibi quadam mulier graui immundi spiritus vexatione laborabat, quæ con-*

*tinuò percepta benedictione absoluta discessit.* Hæc Ennodius de S. Epiphanio, cùm rediret à legatione, quam obiit ad Theodoricum Regem, cuius itineris socius fuit ipsemet Ennodius.

*Ennod. in Vita S. Epiphanij. Apud Surium tom. 1.*

Huc pertinent illæ historiæ, quæ testantur dæmones à Sanctis viris manuum impositione pulsos esse, quæ quia nunquam fiebat sine signo Crucis, ideo tanquam rem notissimā, scriptores subticuerunt crucis efformationem. Sic legimus in Actis fidelissimis S. Danielis, eum dæmones expulisse, cùm manus solummodo obsessis imposuisset. quo etiam modo liberata fuit filia Cyri, qui anno Christi CCCC. X L I. consulatum in Oriente gessit, summosque honores consecutus est, qui tandem ex Ethnico factus est Episcopus Smyrnensis. Sed quia multi sunt qui signo Crucis liberarunt obsessos à dæmonibus, hîc aliquos enumerabimus. De S. Medardo Episcopo Nouiomensi testatur id Fortunatus. De S. Domnolo in Actis eius. De S. Germano Parisiensi Fortunatus. De S. Niceta Theosterictus. De S. Albino Andegauensi Episcopo Fortunatus. De S. Svviberto Marcellinus Presbyter. De S. Procopio Martyre Acta eius. De S. Placido Martyre Gordianus. De S. Mauro Faustus.

*Apud Surium tom. 6. 11. Dec. Lege Greg. Turon. de gloria Confess. cap. 63. Fort. apud Sur. 8 Iun. Acta Dō. Sur. 16 Maij. Fortun. in Vita S. Germa. c. 64. Theoster. orat. funebri in sanctum Nicetam. Fort. in Vita S. Albini. S. Marcel. in Vita sancti Suuiberti c. 20. Acta Proco. 8. Iul. Gord. Vita S. Placidi. Faust. in Vita S. Mauri. Greg. Tur. libro de gloria Confess. cap. 77. Ioan in Vita S. Zenobij.*


Neque prætereunda memorabilis illa historia, quam Ioannes Archipresbyter Aretinus refert de S. Zenobio, qui contra Iulianum Apostatam mira virtute decertauit: *Cùm mulier quædam pagana illustris, & diues valdè in hac Florentina ciuitate mortuo viro, duos superstites haberet filios, quos delicatissimè enutrierat; & ad perfectam illi iam peruenissent ætatem, quodam die in iram versi, matrem propriam pluribus verberibus enormiter flagellarunt. Quod scelus ipsa impatienter abhorrens, corpora illorum horrendis imprecationibus detestata fuit, genibus procumbens, & terram manibus pulsans. Erynnem, ceterasq; infernas pestes in rabiem filiorum magno cum gemitu inuocat. Exaudiunt dæmones ab imis tenebris: iuuenes congrediuntur, illos in furias exagitant: Qui statim vt rabidi canes, mordaciter ad inuicem sua membra corrodunt. Concurrunt famuli; fit clamor ingens. Alij funes, alij catenas ferunt. Ligantur iuuenes, nec rabie contineri valent. Iam mater pietate commouetur in filios: iam facti pœnitet, & tanta calamitatis euentum deflet: plangit: nec quid inde agat, cogitare valebat. Interim occurrunt memoriæ, quæ de Zenobio audierat; & accepto consilio, spéque pro filiis recuperandæ salutis, licet pagana sit, tamen credula, ad Zenobium filios abduci procurat. Cuius ipsa pedibus prouoluta, fatetur rem gestam: Deum suum exorare dignetur, precibus, & lacrymis fideliter orat. Ille infelicem iuuenum calamitatem miseratus, pieq; commotus, ait ad mulierem; Constanter age mulier; & crede, quod Dominus noster Iesus, qui illos modò post orationem meam sanitati restituet, verus est Dei filius, & omnium creator, & Dominus. Et statim in Basilica Saluatoris, vbi aderant, coram vexillo Crucis se prosternens componit: vbi, cum duabus horis in oratione*

*tione iacuisset. hoc est, à prima diei hora, qua illi aduenerant, vsq; in horam tertiam. surrexit ab oratione; & iuuenes signo Crucis benedicens, dæmones ab illis prorsus effugauit.*

Michaël in vita Theodori Studitæ: *Vicus est, Achirao nomine, in quo habitabat Leo ille* (nomen est hospitis) *infelici coniugio femina copulatus, quam immundus spiritus obsederat. Hanc dæmon tam atrociter agitabat, vt suas ipsa carnes laniaret, ac deuoraret; nullum interim sensum doloris capiens, nec miseræ conditionis. Cùm ergò per eas oras transiret sanctus, asello insidens, (hoc enim in longioribus itineribus vehi solebat) obuiam cum vxore Leo occurrit lacrymis perfusus; vultu deiecto, ac mœrore prostrato, precibus imis obtestans, vt afflictæ succurreret, atq; violentum adeò, infestumq; dæmonem profligaret: cuius misericordia tactus grauiq; ærumnæ compatiens sanctus, manum illicò vertici mulieris imponit, Crucis signum imprimens, & notas aduersus prauos spiritus preces addens; quibus peractis, finem simul cepit feminæ calamitas, infesto dæmone fuga penitus elapso, illamq; sanam, ac sui compotem relinquente.* Michaël in vita Theodori Studita.

## CAPVT XLII.

### *Signo Crucis fracta idola.*



HVIVS rei illustre exemplum memorat Gregorius Turonensis de S. Simplicio Episcopo Augustodunensi; *Ferunt etiam in hac vrbe simulacrum fuisse Berecynthiæ, sicut S. Martyris Symphoriani passionis declarat historia. Hanc cùm in carpento pro saluatione agrorum ac vinearum suarum, misero gentilitatis more, deferrent, adfuit supradictus Simplicius Episcopus haud procul, aspiciens cantantes atq; psallentes ante hoc simulacrum, gemitumq; pro stultitia plebis ad Deum emittens ait: Illumina quæso Domine, oculos huius populi, vt cognoscat, quia simulacrum Berecynthiæ nihil est. & facto signo crucis contrà, protinus simulacrum in terram ruit.* Greg. Tur. lib. de gloria Confess. cap. 77.

Eodem signo statuam Iouis confregit Glyceria virgo & Martyr præclarissima, cuius iam aliquoties meminimus, quæ sub Antonino Pio Imp. passa est, in cuius Actis hæc leguntur: *Tum Præses dixit: age lampadem sumens Ioui sacrifica. Minimè, inquit Glyceria: Æterno Regi & Deo lampadibus fumum emittentibus opus non est, sed iube ipsas extingui, vt sacrificium meum non labefactetur: Iussit igitur Præses, & extinctæ sunt lampades. Quibus extinctis, sancta illa fœmina Glyceria pectus temperantia & fortitudine præcinctum habens, oculos ad cœlum intendit, & manu ad populum extensa, Videtisne, inquit, illustrem hanc lampadem in fronte mea inscriptam? Cumq; hæc diceret; crucem Christi ostendit; ac dixit: Deus omnipotens, qui per Christi crucem à seruis tuis gloriosè collaudaris, &c. Dæmonem hunc arte humana erectum comminue,* Apud Surium tom. 3.

*&c & repentè magnum tonitru auditum fuit. & Iupiter ipse corruit atq; comminutus est. Erat enim lapideus.* Hæc in Actis.

*Sur. tom 1. Martyr. Rom. 12. Ian.*

Sancta Martina, virgo nobilissima, sub Alexandro Imp. passa, cùm sibi crucis signum impressisset, Dianæ idolum fulmine cælitus excusso comminutum est. itemque S. Satyrus Martyr quoddam idolum præteriens, cùm exsufflasset in illud, signans sibi frontem, statim idolum corruit, eaque de causa decollatus est.

*S. Mart. epist. ad Tol. c. 6. & 7.*

Et sanè conueniebat, vt crucis signo idola comminuerentur Dæmonum, *qui*, vt inquit S. Martialis, *hactenus per longa secula creaturam ad imaginem Dei factam, in morte deceperant. donec nouissimo tempore insequente, virtus crucis Dei viui eos disperdidit. & ibi illusionibus, quibus ante vos ledebant, coërcuit. Vidistis enim per me in nomine Domini, quem Iudæi crucifixerunt, & qui tertia die resurrexit à mortuis, Dæmones exire coactos de statuis manufactis, in quibus responsa fallacia; & plena deceptionum cultoribus suis dabant, & eas, iussu meo, in nomine Dei per virtutem Christi, in puluerem redegisse.* Quod S. Martialis, crucis signo fuerit vsus, in his & similibus miraculis patrandis, vel ex eo clarum est, quod ipse suos signum crucis vult tenere, & vsurpare; vt perspicuum est ex epistola ad Burdegalenses, quam suo loco iam adduximus.

*Apud Metaph. & Sur. 8. Iul.*

Acta S. Procopij, qui sub Diocletiano passus est, hæc habent. *Stat ad Orientem, & totum suum corpus obsignat: deinde manus & oculos tollens in cælos: Domine, inquit, Iesu Christe, &c. Hæc cùm dixisset & signum viuificæ crucis in aëre iecisset aduersus statuas: Vobis, inquit, dico immundis simulachris, timete Dei mei nomen, & in aquam resoluta, in hoc templo dispergimini. Quod factum.*

*Apud Sur. 1. Nouemb.*

In Actis S. Benigni, qui sub M. Aurelio passus est, hæc legimus; cùm idolothyta sancto in os iam ingerere vellent: *Signo Crucis contra illas carnes edito, cordeq; sursum suspenso, & oculis in cœlum sublatis, dixit; Domine, &c. Cùm hæc dixisset, & Crucis expressisset signum, mox idola omnia, lignea, & lapidea, & vasa, in quibus sacrificia offerebantur, instar fumi euanuerunt. Tum verò S. Benignus gaudio magno affectus, ait; Gratias tibi ago Domine IESV Christe, quod me sacrificiis malis contaminari non finis. Ad Aurelium autem dixit: Agnosce miser, quò redactæ sint effigies deorum tuorum: vt ad signum SALVTIS euanuerint.*



CAPVT

# CAPVT XLIII.

## *Crucis signum contra Dæmones etiam illis prodesse, qui non credunt in Christum.*



QVOD signum crucis aduersus Dæmones nó modò Christianis, sed & à fide nostra alienis magno sit emolumento, ostendimus suprà exemplo Iuliani Apostatæ, qui Dęmones obiecta cruce fugauit: & Iosephi Iudęi apud Epiphanium, qui tunc quoque, cùm Iudaica perfidia adhuc teneretur, Dæmones ex obsessis corporibus eiecit. Addamus nunc aliud ex sancto Gregorio Magno, de quodam Iudæo, qui Dæmonum conspectu territus, cruce se consignauit. *Cap. 37.* *Cap. 38.* *Gregor. lib. 3. Dial. cap. 7.*

*Quadam die*, inquit S. Gregorius, *Iudæus quidam ex Campania partibus Romam veniens, Appia carpebat iter, qui ad Fundanam glebam perueniens, cùm iam diem vesperascere cerneret, & quo declinare posset, minimè reperiret, iuxta Apollinis templum fuit, eoq; se ad manendum contulit: qui ipsum loci illius sacrilegium pertimescens, quantumuis fidem crucis minimè haberet, signo tamen crucis se munire curauit.*

Recenset deinde S. Gregorius quomodo media nocte Dæmonum multitudo, ad illud templum conuenerit, & quomodo coram principe suo quisque exposuerit, quid rerum, obeundo terras, gessisset, & quàm multos per tentationem ad illicita pertraxisset: *Cumq; Iudæus, qui aduenerat*, inquit S. Gregorius *hoc vigilans cerneret, & magna formidinis anxietate palpitaret, ab eodem Spiritu qui cunctis illic obsequentibus præerat, iussum est, vt requirerent, quisnam esset ille, qui iacere in templo eodem præsumpsisset; ad quem maligni spiritus pergentes & subtilius intuentes, crucis mysterio signatum viderunt, mirantesq; dixerunt: Væ. væ, vas vacuum & signatum. Quibus hoc renunciantibus, cuncta illa malignorum spirituum turba disparuit.* Iudæus autem mysteriis Christianæ fidei pauló pòst instructus est, & sacro baptismate renatus.

*Iam videt Hebræus*, inquit S. Cyprianus, *& quicunque de seruitute Ægyptia ad repromissæ patriæ libertatem anhelat, quod sanguis Christi efficacius, quàm sanguis agni illius quem in Ægypto Israël immolauit, contrarias abigat potestates: cuius hodie tanta est auctoritas & potestas, vt non solùm Israëlitica limina muniat, sed etiam ab his qui Israëlitice non viuunt, solum Sacramenti signum repellat dæmonia: & vbicunq; conspecta fuerit, terribilis sit eis sacri nominis virtus & sanguinis nota.* *Cypr. serm. de pass. Christi.*

De puero Iudæo, qui postea baptizatus Constantini nomen tulit, hæc Græcorum Menæum 26. Decembris: *Cùm matrem suam nescio quò euntem sequeretur, vidit hominem Christianum: qui, dum in terra scrobem quan-*

*quandam prolaberetur, signum Crucis ori imprimebat; cuius puer secutus exemplum, & ipse deinceps Crucem subinde efformabat sacraq́ tandem Christiana amplexus, ardenti fide prosecutus est, &c. Cùm puella illum Hebræa (pudoris extorquendi causa) inuaderet, illam signo Crucis repente exanimauit; rursumq́ postea in vitam reuocauit &c. Hic, cùm præfecto Monasterij statum vitæ suæ exponeret, iubet ille proferri Crucem, & ab eo salutari. cuius, cum beatus iste pedem osculo libaret, tota fronte, & brachiis veneranda Crux sese in sancti pueri verticem submittens, characterem Crucis capiti indelebilem impressit; quem per omnem postea vitam seruauit. Dignus ergò baptismatis gratia iudicatus, sacris Christianis est initiatus, & Constantinus dictus.*

*Niceph. lib. 18. cap. 20.* Adiungamus & illud de Turcis ex Nicephoro: etsi propriè non ad hunc crucis effectum, sed ad sequentem pertinet: *Turcos*, inquit Nicephorus, *quos Chosroes (*Rex Persarum*) Constantinopolim miserat, stigmaticos liquato atramento, cruces in frontibus impressas Imperator habere videns, interrogauit, quanam gratia, qui non colerent, circumferrent signa? Illi, grauem ante plures annos in Perside & patria sua pestem coortam esse dixerunt, à qua cùm multi mortales infecti interirent, Christianos quosdam, qui ibi fuere, hominibus, si hoc fecissent, saluti suæ consulturos esse regionemq́ eam a lue tali intactam liberamq́ fore persuasisse, idq́ ita esse ab iis factum* Hæc Nicephorus.

*Theophyl. lib. 5. histor. cap. 14.* Eadem Theophylactus Simocates, Auctor Græcus, nam cùm percensuisset, quomodo Narses dux exercitus Romani, ab Imperatore Mauricio, in auxilium Chosroe Persarum Regi, contra Baram tyrannum missus; victoriam de eo retulerit, multis ex hostibus captis, hęc subdit: πολλοὺς τοίνυν ζωγρήσαντες ἦγον εἰς Χοσρόην. ὁ μὲν οὖν τῶν περσῶν βασιλεὺς τοὺς μὲν μαχαίραις ἀπεδίδοτο σώματα ἑτέρους τοῖς ποσὶ παρείχετο παίγνιον ἐπεὶ δὲ διεγνώκει εἶναί τινας τῶν ἑαλωκότων ἐκ τοῦ ἔθνους τῶν τούρκων, ἐς βασιλέα ἐκπέμπει μαυρίκιον, τῆς ῥωμαϊκῆς στρατείων ἀλκῆς ἀπαρχάς τε τῆς νίκης προσφέρων τῷ αὐτοκράτορι. ἐνεχάρακτο δὲ τοῖς μετώποις ἐκείνων, τὸ τοῦ κυριακοῦ ἐπίσημον. σταυρὸν δὲ τοῦτο τοῖς πρεσβεύουσι τὴν τῶν χριστιανῶν θρησκείαν κατονομάζεται. ἐπύθετο γοῦν ὁ αὐτοκράτωρ, τί ἂν εἴη τοῦτο τοῖς βαρβάροις τὸ σημαντήριον. οἱ μὲν οὖν ἐκ τῶν μητέρων τοῦτο ἀποκληρώσασθαι ἔφασκον. λοιμοῦ γὰρ τοῖς πρὸς τὴν ἕω σκύθαις καρτεροῦ ἐνδημήσαντος, τινὰς ἐδίησαν τῶν χριστιανῶν εἰσηγήσασθαι, τοῦτο δῆτα τῷ τύπῳ τῶν μειρακίων ἐγκεντῆσαι τὰ μέτωπα. τῶν δὲ βαρβάρων μηδαμῶς τὴν εἰσήγησιν παρωσαμένων, σωτηρίας ἐκ τῆς συμβουλίας ἀντελάμβανον. *Multos viuos in potestatem redactos duxerunt ad Chosroen. Et Rex quidem Persarum alios gladiis consumendos obiecit; alios pedibus conculcandos ludibrij gratia subiecit. At cùm cognouisset, nonnullos ex captiuorum numero ex stirpe Turcarum prognatos esse: eos ad Romanorum Imperatorem Mauricium destinat, Romanæ virtutis & fortitudinis ostentandæ causa, & vt quasi prima victoriæ libamina Imperatori offerret. Impressum autem frontibus eorum erat Dominicum signum, quod ab iis, qui Christianam religionem colunt, crux nominatur.*

Roga-

*Rogabat ergo Imperator, quid sibi Barbari illo signo vellent. At illi id se à matribus accepisse aiebant, nam cùm valida fames Scythis, qui ad orientem, incubuisset, quosdam Christianos suasisse, vt hoc signo adolescentulorum frontes insignirent, Barbaris autem cohortationem nequaquam repudiantibus; consilium saluti fuisse.*

Concludam hoc caput verbis S. Augustini: *Nec mirum est, quod hæc signa* (crucis) *valent cùm à bonis Christianis adhibentur, quando etiam, cùm vsurpantur ab extraneis, qui omnino suum nomen ad istam militiam non dederunt, propter honorem tamen excellentissimi Imperatoris valent.* *Aug. lib. 83. qq. q. 79.*

## CAPVT XLIV.

### *Fascinum signo crucis auertendum.*



EST aliquid, ait Tertullianus, *etiam apud Ethnicos metuendum, quod fascinum vocant, infeliciorem laudis & gloriæ enormioris euentum. Hoc nos interdum diabolo interpretamur, ipsius est enim boni odium.* Ethnici inuidorum hominum venefico liuori eam vim inesse existimabant, qua eos, quibus malè vellent, malefica fascinatione venenare possent. Hoc fascinum variis modis immitti aiebant. *Tert. lib. de Virgin. Veland.*

PRIMO, adflatu & contagione quadam. Thibiorum *spiritu & sermone adfectos contabuisse & ægrotasse*, refert Phylarchus apud Plutarchum. *Plut. 5. Sympos. quæst. 7.*

SECVNDO, odio & ipsa nocendi voluntate. Horatius:

*Odio obscuro morsuq́ venenat.*

TERTIO, Oculos fascinatorum venenifluos, & ipsum obtutum maleficum esse, quo fascinare possent, fama erat. *Famam mirabiliter adserunt ea quæ eueniunt,* inquit Metrius Florus apud Plutarchum, qui eleganter rationes, & vim fascinatoris oculi explicat. & addit; *amicos & domesticos, quidam verò etiam patres oculum habere fascinantem putant; ideoq́ vxores ipsis prolem non ostendunt, neq; ab hisce diu conspici sinunt. Quomodo ergo inuidiæ fascinum imputabitur? Quid, obsecro, dices de his qui fascinare semetipsos feruntur? Vtiq; enim auditum tibi hoc est; aut saltem istud legisti:* *Plut. ibid.*

*Quondam pulcher erat crinibus Eutelidas:*
*Sed sese ipse videns placidis in fluminis vndis,*
*Liuore infamis perdidit inuidiæ*
*Fascinus attraxit morbum formamq́ peremit.*

Nota sunt illa Virgiliana:

*Vix ossibus hærent:* *Virg. Ecl. 3.*

*Nescio quis teneros oculus mihi fascinat hœdos.*

Horat. 1. epist. 14. Horatius:

*Non istic obliquo oculo mea commoda quisquam*
*Limat.*

Plin. 7. c. 2. Hinc illud Germanorum: Es sol dises kein böß Aug ansehen. Plinius: *Esse in Triballis & Illyriis adiicit Isigonus, qui visu quoque effascinent interimantq́; quos diutius intueantur, iratis præcipuè oculis: quod eorum malum facilius sentire impuberes. Notabilius esse quod pupillas binas in oculis singulis habeant. Huius generis & fœminas in Scythia, quæ vocantur Bithyæ, prodit Apollonides.*

QVARTO, blanda allocutione credebantur posse fascinare, maximè si quid impensius laudassent: & hoc potentissimum fascini genus erat, quod laude immitteretur. Plin. ibid. Plinius: *In Africa familias quasdam effascinantium Isigonus & Nymphodorus tradunt: quorum laudatione intereant πρόβατα, arescant arbores, intereant infantes.* Vnde laudes tanquam fascino armatas antiqui suspectas habuere, neque passi sunt ab aliis Vide Gell. 10. cap. 24. se suaque laudari, nisi addita hac voce, *Præfiscini*, qua testarentur se non fascinandi voluntate, sed animo laudandi candidè absque liuore loqui. Charis. lib. 4. Id notat Charisius ex Titinnio in Setina; vbi cùm quis laudare vellet puellam dicens: *Paula mea amabo.* Mox alia persona, metu fascini, interrumpit & ait: *Pol tu ad laudem addito, Præfiscini, ne puella fascinetur.* Hac enim voce olim à se fascini periculum amoliri putabant; quam etiam vsurparunt semetipsos, vel sua præclarè facta Plaut. Rudent. & Asin. Apul. 3. Flor. laudaturi. Exempla obuia in Plauto. Apuleius: *Quod difficile factu erat, quodq́; reuera arduum nobis existimabatur, gratum esse populo, placere ordini, probari magistratibus & principibus, id (præfiscine dixerim) iam quodammodo mihi obtigit.*

Ex his, quæ hactenus dicta sunt, agnoscimus illas solennes loquendi formulas, quas & hodie Germania vsurpat: Absit dicto inuidia. Laß mich Gott dises zu einer guten Stund reden. Man hat das Kind beschrirn. Behüt es Gott vor dem bösen Maul/ rc.

Sancti viri summa contentione elaborarunt, quod iam ex Chrysostomo patebit, vt Christiani contra fascinum, quod prçstigiis & pacto dæmonis armatum à veneficiis immittebatur, oratione ad Deum conuersa & signo Crucis vterentur, non superstitiosis Ethnicorum remediis; quæ qualia & quàm multiplicia fuerint, quia sancti Patres tanto labore ea extirpare conati sunt, eorumque loco signum crucis vsurpandum docuere, hîc referam: sed tantùm aliqua; omnia non lubet.

PRIMO, de Præfiscini iam dixi.

SECVN-

SECVNDO, in nuptiis versus Fescenninos cantabant, sic dictos, quod fascinum arcerent, teste Festo. *Fest.V.fescen.*

TERTIO, inter numerandum dicebant: MVLTA: vt hac voce abigerent facinum, cui omnem finitum numerum obnoxium putarunt. Catullus: *Cat.Epigr.7.*

*Quæ nec pernumerare curiosi*
*Possint, nec mala fascinare lingua.*

Varro: *Olim vnum dicebant Multa. Itaq; cùm in dolium aut culeum vinum addunt rustici, prima vrna addita, dicunt etiam nunc, Multa.* *Varro de L.L. 4. Festus V. Multa.*

Huc spectat ille risus, quem vino doliis infuso excitare solebant, ne scilicet numerus audiretur. Extat canon in Synodo Trullana: *Neque execrandi Bacchi nomen, vuam in torcularibus exprimentes inuocent, neque vinum in doliis effundentes risum moueant, ignorantia vel vanitate ea, quæ à Dæmonis impostura procedunt exercentes.* Christiani ergo inani metu fascini, & superstitiosorum remediorum contra fascinum reiectis ludibriis, inter numerandum piè Deum compellarunt. Hinc illa numerantium nota hodie vox: *Triginta, Deo dante.* Quod Germani sic efferunt: Dreissig mit Gott. Et olim vnaquaque mensura vini dolio infusa ingeminabant Christiani solenne hoc votum, KYRIEELEISON. Balsamon: *Eò quòd agrestes frequentius dicant, in vnaquaque ferè mensura, Kyrieeleison.* *Can. 62.* *Balf. in can. 62. Trull.*

QVARTO, Deus Fascinus colebatur, quem ideo triumphantium curribus subiiciebant, vt fascinum in auctores reiicerent, eosdemque fascinum recipere, & sibi habere iubebant. Plinius: *Fascinus, Imperatorum quoq; non solùm infantium custos; qui Deus inter sacra Romana à Vestalibus colitur, & currus triumphantium, sub his pendens, defendit, medicus inuidiæ; iubetq; eosdem recipere. Similis medicina linguæ, vt sit exorata à tergo Fortuna gloriæ, carnifex.* nam cum triumphatore in curru seruus publicus, qui coronam sustinebat, & carnifex cum tintinnabulo, & flagro erat. & hic sit QVINTVS modus fascini arcendi. *Plin. 28. c. 4.*

SEXTO, Syllabam, MV, efferebant ad depulsionem fascini, imò ad silentium inuidiæ ominandum imperandumque. Plinius: *Quanquam illos religione* MVTIATVR, *Fascinus.* Ita explicat Turnebus. *Plin. ibid.* *Turneb. 23. c. 11.*

SEPTIMO, Rutam appendebant, quæ quia est contra venena potens, etiam contra fascini veneficia superstitiosè adhibebatur. Aristoteles: *Rutam dicunt effascinationis pharmacum esse.* Discant hic, ex quo fonte hausta sit illa opinio, qua hodie vulgus à ruta dæmonem fugari putat. Ab idololatris sumptum hoc. Alia remedia Christianorum sunt, vt iam dicemus. *Arist. sect. 20. problem. 34.*

Dioscor.1.c.9. Plin.12.c.13. Virg.Ecl.7.

OCTAVO, Baccare incingebant se. Baccar, asarum, & nardus rustica, eiusdem herbæ nomina sunt. Virgilius:

*Aut si vltra placitum laudarit, baccare frontem*
*Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.*

Theocr.idyll.6. Plin.28.c.4.

NONO, ter in sinum spuebant. Theocritus.

ὡς μὴ βασκανθῶ δὲ, τρὶς εἰς ἐμὸν ἔπτυσα κόλπον.

DECIMO, ab infantibus, qui inprimis talibus iniuriis expositi videbantur, consueuerunt fascinum amoliri inungendo frontem & labella aceto, saliua, luto, cinere, fuligine, sale. Petronius: *Mox turbatum sputo puluerem medio sustulit digito, frontemq; repugnantis signauit. Hoc peracto carmine ter me iussit exspuere.* Huc pertinet, quod ait Plinius, *cardinibus ostiorum aceto affusis lutum fronti illitum capitis dolorem sedare. Alius saliua*, inquit idem, *post aurem digito releta sollicitudinem animi propitiat.* Persius:

Plin.ibid. Plin.28.c.2. Pers.Sat.2.

*Ecce auia, aut metuens diuûm matertera, cunis*
*Exemit puerum: frontemq; atq; vda labella*
*Infami digito & lustralibus ante saliuis*
*Expiat.*

Chrys.in 3. Coloss.hom. 8.

S. Chrysostomus: *Quid verò & alia ridicula commemorem? cinerem, fuliginem, & salem, & rursus vetulam in medium productam? Reuera ridiculum & dedecus. At oculus quisquam, inquis, fascinauit puerum. Quousq; Satanica ista? Quomodo non ridebunt nos Græci? quomodo non subsannabunt? Quando illis dicimus magnam esse Crucis virtutem, quo modo credent, cùm videant nos istis egere, quæ ipsi derident?*

En remedium Christianorum, Crucis signum, quo omne fascini genus, diaboli veneficorumque inuidia, & malitia concinnatum depellendum est, procul relegatis illis pseudopharmacis, quæ Gregorius Nyssenus, *piacula & auersiones, seu ἀποτρόπαια* vocat & damnat. In quem locum hæc notat Balsamon: *Dicuntur autem fieri piacula, vt quando quis dicit se læsum fuisse à fascinantibus oculis.* Vnde Concilium Cabilonense meritò edixit: *Si quis præcantauerit ad fascinum, vel qualescunq; præcantationes, exceptò symbolo & oratione Dominica; qui cantat, & cui cantatur, tres quadragesimas in pane & aqua pœniteat.* Oratio ad Deum & signum crucis vnà cum oratione adhibitum, hoc demùm est remedium ad huiuscemodi depellenda.

Nyss.epist. ad Letoium. Can.5. Citat Ivo parte 11. cap.74.

Ephram.serm. de Cruce. Chrys.in 3.Coloss.hom. 8.


*Crux infantium custos est*, ait S. Ephræm. Cruce signandos liberos contra omne fascini periculum clamat S. Chrysostomus, quem audiamus: *Dicam & aliud, magis ridiculum: sed nemo importunitatem nostram accuset, si hactenus procedit oratio. Qui enim saniem purgare vult, prius manus suas maculare non recusabit. Quod tandem est hoc ridiculum? Quod*

quidem

*quidem multis nihil mali videtur. Verùm est infidelitatis principium, & maxima dementia. Luto mulieres in balneis accepto, & nutrices item, & ancillæ digito pueri frontem vngentes signant. Quòd si quis eas interrogaret, quid sibi lutum illud velit, quid cœnum: Malum oculum auertit, inquiunt, & fascinum, & inuidiam. Papa quantum lutum potest? vniuersam diaboli aciem euertit. Non abscondimini? Dic, quæso; nonne cognoscis tandem Diaboli retia? Et quo pacto à prima ætate paulatim tendit machinas suas diabolus? Quòd si lutum hoc facit, quamobrem tu quoque non idem in fronte tua facis, quum vir sis; & in ætate perfecta magis quàm puer inuidos habeas? Quamobrem non vniuersum corpus luto illinis? Nam si in fronte tantam habet vim, qua causa non totum te luto vngis? Risus hæc & Satanæ ignominia, non in derisum duntaxat, sed in gehennam conuertens quos decepit. Et quòd apud Gentiles hæc fiant, nihil mirum. Verùm quòd apud eos, qui Crucem adorant, & arcana mysteria communicant, & huiusmodi philosophantur; hæc ignominia praualet; hoc sanè maximè est deplorandum. Deus te vnguento honorauit spirituali, & tu luto coinquinas filium. Deus te honorauit, tu te ipsum dehonestas. Oporteret, vt fronti Crucem inscriberes, quæ tibi certissimam præberet cautionem. Tu autem iis omissis in Satanæ amentiam procidis. Quod si cui hæc parua esse videantur, intelligat velim quàm magnorum ea malorum causa sint: & quod ne ipsi Paulo visum est, vt parua contemnerentur. Quid enim, quæso, minus est, quàm quòd homo caput operiat? Sed vide quantoperè in hoc contendat, & quàm vehementer prohibeat, & inter alia ne vir deturpet caput suum. Quod si qui operuerit, deturpabit caput suum; qui luto illinit, quomodo non abominabilem facit filium? Quomodo eum sacerdotis manibus adducit? Quomodo censes presbyteri manu frontem signandam, vbi luto inunxisti? Nolite hæc, fratres, sed à primis annis filios vestros spiritualibus armis muniatis, & Cruce frontem sibi signandam erudiatis, & priusquam ipsi per se facere possint, vos id facite.* Hæc S. Chrysostomus, qui & alibi, & præsertim in orationibus aduersus Iudæos, de his disserit, & vult signum Crucis contra omne veneficium fascinumque vsurpandum.

## CAPVT XLV.

*Veneficia morbosque non amuletis vel excantationibus, sed signo Crucis auerti debere.*



HOc caput eam affinitatem habet cum libri secundi capite vigesimo octauo, vt quæ ibi dicta de Crucis imagine, hìc accommodanda sint signo Crucis: hoc enim eodem consilio opposuerunt amuletis, de quibus ibi copiosè egimus, & inter illa primo loco posuimus nummos Alexandri: Qualem hìc damus.




*Chryſ. hom. 21. ad Antioch.*

Contra horum nummorum vſum declamat S. Chryſoſtomus: *De circumligantibus aurea Alexandri Macedonis numiſmata capiti vel pedibus, &c. Tu in cruce non confidis? & quid pati dignus non eſſes?* Equidem neſcio, an quicquam de Ethnicæ impietatis reliquiis diutius & pertinacius hæſerit, quàm amuleta, excantationes, ſimileſque ſuperſtitiones, pernicioſo dæmonis aſtu ad poſteritatem tranſmiſſæ, veluti ſigna occulti cum illo pacti, quo quamplurimos inuoluit & perdidit. *Quando filiis caput dolet, malæ & infideles matres ligaturas ſacrilegas & incantationes quærunt*, ait S. Auguſtinus. *Graui morbo decumbit aliquis*, ait S. Chryſoſtomus, *& accedunt multi ad vanitatem vrgentes; & ij quidem incantationibus, iſti amuletis, illi verò aliis quibuſdam ſuperſtitionibus ſolamen mali adferre conantur. Si propter timorem Dei fortiter & immotè tuleris, & omnia malueris perpeti, quàm ſuſtinere, vt aliquid quod idololatriam ſapit, facias, hoc tibi martyrij coronam adferet.*

*Aug. in Pſal. 70.*
*Chryſoſt. in 1. Theſſ. hom. 3.*

*Chryſ. orat. 5. in Iudæos.*

Tria autem ſunt hominum genera, à quibus incantationes exercebantur. Iudæi, de quibus plurima S. Chryſoſtomus in orationibus contra Iudæos. Inter alia & hæc habet: *Si prætexat curationes aliquas, dixeritque tibi, Pollicentur remedium, & ideo ad illos curro: patefacito illi impoſturas, incantationes, applicaturas, veneficia. Neque enim alio modo videntur mederi; neque enim verè medentur; abſit.*

*Chryſ. orat. 21. ad Antioch.*

Poſt Iudæos idem fecerunt Ethnici. demùm & Chriſtiani, illi, inquam, qui ſalutis prodigi nomen Chriſtiani falsò præferunt. *Non ligaturas tantùm*, ait S. Chryſoſtomus, *ſed etiam excantamenta tibi conducis; vetulas ebrias & titubantes domũ ducens. Nec confunderis, nec erubeſcis, poſt tantam ad hæc trepidans diſciplinam. Et quod grauius eſt errore, quando hæc admonemus & diſſuademus, putantes ſe excuſari, dicunt, quòd Chriſtiana eſt mulier hæc excantans, & nihil aliud loquitur, quàm Dei nomen. Propterea namque magis ipſam odio habe & auerſare, quòd Dei nomine ad contumeliam vtitur, quòd ſe dicens eſſe*

*Chriſtia-*

*Christianam, gentilium opera facit: etenim & dæmones Dei nomen fatebantur, sed tamen erant dæmones.*

Hinc illi *γοητευταὶ*, vt Synodus Trullana vocat. *γοητευτὰς autem, hoc est, imprecatores, quot videas*, inquit Balsamon, *qui diuina quædam cantica dicunt, & nominum Martyrum meminerunt, vel etiam solius sanctißimæ Virginis?* Hinc aniculæ *virtutem & sanctificationem simulantes*, vt eiusdem verbis vtar, *cum diuinis canticis futura nonnunquam describunt, & quæ sunt obscura per hordeum proferunt, vt faciunt & quæ dicuntur κρίθριαι, τὰ κριθοφαγα καὶ γοητευτικὰ γραΐδια, hordei latrices, & incantatrices vetulæ. Quæ*, vt idem Balsamon ait, *Ecclesiis & sanctis imaginibus aßidentes, & se ex iis discere futura prædicantes, non secus ac quæ Pythonis habent spiritum, futura prædicunt.* Ita nimirum oportuit impietatem magicam pietatis velo inumbrare.

*Balſ. in can. 61. Syn. in Trullo. Balſ. in can. 71. epiſt. 3. Baſilij ad Amphil. Balſ. in can. 61. Syn. Trull.*

Sed procul sunto abominanda excantatorum carmina. Alia sunt Christianorum carmina, quæ potente vi omne veneficiorum genus procul abarcent. Quænam illa? *Christi Iesu Domini nostri & CRVCIS virtus nostra sunt carmina*, inquit S. Chrysostomus, *quæ non solùm draconem hunc suis è latebris educent, in ignemque impingent, verùm, si quæ nobis inhæserint vlcera sanabunt*, S. Augustinus: *Attentius cogitemus, quare Christiani sumus, & crucem Christi in fronte portamus*. Paulò pòst subiungit: *Quare per præcantatores, per fontes, & arbores, & diabolica phylacteria, per characteres, & aruspices, & diuinos, vel sortilegos multiplicia sibi mala miseri homines conantur inferre?*

*Chryſ. orat. de laude Dei. Aug. de temp. ſerm. 215.*

*Nequaquam igitur per sacrilegas* (verbis Augustini loquor) *similitudines, & impias curiositates, & magicas consecrationes animæ purgantur & reconciliantur Deo: quia falsus mediator non traiicit ad superiora, sed potius obsidens intercludit viam per affectus.*

*Aug. 4. de Trin. cap. 12.*

*Superstitiosa illa*, inquit Chrysostomus, *quæ ægrotis applicantur, etiamsi mille modis philosophentur, qui quæstum ex ipsis faciunt, dicentes; Deum inuocamus, & præterea nihil facimus; & quicquid eiusmodi prætendunt. Et: Christiana est hæc anus & fidelis; idololatriam tamen sapiunt. Fidelis es?* CRVCIS *signaculo vtere Dic, Hoc duntaxat habeo scutum, hoc solum pharmacum, aliud ignoro. Dic mihi, si medicus ad ægrotum accedens, relictis medicinæ pharmacis, incantatione vteretur, an hunc medicum diceremus? Nequaquam; non enim videremus, quæ sunt medicinæ; ita neque hîc quæ sunt Christianismi Aliæ verò fluuiorum nomina collo appendunt, & mille talia audent Ecce dico & prædico vobis omnibus, si quis deprehendetur, postea non parcam, siue superstitiosa collo alliget, siue incantet, siue aliud quicquam huiusmodi artis faciat. Quid igitur? Morietur ne puer, inquis? Si hoc pacto viuet, tum mortuus est: si verò sine istis mortuus fuerit, tum viuit.*

*Chryſ. in 3. Col. hom. 8.*

Quid verò sancti Patres magica ista ludibria reprehendendo, & vsum signi Crucis commendando effecerunt? Hoc, vt contra malorum

rum torrentem boni Christiani, etiam sola incantationum mentione iniecta, continuò se signo Crucis obsignarint, testantes se omnem in Cruce spem repositam habere. Ita S. Augustinus: *Cùm vndique mali perstrepant & dicant, Quare sic viuis? tu solus Christianus es? quare non facis, quod faciunt & alij? quare non spectas quemadmodum & alij? quare non remedia & ligaturas adhibes? quare non mathematicos & aruspices consulis, sicut & alij? Et tu* SIGNAS *te, & dicis; Christianus sum, vt repellas istos nescio quos. sed aduersarius premit, vrget; quod peius est, exemplo Christianorum suffocat Christianos. &c. Et hoc fortè non in platea tibi dicit amicus, sed in domo vxor, aut fortè maritus vxori fideli bonę & sanctę deceptor ipsius Si mulier marito; Eua est illi: si vir vxori; Diabolus est illi. Aut ipsa tibi Eua est, aut tu illi serpens es.*

Aug. in Psal. 93.

Decretum S. Basilij in eos, qui signaculo Crucis posthabito, incantationibus fidunt, audiamus: *Qui vaticinantur & gentium consuetudinem sequuntur, & aliquos in ædes suas introducunt ad veneficiorum inuentionem, & eorum expurgationem, cadant in canonem sexennij: & postquam anno defleuerint, & anno audierint, in tribus annis substrati, & anno cum fidelibus consistentes, sic admittantur.* In quem locum Balsamon: *Sæpe quidem simpliciores & imprudentiores grauius ægrotantes, & non commodè curati, existimant se ex magica impostura, vel veneficio ita affici, & ideo ad aliquos etiam gentiles accedunt, qui asserunt se occulta veneficia in apertum prolaturos, quæ corporalem laborantis sanitatem euertant, & ita se ægrotum ab illo maleficio purgaturos Eos ergo, qui vaticinantur, & non credunt per inuocationem nominis Domini & Dei, & Seruatoris nostri Iesu Christi, & Dei Matris, & omnium Sanctorum omnem morbum, & omnem ægritudinem curari, omneq́ue veneficium & imposturam Satanicam virtute & præsentia preciosæ & viuificæ* CRVCIS *à fidelibus expelli, sed potius miraculorum ostentatores præstigiatoresq́ue, & gentium consuetudines sequuntur, & eos in ædes suas introducunt ad purgandam fortè ægritudinem, quæ ex veneficio oritur, dicit sanctus esse sexennio puniendos.*

Basil. epist. ad Amphiloch.

Balsam. in can. 83. epist. Basilij ad Amphiloch.

Neque hîc prætereundum, quod Balsamon ibidem de coniuge Alexij Comneni filij Imperatoris refert: *Quidam Ethnici se eam curaturos professi, vtpote quæ magicis artificijs laboraret, effecerunt, vt multæ & admirandæ eius fœminæ, & viri etiam examinarentur. Clam autem proiiciebant imagines ex cera factas, & Satanicè eorum contrectationem & inuentionem significabant, atque etiam multa alia grauia fecerunt in Dei contemptum & multorum hominum supplicium. Et ipsi quidem impij cùm rem efficere non potuissent, euanuerunt Nobilissima autem illa mulier non modò nihil adiumenti adepta est, sed etiam diuturno morbo † vexata vita excessit, malo à se suscepto viatico.* Quod ait Balsamon incantatores cereis imaginibus vsos, procul dubio ex illo ritu magorum est, quo cerea sigilla, in simulachrum hominis efficta, perforare

† ὀξεσαμταλλία.

forare solebant iis partibus, quas læsas voluerunt in illis, in quos maleficium immittere, vel retorquere statuerant. Ouidius: *Ouid. 3. am. eleg. 6.*

*Sagáque Phœnicea defixit nomine cera,*
*Et medium tenues in iecur vrget acus.*

Choniates de Aarone quodam mago: *Simulachrum testudinis prolatum, in quo erat imago hominis, qui ambos pedes habebat in compedibus, & pectus clauo transfixum.* Idem alibi: *Amuleta illa, quæ de pectore, alis, &, collo dependebant: atque adeò imagunculæ illæ cereæ ad hominum formam effictæ, quas clauis vtrinque traiicere solebant, epodis innitebantur.* Fertur in Mahometum à Iudæis veneficium immissum, *acubus ab aliquibus mulieribus in vultum cereum immißis, & proiectis in puteum,* inquit Richardus. *Chonia. in Manuele Comneno lib. 4. cap. 7. & in thesauro orthodoxæ fidei lib. 4.*

Concludam verbis Augustini, qui apposité ad huius capitis argumentum: *Tunc videntur Christiani, quando nihil mali patiuntur domus eorum: quando autem aliqua ibi tribulatio est, currunt ad pythonem, aut sortilegum, aut mathematicum. Dicitur illi nomen Christi; subsannat, torquet os suum. Dicitur illi, Fidelis es, cur consulis mathematicum? Et ille, Recede à me: ipse mihi perdidit res meas; vtinam non perdidissem, & in planctu remansissem. Homo bone, nonne signas te signo sanctæ Crucis Christi?* *Rich in confut. Alcorani c. 15. Aug. in Psal. 91.*

# CAPVT XLVI.

*Alimenta, quæ Iudæis immunda erant, Christiani, postquam signo Crucis ea consignarunt, securi non aliter ac munda sumpserunt. Alia item esculenta, poculenta, fontes, vasa, ædes, naues, aliáque loca vel idololatriæ ritibus polluta, vel magiæ veneficiorumq́; artibus infecta, expiabantur signo crucis.*



LIVS *credit se manducare omnia: qui autem infirmus est, olus manducat,* inquit S. Paulus. *Is qui manducat, non manducantem non spernat. Et qui non manducat, manducantem non iudicet.* Quibus verbis occurrit Apostolus duplici contentioni, quæ suborta inter Christianos de cibis, qui in lege Iudaica immundi censebantur. Multi nondum in lege gratiæ plenè eruditi, ab illis tanquam abominationibus, omninò abstinebant: alij libertate gratiæ in charitate dilatati liberè sumebant. Similis controuersia fuit de idolothytis. *Omnis enim tunc immolaticia caro in macello venundabatur: & de primitiis vini libabant gentes simulachris suis, & quædam in ipsis torcularibus sacrificia faciebant,* inquit S. Augustinus, *Iubet ergo Apostolus, & his qui salua conscientia talibus alimentis vtebantur, non spernere infirmitatem illorum, qui se à talibus cibis & potu abstinebant.* His duabus controuersiis etiam alibi ita respondet Apostolus: *Omnis creatura Dei bona est, & nihil reiiciendum,* *Rom. 14.* *Aug. in exposi. proposi. in epist. ad Roman. prepos. 78.*

*quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.*

Chrys in 1. Timoth. hom. 12.

In qua quidem sanctificatione, Christianos, signaculum Crucis adhibuisse, edoctos ab Apostolo, disertis verbis testatur S. Chrysostomus, ita hunc ipsum locum explicans: *Duo capita ponit Apostolus,* inquit Chrysostomus, *vnum quidem, quod creatura nulla immunda seu communis est. Secundò, quod, etsi communis sit, medicamentum in promptu est. Signum illi crucis imprime, gratias age, Deo gloriam refer, & protinus immunditia omnis abscesserit. Num verò, inquies, & quod idolis immolatum fuerit, eadem possumus ratione mundare? Licet; si quidem nescias idolothytum esse. Sin verò sciens ac prudens illud percipias, immundus iam eris: non ideo, quia idolothytum est, sed quòd, cùm tibi imperatum sit non communicare dæmoniis, per id communicasse conuinceris. Itaque neque illud naturâ huiusmodi est, verùm ex sententia tua atque inobedientia immundum fit. Num suilla caro immunda est? Non; si cum gratiarum actione percipitur crucisq; signaculo; nec aliud quicquam immundum est.*

In eos, qui Paganorum epulis accumbebant, grauissimè inuehitur S. Augustinus; licet dictitarent; se signo Crucis in conuiuiis illis vti. *Peruenit ad me,* inquit Homil. 241. de tempore, *quod aliqui aut per simplicitatem, aut ignorantiam, aut certè, quod plus credendum est, per gulam, de illis sacrilegiis, vel sacrificiis, vel sacrilego cibo, quæ adhuc secundum paganorum consuetudinem fiunt, manducare nec timeant, nec erubescant; contestor vos coram Deo & Angelis eius, ac denuntio, vt nec ad illa Diabolica conuiuia, quæ aut ad fanum, ad fontesq; aut ad aliquas arbores fiunt, veniatis, & si vobis aliquid inde transmissum fuerit, tanquam si ipsum Diabolum videatis, perhorrescite & respuite, & ita repudiate, vt nec in domum vestram permittatis de illo sacrilego conuiuio aliquid exhiberi, &c. Et quia solent aliqui dicere: ego signo me, & sic manduco. Nullus hoc facere præsumat. Qui sic est, qui se signat, & aliquid de sacrilego cibo manducat, quomodo se signat in ore, & gladium sibi mittit in pectore?* Hæc S. Augustinus.

Tur. lib. 1. mir. cap. 106. & 107.

De poculentis veneficio infectis, quod per signum Crucis depulsum, & detectum est, exempla non desunt. *Qualis sit huius vexilli sacratissimi fortitudo, quid contigerit nuper, euoluam,* inquit Gregorius Turonensis, *Pannichius Pictauiensis termini Presbyter, dum ad conuiuium cū amicis, quos euocauerat, resideret, poculum poscit: quo accepto musca importunior circumuolans, inquinare poculum nitebatur. quam cùm sapius manu Presbyter abegisset, & illa paululum auolans rursus reuerti niteretur, sensit esse insidias inimici; susceptóque laua poculo de dextera signum Crucis facit: mox in quatuor diuisus partes liquor qui inerat, eleuata in excelso vnda terræ diffunditur.* Idem refert quomodo puer quidam maleficium in poculo hauserit, & à sancta Monegunde signo Crucis sanatus sit.

Tur. lib. de Vita SS. PP. cap. 11.

S. Veda-

S. Vedastus signo sanctæ Crucis rupit vascula quædam cereuisiaria more ethnico sacrata, cùm à quodam ex proceribus inuitatus esset ad conuiuium vnà cum Rege Clotario: *Domum intrans*, inquit Beda, vel Alcuinus Flaccus, *more sibi solito, dextera extensa, omnia sanctæ Crucis vexillo signauit. Quædam verò vascula ibi ceruisia astabant plena, sed malè gentili errore dæmoniacis incantationibus infecta; quæ mox ob potentiam S. Crucis destructa crepuerunt, & quicquid liquoris habuerunt, in terram effuderunt. Territus verò rex & optimates illius, huius visione miraculi, sciscitabatur Pontificem causam repentini prodigij: cui sanctus respondit Episcopus: Per quasdam maleficiorum incantationes ad decipiendas conuiuarum animas, diabolica in his latuit liquoribus potentia: sed virtute crucis territa, sic inuisibiliter de domo effugit ista, sicut visibiliter consideratis liquorem effundi in terram.* Beda tom. 3. in vita S. Vedasti. Alcuin. in vita Vedasti. Extat tom. 1. Sur.

De fonte quodam idololatriæ sordibus infecto, quem S. Remaclus signo Crucis expiauit, ita Notgerus Episcopus: *VVarchinnam riuulum accedit: inuenit illic certa indicia, loca illa quondam idololatriæ fuisse mancipata. Erant illic lapides Dianæ, & id genus portentosis nominibus inscripti, vel effigies eorum habentes: fontes etiam, hominum quidem vsibus apti, sed gentilismi erroribus polluti, atque ob id etiamnum dæmonum infestationi obnoxij. Igitur adhibita adiuratione per Christi nomen, & S. Crucis signo expresso, locum illum à dæmonum incursatione vindicauit & expiauit.* Nam, vt testatur Tertullianus, *immundi spiritus aquis incubant. Sciunt opaci quique fontes, & auij quique riui, & in balneis piscinæ, & euripi in domibus, vel cisternæ & putei, qui rapere dicuntur; scilicet per vim spiritus nocentis. Nam & enectos, & lymphatos, & hydrophobos vocant, quos aquæ necauerunt, aut amentia, vel formidine exercuerunt.* Notger. in vita Remacli. Tert. lib. de baptismo.


In S. Gregorio Magno habetur ad sanctificationem aquæ benedictæ signum Crucis adhibitum fuisse. *Vt vbicunque aspersa fueris*, inquit S. Gregorius, *sit, propitio Deo, defensa domus ipsa: & sicut defensæ fuerunt domus Hebræorum per signum sanguinis Christi, sic defendantur, domine, domus famulorum.* Mox subiungit: *Expellas omnem vmbram, omnem Satanam, & omnes machinationes spirituum immundorum, siue pithonatum, siue errantium ex inuocatione magicæ artis, siue præcantatorum argumenta, siue draconum, & omnium volucrum & viperarum.* Sic etiam in Annalibus Francorum legimus, villam quandam miris veneficiorum & dæmonum ludibriis infestam, aspersione aquæ benedictę fuisse liberatam: crucibus etiam eò à presbyterorum cœtu illatis. Subdit loco prædicto S. Gregorius orationem qua vasa ab Ethnicis vsurpata, fuerunt expiata, quæ talis est. *Omnipotens sempiterne Deus insere te officiis nostris, vt hæc vascula arte fabricata gentilium, sublimitatis tuæ potentia, ita emundare digneris, vt omni immunditia depulsa, sint fidelium tuorum tempore pacis atque tranquillitatis vsibus apta.* Greg. in lib. Sacramentorum in exorcismo ad aquam sanctif. Annal. Franc. anno DCCCLIX. editione Pithœi.

Sophro. in prat. spirit. cap. 83.

De naui incantationibus impedita, & per signum Crucis liberata hæc Sophronius: *Emporium est, quod Exile Promontorium dicitur. In eo nauclerus quidam constructa naui triginta milium mediorum, volens eam in mare deducere duas hebdomadas cum operariis plurimis egit (habebat autem quotidie trecentos operarios) nec potuit illam de loco suo mouere, aut in mare deducere. Fuerat enim à pessimis hominibus incantata nauis. Erat igitur in magna tribulatione & angustia dominus nauis, & quid ageret omnino ignorabat. Per dispensationem autem Dei abiit senex ad partes illas. Nauclerus conspecto sene, agnoscensq́; sanctum virum, ait illi, Ora domine Abba pro naui ista: per artes enim magicas in mare descendere non potest. Dicit ei senior, Vade, fac vt cibum sumas, & Deus iuuabit te. Hoc autem dixit senex, vt Nauclerus abiret domum. Cùm ille abiisset, accessit senex solus ad nauem, & tertio se in terram prosternens & orans Deum, tertio signauit nauim signo sanctæ Crucis in nomine Domini nostri Iesu Christi. Veniens deinde senex in domum Naucleri, dixit illi, Vade ad nauem tuam, & deduc illam in mare: Nauclerus autem credens verbis senis, abiit cum paucis, illisq́; trahentibus, mox in mare deducta est nauis.*

## CAPVT XLVII.

### *Qui fiat, quòd dæmones aliquando Cruce non modò non terrentur, sed & eadem ad varias superstitiones & incantationes abutuntur.*



Hîc scrupulus multos torquet, & eò adducit, vt parum honorificè de crucis potentia, & Maiestate sentiant: *Si crux,* inquiunt, *dæmones fugat, magiasq́ue, & incantationes disiicit, & dissipat, vt hucusque ostensum est, qui fit, vt nulla propemodum superstitio committatur, nulla fascinatio, & incantatio instituatur, cui crux vel scripta, vel picta, vel sculpta, vel in aëre efformata nō admisceatur?* An non, vt vnam ex multis nominemus superstitionem, vel potius magiam, qua res furto ablatæ inquiruntur, præcipiunt horum talium magistri; *vt quis accepto crystallo, sedens ad Orientem, crucem faciat cum oleo oliuæ, & sub Cruce scribat nomen sanctæ Helenæ hoc modo; sancta Helena: inde puer natus ex coniugibus ætatis annorum decem, vel circa, intactus adhuc, & impollutus capit crystallum dextera manu, & tu genibus flexis,* inquit Cardanus, *post illum stans; hanc supplicationem ter summa cum veneratione dices: Deprecor te domina sancta Helena, mater regis Constantini, quæ crucem Domini nostri* IESV CHRISTI *inuenisti, & per illam sanctissimam deuotionem & inuentionem crucis, & per illam sanctissimam, per illud gaudium, quod habuisti crucem, quando illam sanctissimam crucem inuenisti, & per illam dilectionem, quam circa filium tuum habuisti*

Card. lib. 16. de rerum Variet.

Regem

*Regem Constantinum, & per illa summa bona, quibus frueris æternaliter, vt debeas demonstrare in hoc Crystallo, quidquid peto & scire cupio, Amen. Et cùm puer videbit Angelum in Crystallo, rogabit quæcunque volueris, Angelusque respondebit.* Hæc ex Cardano. An non in hac, & aliis huius generis incantationibus crux vsurpatur? & tamen tantum abest, vt dæmones crucem fugiant, vt potius ad crucis formationem & appellationem prodeant, seque spectandos offerant. Sæpe etiam irrito conatu crucem aduersus dæmones adhibitam legimus.

Ad hanc obiectionem respondeo cum S. Augustino; certum esse signum crucis aduersus dæmones vim magnam habere, *cùm autem non cedunt his signis huiusmodi potestates,* inquit S. Augustinus, *Deus ipse id prohibet occultis modis, cùm id iustum atq; vtile iudicat. Nam nullo modo vlli spiritus audent hæc signa contemnere. contremiscunt hæc, vbicunq; illa prospexerint. Sed nescientibus hominibus aliud iubetur diuinitus, vel ad confundendos malos, cùm eos oportet confundi. Sicut de Sceuæ filiis in Actibus Apostolorum legimus: quibus ait immundus spiritus, Iesum scio, & Paulum noui, vos autem qui estis? Vel ad admonendos bonos, vt proficiant in fide; atque ista non iactanter, sed vtiliter possint.* Aug. lib. 83. qq. q. 79. Act. 19.

Vult ergò S. Augustinus; ab ipso Deo interdum, occulto, sed tamen iusto iudicio, vim crucis & efficaciam aduersus dæmones impediri, & meritò quidem id sibi persuadet S. Augustinus. Multas enim ob causas hoc Deus facere potest, ex quibus duas etiam prædictis verbis reddidit S. Augustinus. Alia est quod omnes illi, qui crucem ad magiam & superstitionem adhibent, indigni prorsus sunt omni beneficio crucis, cùm eum ad finem crucem, non sine sacrilegio referant, cui ex diametro repugnat. Quid enim minus ad veneficia, & dæmones ex tartaro eliciendos aptum est, quàm viuifica & salutifera crux, mors omnium incantationum & præstigiarum? Quia tamen isti eò improbitatis procedunt, vt crucis naturam quodammodo inuertere, & penitus commutare conentur, meritò Deus efficacitatem prohibet, & quasi suspendit, ne se exerat aduersus dæmones, eo ferè modo, quo exurendi vim & facultatem ignis tum suspendit, cùm tres pueri, iussu impij Regis, in ardentes flammas coniecti fuerunt: impedita autem crucis virtute dæmonibus additur animus, crescitque audacia, & eò magis, quò clarius vident, se hac ratione ex hominum animis debitam de cruce existimationem tollere. Cùm enim Magi, Magisque amici experiuntur, superstitiones & incantationes per crucem institutas ex sententia succedere, tantum abest, vt cruce contra dæmones vtendum censeant, vt potius eam ad dæmones euocandos valere credant, vel si expressè quidem ita non sint affecti, &

comparati; eò quod videri nolint cum dæmone habere commercium, tamen ob tacitum saltem pactum cum salutis nostræ hoste, quod his studiis & cœptis interuenit, iure impeditur à Deo effectus crucis, quod tales etiam indignos sese reddant omni crucis fructu, ob implicitam cum diabolo conuentionem.

Quod addo propter illos, qui vnà cum cruce vel scripta vel picta, vel in aëre tantùm formata, adhibent ad finem aliquem media prorsus inconuenientia, & absque vlla proportione, neque vllo modo ab Ecclesia approbata vel vsurpata, non sine vanis & illicitis circumstantiis. Si enim sequatur finis exoptatus, certum est, eum consequi, ope dæmonis, vt Theologi in materia de superstitionibus fusè ostendere solent: & tamen dæmon cruce cum cæteris mediis adhibita nullo modo absterritus, sed potius ad effectum procurandum prouocatus fuit.

Non est autem mirandum, permittere Deum, vt improbi abutantur ad superstitiones & incantationes signo sanctæ crucis. Quid sanctius ipso sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento, in quo præsens est ipse vnigenitus Dei filius? Et tamen mulierum veneficarum confessione compertum est, quàm hoc sacratissimo mysterio sæpe abuti soleant. Quid sanctius, quàm ipse Saluator noster Christus, & tamen ipsum, occulto Dei iudicio, dæmon adeò olim non horruit, vt vltrò eius tentandi causa eum adierit; imò &, quod mirabilius dictu est, de loco ad locum traduxerit. *Cùm dicitur Deus homo*, inquit S. Gregorius, *vel in excelsum montem, vel in sanctam ciuitatem assumptus à diabolo, mens nequit credere, humanæ hoc audire aures expauescunt, cùm tamen non incredibilia ista cognoscamus, si in illo & alia facta pensamus.*

*Greg. hom. 16. in Euangel.*

Quid sanctius nomine Iesu, nomine, inquam, quod est super omne nomen? & tamen quis ignorat, hoc ipsum salutis & spei nostræ nomen, inter superstitiosos & Magicos characteres, imò & inter carmina Magorum reperiri? *Fingunt enim spiritus mali*, ait S. Augustinus, *vmbras quasdam honoris sibimetipsis, vt sic decipiant eos, qui sequuntur Christum. Vsque adeò, fratres mei, vt illi ipsi qui seducunt per ligaturas, per præcantationes, per machinamenta inimici, misceant præcantationibus suis nomen Christi: quia iam non possunt seducere Christianos, vt dent venenum, addunt mellis aliquantum, vt per id quod dulce est, lateat quod amarum est, & bibatur ad perniciem: vsque adeò vt ego nouerim aliquo tempore illius* pileati sacerdotem solere dicere, Et ipse * pileatus Christianus est. Vt quid hoc, fratres, nisi quia aliter non possunt seduci Christiani?*

*Aug. tract. 7. in 1. cap. Ioan.*

* *pilleati.*
* *pilleatus.*

Sic & olim Magi apud Ethnicos, Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Iacob suis in præstigiis, & sacris profanis inclamabant & inuoca-

uocabant: *Multi*, inquit Origenes, *ex iis, qui excantant dæmonia, verbis suis inserunt illud: Deus Abraham. indicant hoc nomine familiaritatem eius cum Deo, quapropter assumunt verbum; Deus Abrahami, licet nesciant, quisnam fuerit ille Abraham. Idem dicendum de Isaac, & Iacob, & Israël, quæ cùm ex confesso Hebræa sint vocabula, frequenter sunt inspersa Ægyptiorum disciplinis efficacioribus.* Hæc Origenes.

*Orig. lib. 1. contra Celsum.*

*Orig. lib. 4. contra Celsum.*

Alibi: *Nomina Abraham, Isaac, Iacob, cum Dei nomine coniuncta, habent vim tantam, vt non solùm ab eorum posteris admisceantur sacris precationibus, & in excantando dæmones inuocetur Deus Abrahami, Isaaci & Iacobi, sed vsurpentur ab omnibus incantatoribus, & Magiam tractantibus. Inuenitur enim sæpe in magicis literis inuocatus hac appellatione Deus, coniunctaq; illi horum virorum nomina, vt ipsis familiaria, & horrenda dæmonibus.* Hæc Origenes.

Qui ibidem hæc habet: *A nobis accepistis hæc tria nomina auctorum generis Iudaici, multis experimentis discentes, non contemnendam vim per hæc Deum inuocatum exercere.* Alibi testatur idem Origenes: *Deum Israëlis, Deum Hebræorum, Deum submersorem Ægyptiorum cum Rege suo necatorum rubri maris fluctibus, sæpe cognominatum, inseri carminibus aduersus arreptitios & malas potestates efficacibus.*

*Lib. 4. contra Celsum. Vide etiam lib. 5.*

Quid mirum igitur, si sancta cruce abutantur scelerati ad nefaria facinora, cum iam olim abusi sint ad similia sacrilegia nominibus Dei? Nec mirum videri debet, crucis effectum, qui est fugare dæmones; nonnunquam impediri; etiamsi crux ex opere operato, vt infrà docebimus, huiusmodi effectum, & alios producat; quia ipsa Sacramenta, communi consensu, ex opere operato effectus suos producunt, & tamen toties impediri possunt, quoties in subiecto impedimentum reperiunt. Sanctissimum nomen Iesu dæmones terret, & in fugam coniicit, vt sequenti capite ostendemus, & tamen nomen hoc dæmones aliquando neque fugiunt, neque reformidant. Quid ita verò? Quia Deus ipse prohibet occultis modis, *cùm id iustum, atq; vtile iudicat*, vt Augustini verba repetam; Pari igitur modo, effectus crucis, quo minus sequantur, impedit interdum Deus, occultis quidem modis, sed iustis.

Porrò si aliquando effectus crucis impediantur, non tunc, cùm quis sacrilegè abutitur cruce, sed tunc cùm piè & religiosè adhibetur ad effectum aliquem obtinendum, vt ad expulsionem dæmonum ex corpore obsesso, ad morbum vel à nobis, vel ab aliis depellendum, tunc maioris boni & commodi, vel nostri, vel alieni intuitu, huiuscemodi effectus impeditur à Deo; cùm sæpè expediat nobis, vt ab hac vel illa calamitate quæ nos premit, non liberemur, vel tunc statim non liberemur, cùm remedium adhibemus. Nam Deus crucem, & id

genus

genus alia spiritualia adiumenta, non aliter nobis salutaria esse voluit, quàm quatenus & ad nostram salutem, & ad Dei gloriam amplificandam consultum erat & conducibile. *Morbis imperans terribile est hoc nomen*, ait S. Chrysostomus: *Et si non abegeris morbum, non hinc est, quod infirmum sit hoc nomen, sed quod vtilis sit morbus.* Pulchrè S. Augustinus: *Quamuis sint per sancta ac sanctos curationum magna solatia, tamen ideo non semper etiam ipsa beneficia tribuuntur petentibus, ne propter hoc religio quæratur, quæ propter aliam magis vitam, vbi mala non erunt omnino vlla, quærenda est.*

*Chrys. in 3. Coloss. hom. 9. Aug 22. de ciuit. cap. 22.*

Aliam causam ex parte nostra reddit S. Chrysostomus, modicam videlicet fidem & spem in crucem, & in salutare Christi nomen: *Si & in diabolum diuinas incantationes canere noueris, statim vulnerabitur*, inquit S. Chrysostomus, *sunt enim nobis, sunt, inquam, nobis incantationes spirituales, ipsum nomen Domini nostri Iesu Christi, tum ipsius crucis potentia. Huiusmodi incantatio non solùm draconem à speluncis abigit; atq; ita in ignem coniicit, sed & vulneribus quoq; medetur. Quod si multi exstitére, qui dictis illis carminibus sanati minimè fuerint, accusent illi modicam suam fidem, non dicti infirmitatem; Hoc nomen & dæmonibus terribile est, & perturbationibus, & ægritudinibus salutare. Hoc igitur ornemur ipsi, hoc tanquam muro nos muniamus.* Quamobrem licet aliquando signum crucis efficax sit in illis, qui omni fide carent, aliquando tamen apud fideles, iusto Dei iudicio inefficax esse potest, ob remissam nimis fidem, vt ait S. Chrysostomus, vt illa crucis inefficacia sit languidæ fidei pœna.

*Chrysost. Hom. 8. in cap. 4. ad Rom idē. serm. de laude Dei.*

Hanc eandem rationem disertè assignat Tertullianus: *Nobis fides præsidium, si non & ipsa percutitur diffidentia signandi statim & adiurandi, & vnguendi bestiæ calcem. Hoc deniq; modo etiam Ethnicis sæpe subuenimus; donati à Deo ea potestate, quam Apostolus dedicauit, quum morsum viperæ spreuit.*

*Tert. in Scorpiaco cap. 1.*

Non omittam, quod in vita S. Hildegardis Virginis & Abbatissæ legi: Ex qua cum quæsitum esset, cur Dæmon quidam nullis exorcismis, nulla Crucisignatione, nullisque Reliquiis ex muliere obsessa potuerit expelli, respondit: *Diuersa genera malignorum spirituum sunt. Hoc verò dæmonium, de quo quæritis, has artes habet, quæ moribus hominum in vitiis assimilantur: vnde, & cum hominibus libenter manet, ac ideo etiam crucem Domini, & reliquias Sanctorum, ac cætera, quæ ad seruitium Dei pertinent, aliquantum negligit, & deridet, nec multum pertimescit. Ea quidem non diligit, sed fugere dissimulat, velut aliquis stultus, & negligens homo, verba, & minas, quæ sibi à sapientibus inferuntur, paruipendit: quapropter & difficilius, quàm aliud dæmonium expellitur. Nam, nisi in ieiuniis, flagellis, orationibus, eleemosynis, ac ipso iussu Dei, non eiicietur. Audite ergò, & non responsum hominis, sed ipsius, qui viuit. Eligite septem boni testimonij, & quos vita meritum probat, sacerdotes in nomi-*

*Lib. 3. vita S. Hildeg. cap. 21. Tom. 5. Surij.*

*nomine, & ordine, Abel, Noë, Abraham, Melchisedech, Iacob, & Aaron, qui viuenti Deo sacrificium obtulerunt, septimum in nomine Christi, qui seipsum Deo Patri in Cruce obtulit; & ieiuniis, flagellis, orationibus, eleemosynis, & Missarum celebrationibus præmissis, humili intentione, & habitu sacerdotali, cum stolis ad patientem accedant*, &c.

## CAPVT XLVIII.

*Nomine IESV fugari dæmones, tanquam ab illo in Cruce deuictos.*



DIXIMVS capite præcedente, sanctissimum nomen IESV piè prolatum fugare dæmones; id nunc breuiter ex antiquis Patribus ostendendum est, vt omnes intelligant, eorum consuetudinem esse laudandam & imitandã, qui nomen hoc siue cùm tentantur à diabolo, siue cùm alia calamitate premuntur, in ore habent; & reuerenter inclamant.

Dæmones igitur, Christi & Iesu nomine fugari; docet inprimis Gregorius Nazianzenus, qui ad Nemesium, virum clarissimum; sed Ethnicum scribens, ita loquitur: *Ipse qui Christo nomen dedi, augustum illud nomen vix plerumque pronunciaui, cùm statim dæmon, non sine stridore, grauissimoq; dolore, longissimè se proripuit, Dei immortalis vim ac potentiam clamans, quod etiam mihi sæpe vsu venit, cùm crucem ne in tabula quidem, sed in medio tantùm aëre descripsissem. Nam sola figura trophæum erexit. quemadmodum olim legimus accidisse, cùm Moyses manus in crucis formam composuisset. Vellem equidem mihi liceret, ex altissima quadam specula vniuerso generi hominum hæc verba intonare.*

Arnobius ad gentiles: IESV *nomen auditum fugat noxios spiritus, imponit silentium vatibus, haruspices inconsultos reddit, arrogantium magorum frustrari efficit actiones, non horrore, vt dicitis, nominis, sed maioris licentia potestatis.* *Arnob. 1. contra Gentes.*

S. Chrysostomus: *Hoc*, inquit, *Iesu nomen tum inferis, tum morbis & vitiis terrori est.* *Chrys. hom. de laude Dei.*

Origenes contra Celsum: *Tanta certè vis nomini Iesu inest contra dæmones, vt nonnunquam etiam à malis nominatum, sit efficax, quod docens Iesus dicebat, multi dicent in die illa; In nomine tuo dæmonia eiecimus, & virtutes fecimus.* *Orig. lib. 1. contra Celsum.*

Alibi idem Origenes: *Possumus ostendere inenarrabilem numerum tam Græcorum, quàm Barbarorum Iesu nostro credentium. In his quidam in signum accepta per fidem virtutis, mirificè sanant ægrotos, inuocato tantùm super eos vniuersorum Deo & Iesu nomine, recitataq; de rebus eius quapiam historia. Vidimus* *Orig. lib. 2. contra Celsum.*

*enim ipsi multos sic liberatos à grauibus malis, alienatione mentis, insania, aliisq́; innumeris, quibus nunquam vel homines, vel dæmones opem attulerunt.* Ibidem: *Inuocato Iesu nomine, sanationes fiunt.* Ibidem: *Verendum geniis & aliis, quæ non cernuntur potestatibus, quæ hodieq́; præ se ferunt timorem Iesu nominis, vt potè potentioris, siue metu compulsæ, siue legibus sui Domini. Alioqui si non diuinitùs datam haberet vim suam, haudquaquam dæmones ad solum eius nomen inuocatum, cederent ex insessis semel corporibus.*

Similia habet Orig. lib. 8. contra Celsum. & Chrysost. in 3. Coloss. hom. 9.

In Vita S. Ant. *Crucifixum nominamus*, inquit S. Antonius apud B. Athanasium, alloquens Ethnicos philosophos, *& vniuersi dæmones, quos vos vt Deos colitis, rugiunt, atq; ex obsessis corporibus ad primum Dominæ crucis signum fugantur.* Alibi: *Sæpe me à dæmonibus non denego verberatum*, ait S. Antonius, *canebā autem sic: Nullus me separabit à charitate Christi: ad cuius vocis auditum in se inuicem deferentes, non meo sed Domini fugabantur imperio*: cumq́; S. Antonius in colloquio quodam cum dæmone, inter alia hæc ad extremū dixisset: *Verè Iesus tandem tuas funditus subruit vires, & honore nudatus Angelico volutaris in sordibus; vix dum verba compleueram*, inquit S. Antonius, *& ille sublimis, nomine Saluatoris deiectus est.*

Athan. lib. de Incarn. Verbi. Testatur etiam S. Athanasius præstigias dæmonum & imposturas vaticiniorum inuocato Christi nomine, ad nihilum redigi, quibus hæc subdit: *Quis igitur & quantus est hic Christus, qui solo sui nominis vocabulo præsentia omnia adobruit, & otiosa reddit?* Iustinus: *Per nomen ipsius Dei & primogeniti creaturæ omnis, dæmonium omne adiuratum vincitur, & in ditionem redigitur.* Prudentius:

Iust. Dial. cum Tryph.

Prudent. in Apotheosi.

*Torquetur Apollo*
*Nomine percussus Christi, nec fulmina verbi*
*Ferre potest.*

S. Hier. in Vita S. Hilarionis. Adde his sanctum Eremitam Hilarionem, *qui nomine Iesu inuocato*, ingentes dæmonum cateruas profligauit: *Cùm inclamasset Iesum*, inquit S. Hieronymus, *ante oculos eius, repentino hiatu pompa omnis absorpta est.* Nec mirum, quia, vt inquit Iustinus Martyr, *nominis Iesu potentiam dæmones tremunt & reformidant.*

Tert. in Apol. cap. 23. *Cæterùm omnis hæc nostra in dæmones dominatio, & potestas, de nomine Christi valet*, inquit Tertullianus. Neque cogitandum est, Christi & Iesu nomine tantùm fugari dæmones, quatenus Christus ad inuocationem sui nominis terret, & in fugam coniicit dæmones; sed pro certo habendum, ipsum etiam nomen Christi, vel Iesu, vt est nomen Dei & hominis, habere vim terrendi & fugandi nequitias illas spirituales, eo modo, quo crux vim habet illas pellendi. Hoc enim allata ex SS. Patribus exempla & testimonia docent. Hoc conformius est illi sententiæ Domini: *In nomine meo dæmonia eiicient.* & Apostoli gaude-

gaudebant, quòd *in nomine Christi* ipsis subiicerentur dæmonia. & D. Paulus in nomine Iesu præcipit dæmonio, vt à puella exeat. Accedit denique, quod vt dæmones etiam signis delectantur & alliciuntur, teste S. Augustino, ita quoque signis metu percelluntur & exterminantur. Et quidem non cuiusuis generis signis, sed certis, & ad hoc destinatis. *Affirmant*, inquit Origenes, *incantandi periti, eandem incantationem pronunciatam lingua sua propria efficere, quod pollicetur: sin transferas eam in alias quascunq; voces euidenter vim suam perdere.* Adeò, inquit Origenes, *vis ea non in significationibus rerum, sed in ipsis vocum qualitatibus, & proprietatibus inest ad hæc vel illa efficax.* Hoc certè multò verius de nomine IESV affirmari potest. *Marc. vlt. Luc. 10. Act. 16. August. lib. 21. ciuit. cap. 6. Orig. lib. 1. contra Celsum.*

## CAPVT XLIX.

*Probatur secundus effectus signi crucis, qui est mederi morbis. Eius rei afferuntur exempla, ex S. Augustino, ex Sophronio, & ex S. Gregorio Nysseno.*



PROBAVIMVS huc vsque primum crucis effectum. Restat vt probemus, crucem quoque morbis sanandis medicinam, cunctisque malis auertendis fidam tutelam esse. Audiamus igitur quid scribat non vnus è triuio, sed ex principibus Ecclesiæ D. Aurelius Augustinus: *Carthagine*, inquit, *Innocentia religiosissima fœmina, de primariis ipsius ciuitatis, in mamilla cancrum habebat, rem, sicut medici dicunt, nullis medicamentis sanabilem; aut ergo præcidi solet, & à corpore separari membrum, vbi nascitur, aut vt aliquanto homo quietius viuat, fomentis est pestis mitiganda frequentibus. Nam vt inde mortem, quantumuis tardius adfuturam confidamus, secundum Hippocratis, vt fertur, sententiam, omnis est omittenda curatio. Hoc illa à perito medico, & suæ domui familiarissimo acceperat, & ad solum Deum se orando conuerterat. Admonetur in somnis, appropinquante Pascha, vt in parte fœminarum obseruanti ad baptisterium, quæcunque illi baptizata primitus occurrisset, signaret ei locum signo crucis Christi; fecit, & confestim sanitas secuta est. Medicus sanè, qui ei dixerat, vt nihil curationis adhiberet si paulò diutius vellet viuere, cùm inspexisset eam postea, & sanissimam comperisset, quam prius habere illud malum inspectione cognouerat, quæsiuit ab ea vehementer, quid adhibuisset curationis, cupiens, quantum intelligi datur, nosse medicamentum, quo Hippocratis definitio vinceretur, cumq; ab eo quid factum esset, audisset, voce velut contemnentis & vultu, ita vt illa metueret, ne aliquod contumeliosum verbum proferret in Christum; religiosa vrbanitate respondisse fertur: Putabam, inquit, magnum aliquid te mihi fuisse dicturum. Atq; illa iam exhor-* *Aug lib. 22. de ciuit. Dei, c. 8.*

*rescente; mox addidit. Quid grande fecit Christus sanare cancrum, qui quatriduanum mortuum suscitauit?*

*Hoc ergo cùm audissem, & vehementer stomacharer, in illa ciuitate, atque in illa persona, non vtiq; obscurè factum tam ingens miraculum sic latere; hinc eam admonendam & pœne obiurgandam putaui: Quæ cùm mihi respondisset, non se inde tacuisse; quæsiui ab illis, quas forte tunc matronas amicissimas secum habebat, vtrum hoc ante scissent: Responderunt, se omnino nesciisse. Ecce, inquam, quomodo non taces, vt nec istæ audiant, quæ tibi tanta familiaritate iunguntur? & quia breuiter ab ea quæsieram, feci, vt illis audientibus, multumq; mirantibus & glorificantibus Deum, totum ex ordine, quemadmodum gestum fuerat, indicaret.* Huc vsque S.Augustinus.

*Card.lib 15. de rerum Variet. cap 81.*

Commemorat quoque hoc miraculum Cardanus, sed breuiter & summatim; addita hac censura: *Multa addit Augustinus, more oratorum, quæ potius rem minuant. Ornari res ipsa negat, contenta doceri.* Quæ sunt illa multa, Cardane, quæ tuo iudicio rei gestæ fidem imminuunt? Quomodo simplicius potuisset Augustinus, & candidius totam rei gestæ seriem explicare, & quomodo tantum miraculum aliis innotuerit describere? Sed Cardano miraculis parum æquo, id quod alioqui parum vel satis est; nimium esse videtur; quia mallet scriptores miracula reticere, quàm prodere, vt satis ex disputatione Cardani de miraculis colligitur. Nam ex infinitis miraculis, quæ in Ecclesia Dei euenerunt, vix tandem duodecim inuenit, quæ commemoraret.

*Sophr. in Prato spir. cap. 56.*

Simile exemplum de sanato virtute crucis cancro recenset Sophronius: *Ptolomais ciuitas est Phœnicis; in hac vicus est, qui dicitur Caparasma; in eo vico senex quidam erat Magnus, habebatq; discipulum Ioannem nomine & ipsum magnum, singularisq; obedientiæ, & ecce homo quidam cum vxore veniebat, cuius mamillam cancri morbus consumebat: Rogabat ergo illum vir eius, vt vxorem suam curaret. Qui cùm peccatorem se diceret, & indignum ad tale attentandum opus. vir ille persistebat orans, vt annueret sibi vxoriq; suæ misereretur. Cùm verò imposuisset illi manum, mamillamq; signasset, continuò sanata est.*

S.Gregorius Nyssenus narrans quomodo cum Vestiana, fœmina nobilissima, & religiosissima, Macrinæ sororis suæ defunctæ corpus ad funus & sepulturam adornarit, ait sibi à Vestiana, in pectore sororis ostensam notam, quæ fuerit indicium morbi olim per signum

*Nyssen. in Vita S. Macrinæ.*

sanctæ crucis ex illa parte depulsi. *Ne prætermiseris,* ait Vestiana ad Gregorium, *intueri rei admirandæ ab hac sancta profectæ magnitudinē. Quidnam istuc est? inquam. At illa pectoris partem denudans; Vides hoc, inquit, tenue & obscurū sub collo signum? Videbatur autem puncto simile, tenui acu confecto, simulq; lucernam propius admouit ad locum mihi demonstratum. Quidnam, inquam, admi-*

*admirandum: si tenue signum in hac parte est? Et hoc, inquit, diuini auxilij in magnam Macrinam monumentum in eius corpore relictum est. Etenim cum acerbè olim intumuisset hæc pars, & periculum esset, ne tumor secandus esset, aut ne latius serpens malum fieret immedicabile, si ad loca cordis appropinquasset, rogauit sæpius & obsecrauit mater, vt medici manum admitteret; eam namq; artem à Deo etiam pro salute hominum ostensam esse.*

*Illa verò, cùm aliquam corporis partem, alienis oculis aperire, morbo ipso grauius iudicaret, ad vesperam, cùm solitam matri propriis manibus nauasset operam, in sacellum sanctißimum ingressa, totam noctem prostrata curationum Deo supplicauit, & quæ ex oculis defluebat aquam, cum terra commiscens, lacbrymarum lutum morbo medicamentum adhibuit. Matri autem exanimatæ hortantíque, vt medico vteretur; sibi ad expellendum morbum satis esse respondit, si manu sua mater ipsa locum sancto signo muniret. Cùm igitur mater in sinum eius manum intulisset, vt eam partem signaret; signum quidem egit, morbus autem abiit. Sed hæc parua nota loco horribilis tumoris apparuit, & ad finem vsque permansit, vt esset, quemadmodum arbitror, diuinæ opis indicium, quo ad agendas gratias Deo continenter moneretur.* Ita S. Gregorius Nyssenus.

## CAPVT L.

### *Alia exempla morborum, qui virtute crucis fuêre depulsi.*

EX Theodoreti Religiosa historia adferemus hoc capite miracula, quæ Deus virtute crucis in morborum curatione gessit, non sine ministerio hominum, qui vitæ sanctitate & innocentia excellebant. De matre sua tale quid refert Theodoretus: *Morbus, qui ei in alterum ex oculis incubuerat, visus est medicinæ superare scientiam. Nihil enim erat aut scriptum à veteribus, aut inuentum ab iis, qui fuêre posterius, quod morbo non fuerit adhibitum, postquam autem omnia probauit, & ostendit, nullam adferre vtilitatem, venit quædam ei familiaris, quæ diuinum virum Petrum ostendebat, & ab eo factum docebat miraculum. Dicebat enim, vxorem eius, qui eo tempore tenebat clauum Orientis administrationis; Erat autem is Pergamenus, cùm ea in hunc morbum incidisset, tum ipsam curasse, cùm deprecatione esset vsus, & crucis signaculo.*

*Theod. in hist. SS. Patrum.*

*Theod. in Petro.*

*Audiuit mater, & ad diuinum statim accurrit hominem, pedesq; tangens & vociferans, obsecrauit, vt curaret oculum. Is autem dicebat, se quidem esse hominem & eandem habere, quam ipsa naturam, se autem peccatorum magnam gestare sarcinam, & ideo priuatum esse ea, quæ ad Deum habetur fiducia. Cùm autem mater fleret & oraret, & diceret, se non esse eum relicturam, nisi sanitatem assequeretur, dixit; Deum esse horum curatorem; petitiones autem semper dare iis, qui credant. Dabit ergo, inquit, nunc quoque non mihi donans gratiam, sed tuam fidem*

*contemplans. Si eam ergo habes sinceram & veram, puramq́; & ab omni liberam dubitatione, iubens & medicos valere, & medicamenta, à Deo datum sume hoc medicamentum. Hæc cùm dixisset, manum imposuit oculo, & salutaris Crucis signo facto, morbum expulit.*

*Theod. in Thalassio.*

Scribit idem Theodoretus de Thalassio Eremita, eum non modò iis, qui ad ipsum confluebant, suppeditasse curationem, sed etiam sibimet ipsi: *Eum enim iam pridem cholicus morbus inuaserat. Quàm sint autem acres, qui ex eo oriuntur dolores & cruciatus, optimè quidem sciunt,* inquit Theodoretus, *qui illum sunt experti, sciunt autem ij quoque, qui eius fuére spectatores. Cum hoc morbo colluctans, & tot tantisq; cruciatus doloribus non medicinæ accepit auxilium, non lectum ingredi sustinuit, non à medicamentis aut cibis est recreatus, sed in tabula humi iacente sedens, oratione & crucis signaculo est curatus.*

*Porrò autem, cùm is quoque noctu aliquando ambularet, calcauit dormientem viperam, ea verò apprehendens plantam pedis in eam dentes infixit. Cùm autem pedi conaretur opem ferre, se quidem inclinauit, & ei manum admouit; os autem bestia in eam conuertit; cùm verò rursus sinistra esset vsus, vt ei succurreret, in eam quoque traxit iram bestiæ. At postquam furor eius exsatiatus fuit, plus enim quàm decem morsus ei intulit, tunc quidem recessit, & suam cauernam repetiit. Ille autem vndique maximis cruciabatur doloribus, sed neque tunc passus est vti arte medica, sed vulneribus adhibuit sola fidei medicamenta, crucisq́; signaculum, & orationem, & Dei inuocationem.*

*Tur. lib. 6. hist. Frāc. c. 8. et li. 9. c. 4. & de gloria Confes. c. 24. & 82. & lib. de Vita SS. PP. c. 1. 2. 8. 9. 11. & lib. de Vita S. Senoch. & lib. de S. Caluppa.*

Pestilentes, eosq; varios morbos signo Crucis sanauit Eparchius, & Veratus Cabillonensis Episcopus, & S. Monegundis, & S. Eusychius & alij, teste Gregorio Turonensi, qui de S. Aredio refert: *Cœperunt infirmi confluere, quos, manus singulis cum vexillo crucis imponens, sanitati reddebat: quorum si sigillatim nomina scribere velim, nec numerum percurrere valeam.*

*Paul. libr. 4. de Vita S. Martin. Tur. de mirac. S. Martini li. 4. cap. 37. Tur. de Vita PP. c. 14. in Vita S. Calup. Georg. in Vita S. Theodori. Rather. in Vita Vrsmari. Fort. Vit. Rade. Constant. Vita Germa. cap. 16. Greg. Vita PP. cap. 10 & 19.*

S. Martinus Euantium à morbo liberauit, cùm in via à longè cruce illum consignasset, vt refert S. Paulinus. Idem S. Martinus cuidam ægroto apparuit, *dicens ei, Ne tremueris, sed facito super frontem tuam signum venerandæ Crucis, statimque saluaberis. In hac visione expergefactus, munitusque hoc signaculo, quo fuerat iussus, nunquam vlterius, quæ pertulerat passus est,* teste Gregorio Turonensi.

Denique, vt multos in vnum locum colligam, qui similia miracula patrarunt, morbos signo sanctæ Crucis curat S. Martius Abbas, & S. Caluppanus teste Gregorio Turonensi. S. Theodorus Sicæorum Archimandrita, auctore Georgio Presbytero eius discipulo. Vrsmarus Episcopus, teste Ratherio Veronensi Episcopo. S. Radegundis regina, teste Fortunato. S. Germanus Antisiodorensis teste Constantio Presbytero. S. Friardus & S. Monegundis, referente Gregorio Turonensi. Hesychiam Petri Hierosolymitani Patriarchæ sororem ter cruce si-

ce signans magnus Saba sanat ab incurabili morbo, teste Cyrillo. Simile quid de S.Placido martyre testatur Gordianus famulus eius. De S.Mauro Faustus eius æqualis. De S.Euthymio Cyrillus. De S.Parthenio Episcopo Lampsaceno, Crispinus. De S.Seuerino Eugippius.

Cyr. Vita Saba. Gord. Vita Placid. cap. 10. 11. 23. 24. 25. 28. Faust. Vi. Mau. Cyrill. in Vita Crisp. Vita Partheny. Eugipp. cap. 38. Helgaud. in epitome Vita Roberti regis edit. Pithæi.

Roberto Pio Francorum regi *gratiam in medendis corporibus*, inquit Helgaudus, *contulit diuina virtus, vt sua piissima manu, infirmis locum tangens vulneris, & illis imprimens signum S.Crucis, omnem ab eis auferret dolorem.*

## CAPVT LI.

*Morbos depulsos esse signaculo S. Crucis edito per crucis primæ Sanctorumq; reliquias. Adduntur nonnulla de more efformandi signi Crucis per crucifixi imagines.*


NOBILE huius moris testimonium reliquit nobis S.Maurus, discipulus S.Benedicti. Faustus rem sic refert: *Ante altare in orationem se dedit, & diutissimè suspiriis ac singultibus aures vicinæ sibi supernæ pietatis pulsans, cùm à loco, quo in modum Crucis prostratus iacuerat, surrexisset, accipiens desuper altare capsulam reliquiarum, quam illi B. Magister suus direxerat, assumptis etiam nobis ad lectum pergit ægroti. Ibiq; rursum oratione præmissa, salutiferum retegit lignum, & de eo à scapula vsq; ad vngulas manuum ex omni parte signum Crucis faciens, dixit: Deus qui hoc sacrosanctum ac gloriosum viuificæ Crucis lignum vulneribus ac languoribus animarum nostrarum, nos redimendo, subuenire dignatus est, ipse te per virtutem vitalis ligni huius ad pristinam reducere dignetur sanitatem. Hæc cùm beatus orasset Maurus, continuò per tria loca omnis excoctio sanguinis, qua brachium totum intumuerat, vehementer decurrere cœpit.*

Faust. in Vita S. Mauri.

Gregorius Turonensis de seipso cùm graui morbo affligeretur: *Sexta dies illuxerat, quod magis ac magis dolor inualescebat; cùm mihi venit in mentem, ante paucos annos (sicut in libro secũdo huius operis continetur scriptum) me ab hoc dolore Sancti virtute fuisse sanatum. Accessi haud temerarius ad locum sepulchri, proiectusq; solo orationem fudi, atque secretius à pendentibus velis vno sub vestimento iniecto filo, Crucis ab hoc signaculum depinxi. Protinus dolore sedato sanus abscessi.*

Turon. mirac. S. Martini li. 4. cap. 1. & 2.

Ludouicus Philippi regis Francorum filius à dysenteria liberatus est, cùm signo Crucis consignatus esset, quod cum sacris reliquiis claui Dominici & spineę coronę efformatum est. *Ad tactum claui & spineæ coronæ, & brachij S. Simeonis, per totum ventrem pueri in modum Crucis, eodem die ab imminenti periculo est liberatus: Et pater suus Philippus Rex in transmarinis partibus existens, eodem die, & eadem hora à consimili morbo curatus.* Hæc Rigordus Gothus chronographus Ludouici Regis. Subiungit quo

Rigor. de gestis Philippi regis Franc. edit. Pithæi.

quomodo immanis inundatio signo Crucis per easdem sacras reliquias efformato, auersa fuerit: *Sacer verò conuentus B. Dionysij portans sanctum clauum Domini, & spineam coronam, & sancti senis Simeonis brachium, cum lachrymis & suspiriis clamantes ad Dominum benedicebant aquis in modum Crucis, dicens. Per hæc signa suæ sanctæ passionis reducat Dominus aquas istas ad locum suum: & paucis reuolutis diebus, Domino placato, reuersæ sunt aquæ ad alueum suum.*

Incurrerat in grauem morbum Fridericus Monachus religiosus & pius: *Fratribus autem pro illo orantibus, illa cruce consignatus est, quam Egbertus Treuirorum Archiepiscopus Egmundanæ Ecclesiæ dedit, cuius virtutes crebro experti sunt, & commemorare solent eius loci fratres, & plerique laici. Ab ea consignatione mox sensu integro Crucem illam, reuerenter sese inclinans, salutauit, nec multo post totus curatus est*; vt est in vita S. Adalberti. *Tom. 3. Surij.*

Virga, quam Gregorius Lingonicus Episcopus ferre solebat, signum Crucis expresserunt super energumenos, & liberati sunt, teste Gregorio Turonensi. *Tur. lib. de Vita SS. PP. cap. 4.*

Recensuimus iam suo loco, quomodo Ludouicus Pius Imperator sub extremam vitæ horam mandarit, vt ligno S. Crucis signum Crucis in pectore suo efformaretur. *Suprà cap. 26.*

In Typico S. Sabæ, vbi præscribitur benedictio baptismatis pridie τῶν φώτων, luminum, hæc leguntur, καὶ εὐθὺς εὐλογῶν τὰ ὕδατα σταυροειδῶς μετὰ τοῦ τιμίου σταυροῦ, ὄρθιον αὐτὸν κατάγων ἐν τῷ ὕδατι. *Statim consecrans & benedicens aquas cum veneranda cruce rectam destituit in aqua.* Hodie Crucis signum ipsis crucifixi imaginibus non rarò exprimi solet benedictionis gratia Quem morem non dubito ex antiquitate petitum; Forsan huc respexit Corippus, cùm de Iustino Imperatore ita canit:

*Egreditur cum luce noua, frontemq; serenam*
*Armauit, sancti faciens signacula ligni.*

Quibus verbis innuere videtur Iustinum cruce, quam manu tenebat, Crucis signum efformasse. Nam Imperatores Orientis semper Crucem gestasse, testis est Curopalata; vt suo iam loco notauimus.

In Ordine Baptismi secundum vsum Aethiopum hæc habentur: *Æthiopes in benedictione fontis baptismalis adhibent crucem materialem, qua crucis signum efformant, sulcando aquas in figura crucis.* Ibidem: *Accipit postmodum crucem, & ter ea aquam sulcat in modum crucis, ter clamans, Sanctus, sanctus, sanctus, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.*

Multa alia in Ecclesia peragi solent σταυροειδῶς, hoc est, specie Crucis, tam in Sacramentorum administratione (cuius rei iam attulimus suprà aliquot exempla) quàm in cæremoniis & ritibus; vt in incenso faciendo, & id genus aliis, de quibus consulere licet eos, qui *Suprà cap. 13.*

qui rituales libros conſcripſerunt; vt Philotheum, Germanum, & alios.

*Philoth. in inſtruct. Diaconi tom. 6. Bibliot. SS. PP. Germa. Theor. rerum Eccleſ. Curopal. lib de Off. aula Conſtantinop.*

Fiebant itidem Regum vnctiones & conſecrationes in modum Crucis. ὁ δὲ Πατριάρχης, inquit Curopalata, *χρίει σαυροειδῶς τὴν κεφαλὴν τοῦ βασιλέως τῷ θείῳ μύρῳ. Patriarcha vngit in Crucis formam caput Imperatoris diuino vnguento.* Scribit idem Curopalata Imperatorem priuſquam ad ſacram ſynaxin accederet, conſueuiſſe thus adolere in ara; ſeu ſuffire aram in Crucis figuram primùm quidem verſus orientem, deinde ad ſeptentrionem, poſtea ad occidentem, tandem ad meridiem.

## CAPVT LII.

### *Serpentes & Dracones crucis ſigno fuiſſe vel fugatos, vel interemptos.*



AMANTIVM Presbyterum hoc præter cætera, donum habuiſſe confirmat S. Gregorius, vt in quolibet loco, *quamuis immaniſſimæ aſperitatis ſerpentem reperiret, mox, vt eum crucis ſigno ſignauerat, extingueret, ita vt virtute crucis, quam vir Dei digito edidiſſet, diſruptis viſceribus moreretur, quem ſi quando ſerpens in foramen fugerit,* inquit S. Gregorius, *ſigno Crucis os foraminis benedicit, ſtatimq́; ex foramine ſerpens iam mortuus trahitur.*

*Greg. li. 3. Dialog. cap. 35.*

De Marciano Eremita refert Theodoretus inſigne miraculum: *Aliquando cùm in veſtibulo magnus oraret Marcianus, Draco quidam, qui reptauerat ſuper parietem verſus Orientem, deſuper è muro deſpexit, ſimul & hians, & horribiliter intuens, & ſe inuaſurum ſignificans. Procul autem ſtans Euſebius (erat hic Marciani diſcipulus) & illud horrendum ſpectaculum pertimeſcens, & id magiſtrum ignorare ſuſpicans, illi oſtendit clamans, & vt fugeret, rogans. At ille cùm eum reprehendiſſet, & timorem expellere iuſſiſſet, digito quidem crucis prius expreſſit figuram, ore autem inſufflauit, & veteres oſtendit inimicitias. Ille autem ſpiritu oris, tanquam igne aliquo, exiccatus, & veluti exſectus inſtar exuſtæ ſtipulæ in multas partes eſt diſſolutus.*

*Theod. in Marciano.*

Narrat idem Theodoretus, quomodo Iacobus diſcipulus S. Iuliani Eremitæ, mortuum Draconem in itinere quodam reperiens, ex eodem Iuliano ſciſcitatus ſit, à quonã draco ille fuerit interemptus: *Cùm Iulianus ſermonem quendam aggreſſus eſſet,* inquit Theodoretus, *rogauit Iacobus, vt ei aperiret, quod ignorabat; cùm is autem permiſiſſet rogare: Vidi, ait, in via maximum Draconem iacentem, & primùm timui, illum viuere exiſtimans; At poſtquam aſpexi mortuum, ſecurus iter ſum ingreſſus. Dic mihi, inquit, ó pater, quis eum interfecit? Tu enim præcedebas, nullus autem alius hac præteriit. Senex verò, Ceſſa, inquit, de illis curioſè percunctari, quæ iis, qui ſciſcitantur, non poſſunt*

*Theod. in hiſt. Relig.*

*vllam adferre vtilitatem. Sed nihilo secius instabat Iacobus admirabilis, verum scire desiderans. Senex autem diu quidem tentans celare, at non ferens amicum diutius angi; Ego, inquit, tibi dicam, si id scire desideras; scias ergo, quod me iter ingredientem illa inuasit bellua, osq; aperuit, me cupiens deuorare. Ego verò Iesum appellans, & digito trophæum crucis ostendens, omnem quidem excussi timorem, extemplò autem vidi humi cecidisse belluam, & communi laudato Seruatore perrexi vlterius.* Hæc Theodoretus.

*Sulp. Dialog. 2. cap. 3. Fortun. cap. 3. Paul. lib. 4 de Vita S. Martini. Turon. libro de S. Caluppa.*

S. Martinus puerum à serpente ictum sanat signo Crucis, teste Sulpicio. S. Caluppa duos dracones immensæ magnitudinis videns, *ori signum beatæ Crucis imponit,* ait Gregorius Turonensis, *rursumquè conuersus ad hydrum pingit iterum crucem Christi, dicens, Abde nunc inimice caput, & humiliare sub signaculo Crucis diuinæ. Hæc sancto dicente, crucemquè per singula faciente, draco huius vexilli virtute confusus, vicissim se humilians terræ subditur.*

*Soz. lib. 7. c. 25.*

Inter Episcopos sui temporis mirificè excelluit Donatus Episcopus Euoreæ Epiri, *quem & multa alia mirabilia fecisse testantur indigenæ,* inquit Sozomenus, *& illud maximè, quod in Draconis interfectione præstitit, qui in Chamægephyris, quas vocant, ad viam regiam lustrum habebat, & oues & capras, & boues, & equos, nec non & homines, & alia rapiebat. Neque enim ille vel gladium vel hastam ferens, vel aliud aliquod telum habens hanc belluam adortus est: sed cùm illa eum aduentantem sensisset, & caput velut impetum factura exeruisset, signum Crucis aduersus ipsam aëri digito inscripsit, & illi in faciem exspuit. Illa sputo in os accepto, statim concidit, ac mortua iacens amplitudine non minor apparuit iis serpentibus, qui visuntur apud Indos, siquidem, vt ego quidem accepi, octo iugis in proximum campum extractam indigenæ combusserunt, ne putrefacta aërem inficeret, & morbos pestilentes gigneret.*

De Arsenio hæc Menæum 13. die Decembris. *Aspidem grassantem & aquas venenantem, sola precatione & Crucis forma subitò necauit.*

De S. Hypatio, qui sub Constantino Magno floruit, Menæum 15. Nouembris. *Constantio Constantini Magni filio regnante, immanis quidam draco thesauro Imperatoris ita incubuit, vt nemo auderet illuc adspirare. Quod si quis audentior accederet, illicò vita multabatur. Imperator ergo inops consilij, fama ad se de viro sancto perlata, mittit, qui illum eant accersitum. Vbi venit, gazophylacium solus accedit, ianuam reserat, scipione, quem gestabat, crucem præferente draconem icit, trahensq; velut cetum virga captum extraxit, ingentique rogo, illius iussu, in foro excitato, peremptum iaculo, concremauit. Imperator perculsus admiratione, ne quid in posterum eiusmodi accideret, sanctam illius viri imaginem ad ingressum ærarij iussit figi.*

CAPVT

## CAPVT LIII.

### *Multos virtute crucis venenum sine noxa bibisse.*



SABINVM Camisinæ ciuitatis Episcopum, veneno tollere eius Archidiaconus conabatur, vt ipse Episcopatu potiretur. *Qui cùm vini fusoris*, inquit S. Gregorius, *animum corrupisset, vt mixtum vino veneni ei poculum præberet, refectionis hora, cùm iam vir Dei ad edendum discumberet, ei, præmiis corruptus puer, hoc, quod ab Archidiacono eius acceperat, veneni poculum obtulit; cui statim venerabilis Episcopus dixit: Bibe tu hoc, quod mihi bibendum præbes. Tremefactus puer deprehensum se esse sentiens, maluit moriturus bibere, quàm pœnas pro illa tanti homicidij culpa tolerare, cumq́ sibi ad os calicem duceret, vir Domini compescuit, dicens: Non bibas, da mihi, ego bibo: sed vade dic ei, qui tibi illud dedit, Ego quidem venenum bibo, sed tu Episcopus non eris. Facto igitur signo crucis, Venenum Episcopus bibit securus, eademq́ hora, in loco alio, in quo erat Archidiaconus eius defunctus est, ac si per os Episcopi ad Archidiaconi viscera illa venena transissent.* Greg. li. 3. Dialog. cap. 5.

Non absimile est aliud quoddam à D. Benedicto patratum miraculum, qui venenatum poculum paulò pòst sibi offerendum signo Crucis confregit. *Cùm vas vitreum*, inquit S. Gregorius, *in quo pestifer ille potus habebatur recumbenti patri, ex more Monasterij, ad benedicendum fuisset oblatum, extensa manu Benedictus signum Crucis edidit, & vas quod longius tenebatur eodem signo rupit, sicq́ confractum est, ac si in illo vase mortis pro cruce lapidem dedisset. Intellexit protinus vir Dei, quia potum mortis habuerat, quod portare non potuit signum vitæ.* Et vt Paulus Diaconus ait: *Non tulit arma crucis pestis iniqua latens.* Greg. li. 2. Dialog. cap. 3. Paul. Diac. li. 1. hist. Longobar. cap. 26.

De S. Portiano in Theodorici regis castra veniente hæc Gregorius Turonensis: *Siginaldus, vt ablutis aqua manibus merum dignaretur accipere deprecatur dicens: Magnum mihi hodie gaudium commodumque diuina pietas præstat, si intra tentorij mei septa, facta oratione potum dignaris accipere. Audierat enim famam sanctitatis eius: idcirco & honorem ei pro Dei reuerentia impendebat, &c. allatumq́ vasculum quo potio tenebatur; rogat vt sanctus imposita prius manu sanctificaret. Qui eleuata dextra cùm signum Crucis imposuisset, vasculum scinditur medium, ac vinum quod intra tenebatur, cum immenso serpente terræ diffunditur.* Turon. vita P.P. cap. 1. & 5.

Cum primo illo ex dialogis S. Gregorij exemplo conuenit, quod memoriæ prodidit Sophronius de Iuliano Bostrensi Episcopo: *Quidam*, inquit Sophronius, *ex habitatoribus ipsius ciuitatis, odio nominis Christi, voluerunt Iulianum veneno occidere, corrumpentesq́ pecuniis ministrum eius, qui ipsi porrigebat poculum, dederunt illi venenum, vt cùm porrigeret Metropolitæ poculum, venenum in calicem mitteret. Puer autem ita, vt dictum fuerat, fecit, de-* Sophro. in prato spirituali.


*ditq́; calicem veneno infectum S. Iuliano. Suscepit verò illum sanctus vir, ac diuinitus agnouit insidias: susceptum ergo calicem ante se posuit, nihil omnino dicens puero. mittensq́; accersiuit omnes Primates ciuitatis, inter quos erant, & qui insidias parauerant. Vir autem beatissimus nolens eos publicare, qui hoc fecerant, voce mitissima omnibus dixit: si arbitramini humilem Iulianum veneno occidere: Ecce coram vobis pestiferum calicem bibo, signansq́; ter digito suo calicem, & dicens: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, bibo hunc calicẽ; bibit illum coram omnibus totum, atq; illæsus perstitit; quod illi, cùm vidissent, prostrati veniam petierunt.*

*Pall. hist. Lausiaca, cap. 1.* Memoriæ prodidit Palladius de Dorotheo, cui ipse aliquandiu operam dederat in vita spirituali; huiusmodi miraculum: *Quodam die ad puteum suum me misit circa horam nonam, vt impleret cadum, quò eo in refectione vteretur; cùm instaret hora cibi capiendi; accidit autem, vt cùm accessissem, infra in puteo viderem aspidem, & præ metu aquam minimè haurirem, sed currendo reuersus ei nunciarem dicens: Perimus, perimus Abba; Vidi enim aspidem inferius in puteo. Ille autem honestè subridens, quoniam mei magnam habebat rationem, & caput quatiens dixit; si visum fuerit Diabolo in omnem puteum inijcere serpentes & aspides, vel testudines, aut alia venenata animalia, in omnes fontes aquarum, tu manebis nunquam bibens. Ipse autem è cella egressus, cùm per se hausisset, bibit ieiunus, cùm prius signaculo crucis muniisset, & dixisset: Quò venit Seruator, illic viribus caret Diaboli improbitas.* Hæc Palladius.

Quin & ipsas maris vndas, hoc salutare signum dulces reddidit: *Sophr. in prato spirit. cap. 173.* nam cum Sophronio teste, Theodorus Anachoreta ex Palęstina Constantinopolim nauigaret, & in itinere cunctos aqua deficeret; *facta oratione signauit mare signo Crucis, & ait nautis: Benedictus Deus, haurite quantum aquæ opus habetis, impleuerunt q́; omnia vasa sua de mari aqua dulci, & omnes glorificauerunt Deum.*

## CAPVT LIV.

### *Virtute crucis cæcos fuisse illuminatos.*



*Greg. li. 1. Dialog. cap. 10.* HVIVS generis quatuor vel quinq; hic exempla commemorabimus, primumque sit illud, quod à S. Gregorio describitur de Fortunato Episcopo ciuitatis Tudertinę: *Dum oculorum quidam lumen amisisset, ad hunc deductus intercessionis eius opem petiit, & impetrauit. Nam cùm vir Dei, oratione facta, oculis eius signum Crucis imprimeret, ab iis protinus luce reddita, nox cæcitatis abscessit.*

*Victor lib. 2. de persecut. Vand.* Alterum cæcitatis depulsæ miraculum suppeditat nobis Victor Vticensis: *Erat Carthagine cæcus, ciuibus & ciuitati notissimus, nomine Felix. hic secundum quietem diuinitus semel atque iterum admonitus, vt adiret Eugenium Episcopum, visus recuperandi causa; eum adiit, visumq́; sibi restitui suppliciter postulauit; Cui Episcopus: Peccator homo ego sum, aiebat, sed qui te visere dignatus est,*

*est, praestet tibi secundùm fidem tuam, & aperiat oculos tuos, simulq; vexillo crucis consignante oculos eius, statim caecus visum, Domino reddente, recepit.*

Quid occasione huius miraculi, à S. Eugenio, Orthodoxorum maximo applausu patrati, inuidiae stimulis agitatus Cyrola, Arianus Episcopus, egerit; ita narrat Gregorius Turonensis: *Cernens hoc* (miraculum) *ille nequam Arianorum Episcopus, vocatum ad se quendam hominem ab illo, quo ipse viuebat, errore deceptum, ait, Non patior, quod hi Episcopi multa in populo signa depromant, illosq; cuncti, me neglecto, sequantur. Adquiesce nunc his, quae praecipio, & acceptis quinquaginta aureis sede in platea, per quam nobis est transitus, & manus super clausos oculos ponens; me praeeunte, cum reliquis, exclama in magna virtute, dicens; te beatissime Cyrola nostrae religionis Antistes deprecor, vt respiciens manifestes gloriam ac virtutem tuam, vt oculos meos aperiens merear lucem videre, quam perdidi. Qui iussa complens, residensq; in platea, transeunte haeretico, iste qui Deum irridere cogitabat, exclamat magna virtute dicens; Audi me beatissime Cyrola, audi me sancte sacerdos Dei, respice caecitatem meam, experiar ego medicamenta, quae saepe caeci reliqui à te meruerunt, quae leprosi experti sunt, quae ipsi etiam mortui persenserunt, adiuro te per istam virtutem, quam habes, vt mihi desideratam restituas lucem, quia graui sum caecitate percussus. Veritatem enim nesciens verum dicebat, quia caecauerat eum cupiditas, & virtutem Dei omnipotentis irridere per pecuniam aestimabat. Tunc haereticorum Episcopus paululum diuertit, quasi in virtute triumphaturus, elatus vanitate atq; superbia, posuit manum suam super oculos eius dicens: Secundum fidem nostram, qua rectè Deum credimus, aperiantur oculi tui. Et mox, vt in hoc nefas erupit, risus mutatur in planctus, & dolus Episcopi est patefactus in publico. Nam tantus dolor oculos miseri illius inuasit, vt eos digitis vix comprimeret, ne creparent.*

Gregor. Turon. lib. 2. Histor. Franc. cap. 3. & de gloria Confess. cap. 13. Lege eundem Turonen. lib. 6. Hist. Franc. ca. 6 & lib. 1 mirac. cap. 22.

*Deniq; miser clamare coepit ac dicere, Vae mihi misero; quia seductus sum ab inimico legis diuinae. Vae mihi, qui Deum per pecuniam irridere volui, & quinquaginta aureos accepi, vt hoc facinus perpetrarem. Ad Episcopum autem aiebat, ecce aurum tuum, redde lumen meum, quod dolo tuo perdidi. Vosq; rogo gloriosissimi Christiani, ne despiciatis miserum, sed velociter succurrite pereunti. Verè enim cognoui, quia Deus non irridetur. Tunc sancti Dei misericordia moti, Si, inquiunt, credis, omnia possibilia sunt credenti. At ille clamabat voce magna: Qui non crediderit Christum Filium Dei, & Spiritum sanctum aequalem habere substantiam atq; Deitatem cum Deo Patre; hodie quae ego perfero, patiatur.* Et adiecit: *Credo Deum Patrem omnipotentem; Credo Filium Dei, Christum Iesum aequalem Patri; Credo Spiritum sanctum Patri & Filio consubstantialem atq; coaeternum. Haec illi audientes, & se inuicem amore mutuo praeuenientes; oritur inter eos sancta contentio, quis oculis eius signum beatae crucis imponeret. Vindemialis verò ac Longinus, Eugenium; ille autem è contra eos exorat, vt manus imponerent caeco, quod cùm fecissent, & manus suas super caput eius tenerent, S. Eugenius crucem su-*

*per oculos cæci faciens ait: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti veri Dei, quem trinum in vna æqualitate, atque omnipotentia confitemur, aperiantur oculi tui. Et statim ablato dolore ad pristinam rediit sanitatem.* Hæc Gregorius Turonensis.

De S. Laurentio Martyre canit Ecclesia: *Quod per signum crucis cæcos illuminarit.* Quod hoc Epigrammate canit Fortunatus:

*Fortun. lib. 9. poëmat.*

*Laurenti meritò flammis vitalibus vste,*
*Qui feruente fide Victor ab igne redis:*
*Vir dilecte Deo, terreno in corpore quondam,*
*Tunc quoq; sidereus iam tibi sensus erat;*
*Qui potuisti oculos tactu reuocare sepultos*
*Rursus & in vacua fronte referre diem.*
*Luminis extinctas iterum accendisse lucernas,*
*Credimus hæc signo te faciente Crucis.*

*Sur. tom. 4.*

In actis S. Laurentij talis historia recensetur: *Cùm ingressus esset ædes Christiani cuiusdam; inuenit illic Crescentionem cæcum cum lachrymis ipsum rogantem, & dicentem: pone manum tuam super oculos meos, vt videam faciem tuã. B. Laurentius lacrymans dixit; Dominus noster Iesus, qui aperuit oculos cæci nati, te illuminet, impressoq; signo Christi in oculos eius, vidit lumen & beatum Laurentium, sicut petiit.*

*Sur. tom. 1.*

*Beda tom. 3. in vita S. Vedasti.*

Restituit & S. Vedastus cuidam cæco lumen, virtute Crucis, dum comes Clodouei Regis illum in fide instruit, quod miraculum ita refert Albinus Flaccus, vel Beda, S. Vedasti res gestas scribens: *Vngise pagus dicitur, prope Reguliacam villam, quæ sita est super florigeras Axonæ fluminis ripas. Et ecce eiusdem fluminis fontem, Rege* (Clodoueo) *transeunte cum multitudine populi, obuiauit illi cæcus quidam &c. Qui cùm intellexisset à prætereuntibus, S. Vedastum Christi seruum in eodem iter agere comitatu, clamauit, Sancte & electe Deo Vedaste, miserere mei Itaq; vir Dei totum se in sacras effudit preces, in diuina fidens pietate, & dexteram cum signo Crucis posuit super oculos cæci dicens: Domine Iesu, qui es lumen verum, qui aperuisti oculos cæci, ad te clamantis, aperi oculos istius, vt intelligat populus iste præsens, quia tu es Deus solus faciens mirabilia in cœlo & in terra. Mox ille cæcus, lumine recepto, gaudens perrexit viam suam, in quo loco, tempore sequenti à religiosis viris ædificata est Ecclesia, in testimonium miraculi istius, in qua orantibus & credentibus vsq; hodie beneficia præstantur diuina.*

*Bar tom. 4. anno 384.*

Acta S. Damasi Papæ olim in Ecclesia recitari solita, dicit Baronius se habere in duobus peruetustis codicibus, quæ etiam in Codice Vaticano extent, & in alio apud S. Mariam Maiorem, vbi habetur, cæcum annis tredecim, redeunti è basilica Vaticana, vbi supra altare Petri Apostoli Missã celebrarat, occurrisse Damaso, qui signarit oculos

los eius signo crucis, illa adiiciens verba, *Fides tua te saluum faciat.* & confestim apertos esse oculos eius.

Sed sunt innumeri, qui cæcis signo crucis lumen restituerunt. inter quos S. Albinus Andegauensis Episcopus, teste Fortunato. S. Svvibertus, teste Marcellino presbytero. S. Eustachius Abbas Luxouiensis, teste Iona Scoto & Beda. S. Radegundis regina, auctore Fortunato. Idem scribit de S. Fortunato, Tudertino Episcopo, S. Gregorius. De S. Portiano, Gregorius Turonensis. De S. Eligio Nouiomensi Episcopo, Audoënus Rothomagensis Episcopus. De S. Amando, Milo monachus. De S. Leopoldo, Gregor. Turon. & de S. Senoch idem.

*Fort. in Vita Alb. Marc. Vit. Suuib c. 17. & 9. Ion. Vita Eustachij. Beda tom. 3. Fort. Vit. Radeg. Greg. 1. dial. c. 10. Turon. Vit. PP. c. 5. Audo. de Eulig. 1. c. 29. Milo in Vita Amandi. Turon. lib. de Vita SS. PP. c 12 & lib. de S. Senoch.*

## CAPVT LV.

### *Mutos, Claudos, Aridos, & Paralyticos Crucis signo recepisse vsum membrorum; & mortuos vitam.*



SANCTVS Theodorus Sicæorum Archimandrita, mutam puellam Crucis signo sanauit, *& ter insufflauit, puellamq́; iam loqui valentem dimisit.*

*In Actis S. Theod. apud Sur. tom. 2. Beda 5. hist. Angl. c. 2.*

De S. Ioanne Eboracensi Episcopo Beda: *Signum S. Crucis linguæ impressit, quam signatam reuocare in os, & loqui illum præcepit: Dicito, inquiens, aliquod verbum: dicito, Gege quod est lingua Anglorum verbum affirmandi & consentiendi, id est, etiam. Dixit ille statim soluto vinculo linguæ quod iusserat.*

Mutos cruce sanarunt S. Niceta, auctore Theosterico eius discipulo. Et S. Arnulphus Suessionensis Episcopus, teste Lisiando eius successore.

*Theost. orat. Funeb. in Nic. Lisiand Vit. Arnulphi c. 23.*

Gregorius Turonensis: *Quidam iuramentum mendax in Ecclesia protulit mox rigente lingua mutus effectus est: ita vt, non vocis humanæ, sed bidentis mugitum simulare videretur, &c. Egressusq́; presbyterum, qui aderat, nutu deprecabatur, vt signum Crucis faucibus clausis imponeret; quod, cùm presbyter fecisset, iterum prosternitur ad orationem protinusq́; eleuatus, vocis officio reddito, omnia, quæ protulerat, proprio patefecit eloquio.*

*Greg. Tur de glor. Confess. cap. 29.*

Mulierem omnibus membris contractam, tantumque humi repentem, sanarunt sanctissimi Episcopi Cæsarius Arelatensis, & Eucherius Lugdunensis. Rem ita narrat Cyprianus scriptor rerum gestarum S. Cæsarij: *Cùm aliquando S Cæsarius circa Alpes iter ageret, vir venerabilis S Eucherius Lugdunensis Episcopus, cum illo erat; accidit tum, vt in media via infelix & morbida mulier iis occurreret, manibus & pedibus contractis, per terram reptans; quam cùm esset intuitus B. Cæsarius interrogauit S. Eucherium, quid*

*Apud Sur. tom. 4.*

*quid hoc esset, quod illa per terram ita se traheret: Eucherius interrogabat fœminam: Illa respondit: se multis annis membris fuisse contractam. B. Cæsarius dicit S. Eucherio; descende, & consigna eam. Illo quasi trepidante & excusante sese, Cæsarius instat & vrget: Tandem Eucherius descendit & consignat eam: aitq; Ecce feci quod iussisti. Dicit ei Cæsarius; Extensa manu apprehende manum illius, & erige eam. Ille respondit, Quidquid aliud iusseris non recusabit Eucherius tuus, istud vt faciam adduci non potero, tuum est hoc facere, cui præstitit Deus gratiam animas & corpora languentium curandi. Cæsarius ait, Tu interim facito, quod dico. Illo planè renitente, & cum multa modestia, & cum lachrymis se excusante, diuq; facere detrectante; Cæsarius dicit; Tune obedientiæ causa, in ignem ingressurus es, qui nec misericordia adduci potes, vt facias quod charitas iubet? Mitte in nomine Domini manum tuam, & erige eam: tunc ille obediens porrigit fœminæ manum, & subleuat eam. Illa verò mox integrè sanata abiit ad hospitiolum.* Paralyticos cruce sanarunt S. Suuibertus, teste Marcellino presbytero, & S. Placidus martyr, teste Gordiano.

*Marc. Vit. Suuib. cap. 18. Gordian. Vit. Plac. cap. 18. S. Paulin. lib. 2. de Vita S. Martini.*

Sanauit etiam S. Martinus puellam Paralyticam oleo signo Crucis benedicto, quod miraculum his versibus refert Paulinus:

*Quondam Treuericis in mœnibus innuba virgo,*
*Tabuerat consumpta graui paralytica morbo,*
*Atq; omni motu torpentia membra carebant,*
*Officiis priuata suis; iam carne relicta*
*Spirabat tenuis frigenti in pectore flatus.*
*Pallebant pauidi vicina morte propinqui,*
*Arentesq; artus lacrymarum fonte rigabant;*
*Tristis & obsequij mœstum contraxerat agmen*
*Exequiis præbendus honor, cum murmure flentum.*
*Concitus erumpit reserato nuncius ore*
*Martinum venisse ferens, cui prona facultas*
*Optatam. † sanctis pedibusq; aduoluitur orans*
*Auxilium; & largo spargit vestigia fletu,*
*At singultantes rumpunt suspiria voces*
*Et plus de precibus lacrymæ quàm verba loquuntur, &c.*
*Ille vbi semineci miseratus tabida vidit*
*Membra, & consumptis languentis lumina malis:*
*Ossibus hærentem siccato corpore pellem;*
*Et cutis infuso vitiatum felle colorem,*
*Subtracta & penitus constricta murmura linguæ.*
*Ad terram toto confestim corpore pronus*
*Sternitur, à Domino verbi medicamina poscens,*
*Cui iussisse sat est, atq; artem vincere nutu;*

*† Deest aliquid in exemplari S. Paulini.*

*Sen-*

*Sensit adesse Deum, promi deposcit oliuum:*
*Oblato accedit benedictio sancta liquori:*
*Exin mutati congaudens vnguine succi,*
*Singula contingit medicato chrismate membra;*
*Admota expellit veterem pia dextra dolorem, &c.*
*Quod postquam virtutis opus celeberrima cœtus*
*Mœnia compleuit; certatim accurrere cuncti,*
*Quorum vel mentes Dæmon vel corpora morbus*
*Obruerat.*

Quomodo S. Hospitius cuiusdam Longobardi aridum brachium cruce sanauerit, habetur apud Gregorium Turonensem, & Paulum Diaconum. Mortuum signo crucis excitauit S. Placidus Martyr, teste Gordiano famulo S. Placidi, qui vitam eius scripsit Iustiniani iussu. *Tur. 6. Hist. Franc. c. 6. & 7. Paul. Diac. lib. 3. hist. Longob. cap. 2. Gord. in Vita Placidi cap. 18.*

De S. Corbiniano Frisingensi Episcopo hæc refert Ottho Frisingensis: *Ad regem Pipinum iter faciens, latronem suspendio adiudicatum, dum precibus à iudice liberare non valeret, signo crucis muniuit. profectusq; ad regem, reum illum iam suspensum, siue viuum, siue mortuum sibi donari postulat & impetrat. celeriterq; reuersus illum triduanum in patibulo viuum repertum, illæsum deposuit.* *Ottho li. 5. c. 24.*

Suscitauit etiam mortuos Germanus Episcopus Parisiensis; qui sub Iustiniano Imperatore vitæ sanctimonia & miraculis claruit: quod his verbis refert Fortunatus: *Adest nec minus laudabile, reddita vitæ infantulæ. Cùm itaq; in Turonico illustris cuiusdam viri, nomine Pientis, matrona expositæ filiæ lamentaretur extrema, & obseratis iam oculis, nec anhelitum mobilem respiraret infantula, ad sancti viri præsentiam tota inde committit præsidia. Qui per nuncium celeriter inuitatus, quantum valet ad conclamatæ puellæ cadauer properat. Exceptus igitur multis fletibus, vtpote omni deplorante familia, appropinquat subsellio, in quo rigebat infantula, cælo vim placidis faciens conquestibus. Fere transacto inter hæc quasi vnius horæ spatio, mobili singultu flatus puellæ reducitur, ac viscerum vitalis calor per membra diffunditur. Dehinc paulatim animata potum poscit, vt biberet. Tunc à beato viro, pane signato vel calice degustato, infantula reuocata de funere, tota vertitur in salutem. Quæ etiam pòst in monasterio beatæ Radegundis felicioris vitæ terminum consummauit.* *Fort. in Vita S. Germ. cap. 35.*

De alio infante, quem sanctus Germanus virtute signi Crucis vitæ restituit, idem Fortunatus: *Cùm Parisiis ad Basilicam sanctæ Crucis, in suburbio eiusdem ciuitatis positam, vir Dei processisset, mulier quædam paruulum in albis adhuc vltimo flatu palpitantem & iam migraturum, ante sanctum exposuit, dicens, Pie pater, si velles ad lamentantem respicere, mater flebilis non orbarer, neq; hinc discedere malles plenam gemitu, vacuatam de fructu. Et nisi, ait festines* *Fortun. in Vita S. Germ. ca. 43.*

*stines succurrere, vides infelicem, extorquente morte, rapi natum ab vbere. Aut ergo filium restitue, aut pariter cum ipso funeraturam me obtine. Indulge pastor miseræ quam suus dolor audacem facit. Quæ sic flebiliter poscente, mox vt beati dextera supra expirantem signum Crucis impreßit, quasi vigil de sopore, infans lac matris expetiit, qui iam manifestè rigebat in funere. Ita momento temporis & filius de mortis fauce, & mater tollitur de mœrore. Hinc circumstans populus stupore concutitur, fragor in partes attollitur gratias referentium de præconio sacerdotis præcipui, à quo morbis iugiter & mortibus imperaretur.*

## CAPVT LVI.

### *Signo Crucis truculentas feras cicuratas, flammasq; repressas esse.*

*Euseb. lib. 8. Hist. Eccles. c. 7.*



EVSEBIVS egregia Martyrum quorundam exempla recensens, meminit cuiusdam adolescentis his verbis: *Vidisses adolescentulum, non viginti annos integros natum, nullis constrictum vinculis, firmiter consistentem, manibus in Crucis modum è transuerso expansis, robusta & excelsa mente in precibus ad Dei numen fundendis ardentißimè defixum, neq; omnino se commouentem, neq; in hanc vel illam partem de loco, in quo steterat, deflectentem, idq; cùm vrsi & pardi furorem & mortem in eum exhalarent, cumq; iam eius carnem dentibus lacerare aggrederentur, quorum ora diuina quadam & inexplicabili potentia, nescio quo pacto fuére prope obturata, & iterum ipsi retro properè recurrerunt.*

*Fortunat. in eius vita apud Sur. tom. 3.*

De vrsis signo Crucis à S. Germano Episcopo Parisiensi occisis, ista Fortunatus: *Eunte sancto viro ad beati Martyris Symphoriani occursum, habitatores loci occurrentes, suggerunt, vt segetem Panitiæ mulieris viduæ, nihil habentis residui, quæ ab vrsis vastabatur, visitare præciperet, vel sancto suo aduentu illa bestialis repelleretur incursio. Et concitus, ministris quidem irridentibus, ad locum perducitur, & oratione data, desuper fecit Crucis signaculum. Hinc itaq; instinctu diuino in parentalibus solito aduentantibus bestiis, feralis ira succenditur, odium nascitur in affectu, in pace pugna committitur. Ergo furore bis armantur, & statim præfocatur vnus vrsus ab altero. Ipse verò, qui restiterat, dum vellet egredi, illico sepis palo transfoditur.*

*Hild. in Areopagiticis ad Ludouicum Imp.*

Et feras, & flammas signo Crucis repreßit S. Dionysius Areopagita, teste Hilduino: *Ad bestias ferocißimas, in rabiem multo ieiunio excitatas, proiectus surrigitur. Quas, cùm impetu validißimo cõspexisset accurrere, contra eas faciens signum Crucis, & suspiciens in cælum, ait; Tu Domine, qui semper idem es, adesto nunc mihi, eandem potentiam exerendo, quam in lacu seruo tuo Danieli misericorditer contulisti. Peruenientes autem ad eum bestiæ, mansuetißimè procidebant.*

*bant ei. Præparantur quoq; ingentia clibani incendia, & in ea vir Domini S. Dionysius, vexillo S. Crucis armatus, proiicitur. Et hic, inquiens, mihi non deeris Domine* IESV *Christe, vt illæsus, hac etiam perpetui tormenti imaginaria concrematione egrediar, roreq; tui sancti Spiritus, hos fidei meæ sedes rogos, qui rhomphaeam ignitam in custodiam Paradisi, cruoris tui latice, fidelibus tuis ad vitam præbens transitum, exstinxisti.*

Sulpicius Seuerus dum narrat, quomodo improuisum incendium exortum sit illo in conclaui, in quo S. Martinus quadã vice dormiebat: *Martinus*, inquit, *somno excitus re inopinata, ancipiti periculo, & maximè, vt referebat, Diabolo insidiante, atq; vrgente, præuentus, tardius quàm debuit ad orationis confugit auxilium. Nam erumpere foras cupiens, cum pessulo, quem ostio obdiderat, diu multumq; luctatus, grauissimum circa se sensit incendium, adeò vt vestis, qua indutus erat, ignem assumpserit; tandem in se reuersus, non in fuga, sed in Domino esse præsidium, scalam fidei, & orationis arripiens, mediis flammis, totus ad Dominum conuersus, incubuit; tum verò diuinitus igne submoto, innoxio sibi orbe flammarum, orabat.* Et post pauca: *Cæterùm mihi ipse referebat, & non sine gemitu fatebatur, in hoc se Diaboli arte deceptum, vt excussus è somno, consilium non haberet, quo per fidem & orationem periculo repugnaret: Deniq; tamdiu circa se sensisse ignem, quamdiu erumpere ostium turbatus mente tentauerit. Vbi verò auxilium Crucis & orationis arma repetisset, medias cessisse flammas, seq; tunc sensisse rorantes, quas malè esset expertus vrentes.* Incendium, quod Dagoberti regiam corripuerat, extinxit signo crucis S. Arnolfus, teste Beda.

*Sulp. epist. 1. ad Euseb. Presbyt. Vide Greg. Turon. lib. de gloria Confess. ca. 56. & lib. de Vita SS. PP. ca. 2.*

*Beda tom. 3 in Vita S. Arnolfi.*

Signo Crucis munitus per rogum illæsus transiit Copres Abbas apud Palladium, qui ipsum Coprem, miraculum narrantem, his verbis introducit: *Cùm in ciuitatem aliquando descendissem, inueni quendam virum Magum, qui populos seduxerat. Cùm autem non possem ei publicè persuadere, dixi conuersus ad multitudinem; Magnum rogum in platea accendite, & ingrediamur in flammam, & qui ex nobis illæsus manserit, is habet bonam fidem. Postquam autem hoc factum est, & turbæ rogum accenderunt, ipsum mecum attrahebant in ignem. Is autem dicit: Vnusquisq; seorsum ingrediatur, debesq; primus ingredi, qui iussisti. Cùm autem in nomine Christi signatus essem ingressus, flamma in hanc & illam partem diuisa, me nulla affecit molestia, cùm semihoram in ea essem moratus; Turbæ autem, viso miraculo, exclamarunt, & cogebant illum pyram peruadere, is autem nolebat timore affectus. Cùm autem eum accepissent populi, in medium protruserunt, & totus flamma ambustus, eiectus est ex ciuitate.* Incendium Cruce exstinxit S. Remigius Rhemensis Episcopus, vt scribit Hincmarus eiusdem loci Episcopus.

*Pallad. Hist. Lausiac. c. 49.*

*Hincm. in Vita S. Remigij.*


De Leone IV. Pontifice hæc Anastasius Bibliothecarius in eius vita; *In Pontificij sui exordio, Saxonum vicum validus ignis inuasit, qui flamma-*

*Anast. Biblioth. in Leone IV.*

*rum violentia cuncta comburere cœpit validius, vbi populorum multa congregata sunt agmina, quæ huius incendij flammas volebant exstinguere: sed ventorum flatibus altius extendebatur ignis in aëre cuncta comburens, atq; comminuens, &c. Quo audito, ipse beatissimus Pontifex anxius illuc celeri cursu profectus est; & vt ob huius tanti ignis impetum se præpararet, Dominum deprecari cœpit, vt huius incendij flammas exstingueret: & vbi Crucis propè frequentauit signacula digitis, amplius ignis extendere flammas non potuit: & beati virtutem ferre non valens Pontificis, exstinctas flammas redegit in cinerem.*

## CAPVT LVII.

*Crucis signo immanis molis pondera transferuntur & mouentur loco; item ruinam minitantia inhibentur altoúe aguntur: clausa referantur; & similia quædam.*



NDIAE populi in Cranganore, Coromandele, aliisque locis Indiæ à S. Thoma Apostolo ad Christum conuersi, sciscitantibus Lusitanis inter alia etiam hoc non tantùm è fama, sed & ex annalibus veterum ediderunt, vt refert Maffeus: *Sacram ædem exstruere aggressus Apostolus, cùm à dæmonum sacrificulis, & ab Sagamo rege prohiberetur, res interim insignis accidisse perhibetur ad Christi virtutem, & fidem Euangelicam comprobandam. Inusitatæ magnitudinis truncum, vt fit, in littus eiecerat mare, quod eo tempore leucas ferè decem ab vrbe distabat. Eam rex materiam cùm in vsum ædificij cuiusdam vehementer expeteret, robusti inprimis homines incassum funibus ergatisq; amouere conati. dein' adhibiti complures elephanti, cum toto connixi impetu nihil omnino proficerent; Apostolus regi conditionem tulisse fertur, si truncum illum sibi ad templum vero Deo ædificandum daret, nullis machinis, nullo mortalium adiutore, se se protinus eum ad vrbem attracturum. Cùm rex, insanire videlicet hominem ratus, per ludibrium annuisset; tum Diuus Thomas zona qua erat præcinctus, ad prominentem è caudice ramusculum annexa, signo tantum facto crucis, immanem stipitem facili ductu sequentem, vniuersa ad spectaculum effusa ciuitate in ipso pomærio statuit, ibidemq; defixa lapidea cruce, vaticinatus est, cùm ad eum lapidem vsque pertingeret pelagus, tum diuino iussu è remotissimis terris candidos homines ad eadem, quæ ipse intulisset sacra instauranda venturos. Neq; fefellit prædictio. Siquidem sub Lusitanorum appulsum, occultis tot annorum accessibus locus Oceani demum allui cœptus.*

*Maff. lib. 1. hist. Indicarum.*

Quomodo S. Martinus ingentis molis arborem prostratam erexerit signo crucis, docet Gregorius Turonensis: *Fuit & in Nobiliacensi pago vrbis Turonicæ arbor, quæ ab impulsu venti ruens, viam publicam impediebat:*

*Turo de gloria Confess. cap. 7.*

*bat: quod iter cùm vir beatus ageret, viantium motus misericordia, facto desuper signo Crucis, erexit eam, quæ vsque nunc stare iuxta viam erecta visa est, etiam præmortua; quia spoliata cortice, viuebat tamen honore viridi: de quo cortice multi fideliter eradentes, vt dilutam aquam sumebant, mox medicamina capiebant. Vidimus enim nos hanc arborem erectam.*

S. Gregorius Magnus de Honorato monasterij Fundensis Abbate: *Quadam die ex eo monte, qui eius monasterio in excelso prominet, ingentium saxi moles eruta est, quæ per deuexum montis latus veniens, totius ruinam cellæ, omniumq; fratrum interitum minabatur: quam cùm venientem desuper vir sanctus vidisset, frequenti voce nomen Christi inuocans, extensa mox dextra, signum ei crucis opposuit, eamq; in ipso deuexi montis latere cadentem fixit, & quia locus ei non fuerat, quo inhærere potuisset, aspicitur ita, vt nunc vsque montem cernentibus casura pendere videatur.* Greg. li. 1. Dialog. cap. 1.

S. Dunstanus, teste Osberto, *signum salutiferæ crucis ruenti machinæ obiiciens, eam sine funibus, & sine omni humano conamine in superiora redire, ac in loco, ad quem prius cum magno labore trahebatur, iacere coëgit.* Osbert. in Vita S. Dunstani.

Pinus *grata Deûm matri* est, ait Ouidius, Ouid. 10. meta.

*siquidem Cybeleius Atys*
*Exuit hac hominem, truncoq; indurauit illo.*

Arnobius: *Pinus illa solenniter, quæ in Matris infertur sanctum deæ.* Ex quibus colligo, Cybele quoque sacram & dæmoni dedicatam fuisse illam pinum, quam cùm S. Martinus quodam in pago exscindere cuperet, nec tamen à rustica plebe id impetrare posset; *tum ex illis vnus qui erat audacior ceteris,* (verbis Seueri Sulpicij vtor) *Si habes, inquit, aliquam de Deo tuo, quem dicis te colere, fiduciam, nosmetipsi succidemus hanc arborem, tu ruentem excipe; & si tecum est tuus, vt dicis, Dominus, euades. Tum ille intrepidè, confisus in Domino, facturum se pollicetur: hic vero ad eiusmodi conditionem omnis illa gentilium turba consentit, facilemq; arboris suæ habuere iacturam, si inimicum sacrorum suorum casu illius obruissent. Itaque cùm vnam in partem pinus illa esset accliuis, vt non esset dubium, quam in partem succisa corrueret, eo loco vinctus statuitur pro arbitrio rusticorum, quò arborem esse casuram nemo dubitabat. Succidere igitur ipsi suam pinum ingenti gaudio lætitiáque cœperunt: aderat eminus turba mirantium, iamq; paulatim nutare pinus, & ruinam suam casura minitari: pallebant eminus monachi, & periculo iam propiore conterriti, spem omnem fidemqúe perdiderant, solam Martini mortem expectantes. At ille confisus in Domino intrepidus operiens, cùm iam fragorem sui pinus concidens edidisset, iam cadenti, iam super se ruenti, eleuata obuia manu, signum salutis opponit. Tum vero turbinis modo (retroactam putares) diuersam in partem ruit, adeò vt rusticos, qui tuto loco steterant, pœnè prostrauerit. Tum verò in cœlum clamore sublato, gentiles stupuere mi-*

Arnob. lib. contra gentes.

Sulp. lib. de Vita S. Martini.

De arboribus, quæ dæmoniis sacrata, lege Concil. Nannetense, can. 8. & Conc. Rotomagense can. 4. & Braccarense can. 22.

raculo, monachi flere prægaudio. Christi nomen in commune ab omnibus prædicatū est, satisq; constitit, eo die salutem illi venisse regioni.

*Paul. lib. 2 de vita S. Martini. Eadem Fortunatus lib. 1. c. 13.*

Eadem eleganter describit S. Paulinus:

*elidendus iam parte locatur in illa*
*Qua pronus toto pendebat stipite truncus:*
*Iamq; inclinatis nutanti pondere ramis*
*Subiecta haud dubiæ terrebat mole ruinæ.*
*Insistunt totis certantia gaudia votis,*
*Ictibus assiduis crebrisq; bipennibus instant, &c.*
*Ille metum prohibente fide, formidine pulsa,*
*Vicinam opperiens constanti corde ruinam,*
*Ne citò conuersam cernens perfidia pinum,*
*Ad casum reuocaret opus, meritumq; negaret,*
*Dum putat euentum: sed iam propiore periclo,*
*Erigit armatam signi munimine dextram,*
*Opponitq; crucem qua protinus impetus omnis*
*Frangitur, & celeri propere motata rotatu*
*Diuersam in partem pernici turbine pinus*
*Fertur in auctores sceleris.*
*Christum lingua sonat, Christum simul ore benigno*
*Ignari gnariq; canunt: pars ista fauorem*
*Agnoscit, petit illa fidem.*
*Nam certè nullus penitus fuit agmine in illo,*
*Qui non rettulerit sperata dona salutis,*
*Adiectus gregibus Domini munimine signi.*

Sic & S. Romualdus cæsam arborem, quæ iam præcipitem ruinam minitabatur, in diuersam partem conuertit, signo Crucis obiecto, vt scribit Petrus Damiani.

*Damia in vita S Romualdi.*

*Acta S. Sulpit. apud Surium 17. Ian.*

De S. Sulpitio Bituricensi hæc eius Acta: *In loco, qui Auatra dicitur, arbor immanis erat, quam vir sanctus securibus iussit succidi. Ea cùm iam laberetur, puerum sibi non prospicientem penè oppressisset. Sed vir sanctus extensa protinus manu, signum Crucis edit contra cadentem arborem, qua modo admirabili in aliam se partem reflectente, puer præsentissimum mortis periculum illæsus euasit.*

*In Actis S. Auxētij apud Sur. tom. 1.*

S. Auxentius globum signo Crucis mouit loco & soluit, quod nulla vi ab artificibus fieri poterat.

*Pallad. Lausia. hist. sect. 74.*

De Euagrio quem Gregorius Nyssenus Diaconum ordinauit, hæc refert Palladius: *Cùm quodam die periisset clauis Ecclesiæ, serra cruce signata, manu trudens eam aperuit.*

Aliud miraculum virtute crucis à S. Martino patratum memoriæ prodidit Sulpitius his verbis: *Accidit dum iter ageret, vt gentilis cuiusdam*

*corpus,*

*corpus, quod ad sepulchrum cum superstitioso funere deferebatur, obuiam haberet, conspicatusq; eminus venientium turbam; quidnam id esset ignarus, paululum stetit. Nam ferè quingentorum passuum interuallum erat, vt difficile fuerit dignoscere quid videret: tamen quia rusticam manum cerneret, & agente vento linteamina corpori superiniecta volitarent, profanos sacrificiorum ritus agi credidit: quia esset hac Gallorum rusticis consuetudo, simulachra dæmonum, candido tecta velamine, misera per agros suos circumferre dementia. Eleuato ergo in aduersos signo Crucis, imperat turbæ non moueri loco, onusq; deponere: hîc verò mirum in modum videres miseros primùm velut saxa riguisse, dein' cùm promouere se summo conamine niterentur, vltra accedere non valentes, ridiculam in vertiginem rotabantur, donec victi pondere, corporis onus deponunt, attoniti, & semet inuicem aspectantes, quidnam sibi accidisset, taciti cogitabant. Sed beatus vir, cùm comperisset exequiarum esse illam frequentiam, non sacrorum, eleuata rursum manu dat eis abeundi & tollendi corporis potestatem. Ita eos & cùm voluit, stare compulit, & cùm libuit, abire permisit.* *Sulp li. 1. cap. 9. Eadem S. Paulinus lib. 2. de vita S. Martini, & Fortunatus lib. 1. cap. 12.*

Impetum inundationis signo Crucis fuisse auersum scribit Beda: *Vade ad Bobium* fluuium, inquit S. Attala; alloquens Sinoaldum Diaconum, *imperantiq; voce dicito ei, signo dominicæ Crucis prælibato, vt istas desinat perfodere ripas.* *Beda tom 3. in vita S. Attala.*

Quin & carceres signo Crucis aperti sunt. De Ioannicio celeberrimo Eremita, temporibus Imperatorum Iconoclastarum Leonis Armeni, Michaëlis Balbi, & Theophili, refert auctor, qui res ab eo gestas literis mandauit, miraculum stupore, & admiratione plenissimum: nempe, eum omnes Romanos, qui à Bulgaris captiui tenebantur, post deuictum Nicephorum Imperatorem, ex carceribus liberasse solo Crucis signaculo omnibus seris, & vectibus reserandis, & amoliendis adhibito: nulliq; conspicuum per medias excubias eduxisse: nec abscessisse, donec liberos in Romano solo statueret. *Apud Surium tom. 6.*

Sic S. Columba signo Crucis clausas fores patefecit: *Primùm Dominicæ Crucis imprimens signum*, inquit Adamannus, *tum deinde manum pulsans contra ostia ponit, quæ continuò sponte retrusis fortiter seris, cum omni celeritate aperta sunt.*


Nec solùm beneficia signo Crucis hominibus collata sunt, sed & interdum eodem signo improbitas seuerè est castigata: Iacobus Nisibita impudentiam quarundam puellarum execratione puniuit, & mox illam ipsam pœnam diuinitùs inflictam, benignè depulit: quæ virtute signi Crucis ab ipso fuisse perfecta, ait Theodoretus rem ita referens: *Cùm fontem transmitteret, puellæ quædam, quæ pannos lauabant, & vestes pedibus emundabant, ne nouum quidem, & qui decentem præ se ferebat grauitatem, sunt reueritæ habitum, sed exuto pudore, & perfricta facie, & impuden-* *Theod. hist. relig. in Iacobo.*

*tibus oculis diuinum hominem aspiciebant, neque capita operientes, neque vestes, quas succinxerant demittẽtes. Hoc cùm agrè tulisset homo Dei, & vellet Dei virtutem in tempore ostendere, vt facto miraculo liberaret ab impietate, fontem quidem est execratus, & fluentum confestim euanuit. Puellas quoque est execratus, & impudentem earum iuuentutem castigauit canis antè tempus inductis, & sermonem factum est insecutum. mutatusque est nigror pilorum; & similes euaserunt nuper plantatis arboribus, quæ vere circumtectæ sunt foliis autumnalibus.*

*Eæ autem cùm sic sensissent supplicium, (nam & fontis fluenta effugerant, & sua inuicem capita intuentes, videbant repentinam illam mutationem) cursu ad vrbem contenderunt, renunciaturæ illud, quod acciderat. Illi autem cùm accurrissent, & magnum Iacobum offendissent, rogauerunt vt iram compesceret, & supplicium remitteret. Ille autẽ non diu cunctatus, Domino quidem preces obtulit: fluenta autem rursus scatere iussit. Illa verò mox rursus è suis emanarunt penetralibus, iussi deriuata nutibus. Illi autem cùm hoc impetrassent, petebant vt filiarum quoque suarum crinibus color suus redderetur. Aiunt autem eum hoc quoque concessisse, requisisse autem puellas, quæ illam acceperant disciplinam; & quoniam non venerunt, reliquisse supplicium, documentum temperantiæ, & argumentum moderationis, & diuinæ virtutis perpetuum, & euidens monumentum. Tale est noui huius Mosis miraculum, quod quidem non factum est virgæ percussione, sed operationem accepit signo Crucis.*

## CAPVT LVIII.

### *Signo Crucis etiam bruta consignantur ad luem & morbos depellendos.*



NON hominibus duntaxat, sed & brutis Crucis signum crebrò salutare fuit. Referemus alibi, quomodo Aphraates Imperatorium equum inprimis pretiosum, virtute crucis sanauerit. *Iussit aquam hauriri ex puteo,* inquit Theodoretus, *& cùm ei salutaris Crucis signum imposuisset, iussit eam ad equum adferre.*

*Theod in hist. religiosa.*

Luem à pecoribus signo Crucis depulsam refert Gregorius Turonensis: *Quodam tempore dum sæua lues taliter desæuiret in pecora, vt nec ad recuperandum genus putaretur aliquod remanere, quidam de nostris Basilicam sanctam adiit, oleumque lychnorum, qui cameræ dependebant, suscepit cum ipsis aquis in vasculo, deportatoque domum, pecora quæ adhuc hic morbus non attigerat, intincto digito in liquore, per frontes & dorsa cruce dominica signat, ipsisque terræ animalibus deiectis ac resupinatis, ex hoc vnguento, fide plenus fudit in ore. Mox dicto citius clandestina peste propulsa, pecora liberata sunt.*

*Tur. lib 3. mir. S. Martini c. 18.*

De

De equo rabido S. Gregorius Magnus: *Equus cuiusdam militis, in rabiem fuerat versus, ita vt à multis teneri vix potuisset, sed quoscunque potuit inuadere, eorum membra morsibus dilaniaret, tunc vtcunque à multis ligatus ad virum Dei* (Fortunatum Episcopum Tudertinum) *deductus est, qui mox eius capiti, extensa manu, signum Crucis edidit, & cunctam eius rabiem in mansuetudinem mutauit, ita vt postea mitior existeret, quàm ante illam insaniam fuisset.* *Greg. li. 1. Dialog. cap. 10.*

Simile quiddam legitur in vita S. Theodori, cuius iam aliquoties meminimus: *Mulier quædam mulam habebat,* inquit Eleusius, *quæ nec frenum, nec sellam admittebat, sed se pedibus sublatis erigens, mansuefieri nullo modo poterat. Hanc mulier duxit ad monasterium, cui vir sanctus, Crucis signo adhibito, dixit: Benedictus Deus, ne post hac amplius fera peruersaq; sis, sed freno suscepto heram tuam insidentem admitte, cum omni mansuetudine. & statim illi mulier insedit, neque amplius obtemperare recusauit.* *In Actis sancti Theodori apud Sur. tom. 2.*

Extat Seueri Rhetoris & Poëtæ Christiani carmen bucolicum de mortibus boum, in quo miratus pastor, cur tot ex suo grege boues in singulos dies sæua illa lue corriperentur, & absumerentur, ex sodalis verò sui armento nullus omnino, *Dic age,* inquit, *Tom. 8. Biblior. SS. PP.*

*Quis te surripuit cladibus his Deus,*
*Vt pestis pecudum, quæ populata sit*
*Vicinos, tibi nulla sit.*

Respondet alter:

*Signum quod perhibent esse Crucis Dei,*
*Magnis qui colitur solus in Vrbibus,*
*Christus perpetui gloria numinis,*
*Cuius filius vnicus:*
*Hoc signum mediis frontibus additum*
*Cunctarum pecudum certa salus fuit;*
*Sic verò Deus hoc nomine præpotens*
*Saluator vocitatus est.*
*Fugit continuò sæua lues gregis;*
*Morbis nil licuit.*

Et infrà, petens alter pastor, vt eodem signo consignetur, in Baptismo videlicet, sic ait:

*Et me consiliis iungite prosperis.*
*Nam cur addubitem, quin homini quoque*
*Signum prosit idem perpete seculo*
*Quo vis morbida vincitur?*

Testatur etiam S. Chrysostomus, cùm frequentissimum Crucis vsum decantat, Crucis signum & figuram reperiri in corporibus brutis malè affectis. Hactenus de secundo S. Crucis effectu. *Chrysost. Orat. quòd Christus sit Deus.*

## CAPVT LIX.

### *Probatur tertius S. Crucis effectus, qui est sanctificare res, quibus imprimitur, ponunturq́; septem miracula per aquam benedictam edita.*



SOLET signum S. Crucis super varias res inanimatas efformari, vt super aquam, oleum, panem, salem, ramos, cereos, &c. easq́ue precibus & signo Crucis sanctificari, vt ad effectus suprà naturam edendos valeant, omnes persuasum habent, quæ tamen sanctitas non est qualitas aliqua in ipsis rebus inhærens, sed consistit in relatione, hoc est, in designatione & deputatione quadam huiuscemodi rerum ad effectus supernaturales producendos, tunc cùm ad eosdem à fidelibus, mente pia & pura adhibitæ fuerint; Eximuntur enim per signum Crucis & Orationes Ecclesiæ, sanctorumq́ue, ex numero rerum vulgarium, incipiuntq́ue esse instrumenta Dei & hominis, qui eis vtitur, vel vt Dæmones, eiusq́ue præstigiæ fugentur, vel vt morbi & alia mala propulsentur.

Non est autem nobis propositum, omnia quæ de Benedictionibus disputari solent, persequi hoc loco, satis fuerit in præsenti ostendere, quanta virtus aliquando aquæ, oleo & pani ex Crucis signo accesserit, ducto initio à miraculo per Marcellum, Apamenorum Episcopum sanctissimum, edito, in demolitione fani cuiusdam, cùm enim ignis templo iniectus restingueretur Dæmonis arte, Marcellus ad Christianorum templum sese conferens, *in vasculo aquam adferri iubet, qua supposita sacro altari*, inquit Theodoretus, *ipse in faciem humi prostratus benigno supplicabat Domino, ne vlterius progredi Dæmonis tyrannidem pateretur, sed vt & illius infirmitatem detegere, & suam potentiam demonstrare vellet, ne qua hinc maioris detrimenti occasio infidelibus existeret. Hæc & alia huiusmodi precatus, figura Crucis aquæ indita, Equitium quendam Diaconali honore, fide ac feruore munitum, aquam sumere iubet, & velociter currere, ac delatam ad ignem illi aspergere; quo facto, Dæmon impatiens contactus aquæ, aufugit. At ignis contraria sibi aqua, quasi oleo, excitatus, ad ligna statim adhæsit, & temporis momento absumpsit.*

*Theodor. lib. 5. hist. Eccles. c. 21.*

Refert idem Theodoretus de Aphraate Eremita, vitæ sanctitate clarissimo, huiusmodi miraculum: *Dicunt, quod cùm locustæ aliquando regionem repentè inuasissent, & instar ignis omnia consumerent, segetes, arbores, prata, & nemora: venit ad eum quidam vir pius, rogans, vt opem ferret, vnum quidem agrum habenti, ex eo autem & se, & vxorem, & filios, & familiam alenti, & à quo etiam Imperatoria exigeretur contributio; Is ergo iussit adferri congium aquæ.*

*Theod. in hist. Religiosa.*

Post-

*Postquam autem aquæ congium attulit, is qui orabat, ei quidem manum imposuit.* (vtique non sine sanctissimæ Crucis signo) *Deumq́; precatus est, vt fluenta impleret virtute diuina, deinde finita oratione, iussit, vt in prædij limitibus aqua aspergeretur. Qui eam attulerat, fecit vt iussus fuerat, idq́; fuit illis agris pro vallo sacrosancto & inexpugnabili. Nam vsque ad illos fines reptantes & circumuolantes locustæ, instar exercitus, rursus retrocesserunt, benedictionem impositam extimescentes, & veluti quodam freno suffocatæ.*

Scribit S. Gregorius per aquam à Fortunato Episcopo Tudertino benedictam, consolidatam fuisse costam Gotthi cuiusdam fractam: *Res mira,* inquit S. Gregorius, *& stupenda, mox vt aqua benedicta Gotthi costam contigit, ita omnis fractura solidata est, & saluti pristinæ coxa restituta, vt hora eadem de lecto surgeret, & adscenso equo cœptum iter ageret, ac si nullam vnquam læsionem corporis pertulisset.* Greg. li. 1 Dialog. cap. 10.

De Aphraate, quem paulò antè nominauimus, aliud recenset miraculum Theodoretus, editum in equo Imperatoris, quem in primis charum habebat: *Morbus quidam, qui ei acciderat,* inquit Theodoretus, *malè habebat Imperatorem: ad eum curandum accersebantur qui in hac arte fuerant exercitati; at cùm ea esset morbo inferior, Imperator quidem molestia afficiebatur, lamentabatur autem is, cui equorum cura fuerat credita. cùm esset autem pius & fide firmus, venit in meridie vnà cum equo ad magni Aphraatis habitaculum, & cùm morbum dixisset, & fidem suam significasset, orauit, vt solueret morbum suis precibus. At ille nihil cunctatus, sed statim Deum precatus, iussit aquam hauriri ex puteo, & cùm ei salutaris Crucis signum imposuisset, iussit eam ad equũ adferre: is verò bibit plus quàm consueuerat; deinde cùm oleum diuina inuocatione impleßet benedictione, equi ventrem inungit, & manus contrectatione statim morbus est sublatus.*

Insigne miraculum per aquam virtute crucis sanctificatam fecit Macedonius, vir sanctissimus in muliere, quam bulimia & inexsaturabilis edendi cupiditas occuparat: *Vxor cuiusdam locupletis nobilis,* ait Theodoretus, *inciderat in morbum ingluuiei, & alij quidem eum morbum appellabant operationem, seu vexationem Dæmonis, alij autem eum existimabant imbecillitatem corporis; at siue hoc, siue illud esset, erat huiusmodi; dicebant eam comedentem in die triginta gallinas non posse appetitionem extinguere satietate, sed adhuc alias appetere. cùm sic ergo in ea consumerentur facultates eius, miserti qui ad eam attinebant, diuinum illum hominem obsecrant; ille autem venit quidem & precatus est, & cùm aquæ dexteram imposuisset, & salutare efformasset signaculum, & iussisset bibere, curauit morbum, & adeò retudit immoderatam illam appetitionem, vt deinceps parua aliqua gallinæ particula quotidie eius alendæ vsum impleret.* Theod. in hist. religiosa.

Aliud de eodem Macedonio commemorat ibidem Theodoretus: *Mulier quædam nobili loco nata, & longè ditißima, ea autem vocabatur Assyria, erat quidem emotæ mentis; ex Domesticis autem cognoscebat neminem, & vt cibum ac potum sumeret, ferre non poterat. Plurimo autem tempore aßiduè delirabat, & hoc alij quidem dicebant esse vexationem & operationem Dæmonis; medici verò dicebant, esse morbum cerebri. cùm omnis ergo ars esset consumpta, & ex ea nullum daretur auxilium, eius maritus ad diuinum illum virum accedens, narrauit morbum coniugis, & orauit, vt ea assequeretur curationem. Ceßit vir diuinus, & domum quidem venit, & magno ac vehementi studio Deo obtulit orationem; perfecta autem oratione, cùm iußisset aquam adferri, & fecisset figuram salutaris signaculi, iußit illam bibere. Cùm autem prohiberent medici, vtpote quod potu aquæ frigidæ morbus cresceret, expulsa tota illorum caterua, obtulit mulieri potionem. illa simul ac bibit, ad se rediit, & à morbo omnino liberata diuinum virum agnouit, & vt dexteram acciperet rogauit, oculisq; eam imposuit, & ori admouit, & deinceps semper fuit mentis compos.*

Idem Macedonius, aqua benedicta, matrem Theodoreti, quando ipsum Theodoretum in vtero ferebat, à periculo abortus liberauit: *Cùm aquam accepisset & benedixisset,* ait Theodoretus, *Bibe, inquit vir diuinus, hanc aquam & senties diuinum auxilium: bibit itaque, vt iusserat, & abortionis effugit periculum.*

## CAPVT LX.

*Miracula per benedictum panem & oleum facta.*

*Naz. de funere Patris.*



PANES signo Crucis benedictos fuisse notum est ex S. Gregorio Nazianzeno, qui de matre sua Nonna: *Visum est ipsi,* inquit, *me noctu repentè superuenientem cum canistro, candidißimisq; panibus, pro meo more benedictis, atq; signatis eam aluisse. sicq; conualuisse. Ac nocturnæ visioni veritas respondebat.* Refert Gregorius Turonensis, quomodo S. Maxentius benedicto oleo & signo Crucis sanauerit brachium, quod repentè exaruerat cuidam, qui sanctum percussurus distrinxerat ensem.

*Tur. lib. 2. hist. Franc. cap. 37.*

Quanta sanctitate fulserit Simeon Stylites, satis apparet ex his, quæ de ipso cùm alij, tum præsertim Theodoretus, literis consignata ad posteritatem transmiserunt. Nam fama eius Romano Imperio contineri non potuit, sed ad Persas vsque penetrauit, *vt enim narrarunt legati, qui ad ipsum venerunt* (Theodoreti verba refero) *diligenter sciscitabatur Rex Persarum, quænam esset eius vita, & quænam miracula. Ferunt autem coniugem Regis Persarum petiisse oleum eius benedictione consecratum, & tanquam donum maximum accepisse. Quin & omnes Regis familiares & domestici à fa-*

*Theod. in Relig. hist.*

*à famæ commoti, & multas in eum à Magis adornatas accipientes calumnias, diligenter rogabant: Et cùm intellexissent, virum diuinum nominabant. Cætera verò turba, & ad muliones accedentes, & ad famulos, & milites, pecuniam offerebant, & rogabant, vt essent participes olei benedicti*: Vtique propter mirabiles effectus, quos videbant oleo illo benedicto effici.

Oleo ab Aphraate benedicto, de quo suprà dictum, abegit mulier quædam fascinationes Dæmonis opera concinnatas: *Mulier quædam genere nobilis,* ait Theodoretus, *simul cum viro intemperante trahens iugum matrimonij, venit ad beatum illum hominem, deflens serio propriam calamitatem: Dicebat enim maritum concubinæ captum consuetudine, magicis quibusdam præstigiis fuisse incantatum, & odio habere ipsam legitimo matrimonio coniunctam. Hæc autem dicebat mulier stans pro foribus atrij: Sic enim solebat colloqui cum fœmina, nullam enim admisit vnquam intra fores. Tunc ergo mulieris misertus eiulantis, oratione incantationis abolet operationem, & cùm olei vas, ab ipsa allatum, inuocatione diuina sanctificasset, iussit vt eo vngeretur. Hæc præcepta cùm implesset mulier, coniugis amorem in se transtulit, & persuasit, vt pro illegitimo legitimum cubile eligeret.* Hæc Theodoretus.

*Oleo benedicto,* inquit Gregorius Turonensis de S. Hospitio, *super oculos cæci Crucem sanctam faciens, ait; In nomine* IESV *Christi Redemptoris nostri aperiantur oculi tui. Et statim aperti sunt, &c. De hinc mulier quædam, tria habens dæmonia, ad eum adducta est: quam, cùm tactu sacro benedixisset; atq; ex oleo sancto Crucem fronti eius imposuisset, eiectis dæmonibus, purgata discessit.* *Greg. Turon. 6. hist. Franc. c. 6.*

Suprà iam recensuimus, quomodo oleo à S. Hilarione benedicto agricolæ & pastores à serpentibus icti, vulnera lethalia curarint; & sanitatem pristinam recuperarint. Ad eundem Hilarionem omnis conditionis & status quàm plurimi confluebant, vt benedictum ab eo panem vel oleum acciperent, sicut testatur S. Hieronymus, proculdubio non aliam ob causam, quàm quod huiusmodi pane vel oleo mirifica opera perfici viderent. *Hier. in Vita S. Hilarionis.*

His adde Proculum Christianum, virum clarissimum, qui teste Tertulliano, Seuerum Imperatorem per oleum (quis dubitet, quin signo crucis consecratum?) aliquando curauit. S. Martinum oleo benedicto mutæ puellæ restituisse facultatem loquendi, litteris commendauit Sulpitius: *Pusillum,* inquit, *olei, cùm exorcismi præfatione benedicit, atq; ita in os puellæ sanctificatum liquorem, cum & linguam illius digitis teneret, infudit; nec fefellit sanctum virtutis euentus. Patris nomen interrogat; mox illa respondet; proclamat pater cum gaudio pariter & lachrymis, Martini genua complexus, & hanc primam se filiæ audisse vocem cunctis stupentibus fatebatur.* Ibidem commemorat Sulpitius, Auitiani Comitis vxorem misisse S. Martino oleum, *quod ad diuersas morborum caussas necessarium, sicut est consuetu-* *Tertull. ad Scapulam.* *Sulpit. lib. de Vita S. Martini c. 15. & Dial. 3. cap. 2.*

*suetudo, benediceret: ampullulam vitream istiusmodi fuisse, vt rotunda in ventrem cresceret ore producto; sed oris exstantis concauum non repletum, quia ita moris sit vascula illa compleri, vt pars vmbonibus obstruendis libera relinquatur. Testabatur Presbyter, vidisse se oleum sub Martini benedictione creuisse, quoad exundanti copia deflueret, eandemq; dum ad matremfamilias vasculum referretur, seruasse virtutem. Nam inter manus pueri portantis ita exundasse oleum, vt omne illius vestimentum copia superfusi liquoris operiret. Matronam itaque ad summum labrum plenum vasculum recepisse.*


*Mirum & illud. Vas vitreum cum oleo, quod Martinus benedixerat, in fenestra paulò editiore deposuit, puer familiaris incautior linteum superpositum, ampullam ibi esse ignarus, attraxit, vas super constratum marmore pauimentum decidit, cunctis metu exterritis, ne benedictio deperisset; ampulla perinde incolumis est reperta, ac si super plumas mollissimas decidisset. Quæ res non potius ad casum, quàm ad Martini est referenda virtutem, cuius benedictio perire non potuit.* Hæc de effectibus signi sanctissimæ Crucis, ex quibus manifestum fit, quàm verè illud credentibus in se promiserit Dominus apud S. Marcum: *In nomine meo Dæmonia eiicient, & linguis loquentur nouis, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, & super ægros manus imponent, & bene habebunt.*

Marc. vlt.

## CAPVT LXI.

*Vt quis fructum ex signo Crucis percipiat, necessarium esse, vt à vitiis abstineat.*

Cyrill. lib. 6. cõtra Iulian.



CRVCEM *facimus in memoriam omnis boni, & omnis virtutis*, inquit S. Cyrillus. Hic vsus est imaginum & signaculi Crucis. Quare sancti Patres non immeritò grauissimis verbis inuecti sunt in eos, qui sceleribus cooperti, signum Christi fronte præferrent, & interim Christianum nomen, Christiq; crucem iniuria impiæ vitæ afficerent. In quo argumento pertractando inprimis copiosi & vehementes sunt sancti Patres. Inter quos sanctus Augustinus hæc: *Si te militem Christianum dicas, & iugiter cruce Christi te signes; & eleemosynam secundum vires tuas non feceris, charitatem, & iustitiam, vel castitatem habere nolueris, nihil tibi prodesse poterit Christianum nomen. Magna res est signum Christi & crux Christi: & ideo de isto tam pretioso signaculo res magna & pretiosa signari debet. Quid enim prodest, si de annulo aureo sigillum facias, & putridas paleas intus recondas? Quid prodest, si signum Christi in fronte & in ore gestamus, & intus in anima crimina & peccata recondimus? Qui enim malè cogitat, malè loquitur, malè operatur, si se emendare noluerit; quando se signat, peccatũ illius non minuitur, sed augetur. Multi enim dum ad furtum, aut ad adulterium*

Aug. serm. 215. de temp.

*terium vadunt, si pedem impegerint, signant se, & tamen de malo opere non reuocant se: & nesciunt miseri, quia includunt in se magis dæmones, quàm excludunt. Qui autem à se cum Dei adiutorio vitia & peccata repellit, & quod bonum est, cogitare simul & implere contenderit, iustè signum Crucis labiis suis apponit; quia talia opera conatur agere, quæ signum Christi mereantur accipere.* Hæc S. Augustinus in eos, qui crucis signo se muniebant, quod *nos ad recordationem omnis virtutis inducit*, vt inquit S. Cyrillus, ipsi tamen sceleribus inquinatam vitam agerent. Cyrill. lib. 6. cõtra Iulian.

In eandem sententiam alibi S. Augustinus: *Signum Christi à nobis repellit exterminatorem, si cor nostrum recipiat Saluatorem. Quare hoc dixi? Quia multi postes habent signatos, & intus non manet habitator. Facilè habent in fronte signũ Christi, & corde non recipiunt verbum Christi. Ideo dixi, fratres, quod repeto, signum Christi à nobis repellit exterminatorẽ, si cor nostrum habeat Christum habitatorem. Cuius sanguine*, vt & alibi idem S. Augustinus inquit, *illitis postibus nostris, id est, cuius signo Crucis signatis frontibus nostris, à perditione huius seculi, tanquam à captiuitate vel interemptione Ægyptiaca liberamur.* Aug. tract. 50. in Ioan. Aug. tract. 55. In Ioan. Similia habet de cataclysmo cap. 4.

Eodem pertinent hæc S. Augustini: *Vicit frons quæ habebat humilitatem Crucis Christi; propterea & nos signum ipsum Crucis in fronte portamus, qui illud intelligimus. Hoc dico fratres, quia multi id faciunt, & intelligere nolunt. Factorem quærit Deus signorum suorum, non pictorem. Si portas in fronte signum humilitatis Christi, porta in corde imitationem humilitatis Christi.* S. August. ser. 20. de diuer. edit. Louan.

Nec satis putant sancti Patres Crucis signaculum ferre in fronte, nisi etiam gestetur in corde. Sanctus Augustinus: *Cuius signum à nobis in fronte portatur, & in corde habetur. Interest enim plurimum, vbi habeat homo signum Christi, vtrũ in fronte, an & in fronte & in corde. Audistis, quid hodie Ezechiel sanctus Propheta loquebatur, quemadmodum antequam mitteret Deus exterminatorem populi iniqui, misit primitus signatorem, & ait illi, Vade, & da signum in frontibus eorum, qui gemunt & mœrent de peccatis populi mei, quæ fiunt in medio eorum. Non dixit, Quæ fiunt extra ipsos, sed in medio eorum. Gemunt tamen & mœrent: & ideo signati sunt in fronte. In fronte interioris hominis, non exterioris. Est enim frons in facie, est frons in conscientia. Deniq; aliquando, quando interior frons pulsatur, exterior erubescit. Aut pudore obrubescit, aut timore pallescit. Est ergo frons hominis interioris. Ibi signati sunt illi, ne vastarentur.* S. August. ser. 28. de diuers. edit. Louan. Ezech. 9.

*Christi signum te in fronte portare asseris, & de corde perdidisti?* inquit idem S. Augustinus. Augustin. in Psalm. 85.

Turpe insuper ducunt S. Patres; si quis crucis signum fronti inscriptum peccatorum sordibus commaculet. S. Augustinus: *Iam subiectis ceruicibus regum iugo eius, & suppositis eorum frontibus signo eius, iam nullo remanente, qui palam Christianis audeat insultare, adhuc tamen inter organa & symphoniacos gemimus, adhuc illi inimici Martyrum, quia vocibus & ferro non possunt,* Augustin. in Psalm. 69.

*sunt, eos sua luxuria persequuntur. Atq; vtinam Paganos tantummodo toleraremus; esset qualecunq; solatium expectare eos, qui nõdum cruce Christi signati sunt, quando signentur, & quando eius auctoritate alligati desinant furere. Videmus etiam in fronte portantes signum crucis, simul in ipsa fronte portare impudentiam luxuriarum.*

*Beda tom. 3. in collectan. flor. & parab.*


Prouerbium erat Christianorum: HABETE CHRISTVM IN CORDIBVS, ET SIGNVM EIVS IN FRONTIBVS: quod Beda refert & subdit: *Armate vos semper signaculo crucis Christi, quia hoc est quod timent ac fugiunt dæmones, signo territi Saluatoris.*

*Audoën. lib. 2. de S. Eligio cap. 16.*

Idem prouerbium vsurpauit S. Eligius in sua concione apud Audoënum: HABETE SEMPER CHRISTVM IN MENTE, ET SIGNVM EIVS IN FRONTE. Et addit idem sanctus. Profectò magna res est signum Christi, & crux Christi: sed illis solis prodest, qui faciunt mandata Christi. Vt ergò etiam vobis prosit, præcepta eius totis viribus implere contendite.

## CAPVT LXII.

*Vtrum signum crucis producat suos effectus ex opere operato.*



AD extremum disquirendum est, quonam modo signum sanctæ Crucis effectus supra dictos producat, num scilicet ex opere operato, vt loquuntur Theologi; an verò ex opere operantis. Ex opere operato illud agere dicitur, quod per se ex sui institutione diuina vel Ecclesiastica ad agendum valet, & efficacitatem habet, qualecunque demùm sit, quoad bonitatem vel malitiam, illud agens, à quo proximè mouetur. Ita Sacramẽta nouæ legis agere, effectusque suos producere solent, quandoquidem efficacitatem suam non habent à ministro, sed ab institutore Deo; quia qualiscunque demùm vita & moribus sit sacerdos, effectus producitur, dummodo tamen in ipso etiam subiecto, nõ sit impedimentum, quo posito, effectus impediatur. Ex opere operantis illud agit, quod omnem suam agendi vim, ab ipso operante mutuatur, tantumque valet & efficit, quantum is, qui operatur eidem præstat: pendet enim à bonitate & pietate agentis, nullarum ex se ipso virium & roboris.

Dicimus ergo signum sanctissimæ Crucis (& eadem est ratio primæ crucis, in qua Dominus pependit, & imaginum Crucis, de quibus in secundo libro; eosdem enim effectus habent, quos signum S. Crucis) producere suos effectus ex opero operato. Quod inde manifestum euadit; quia videmus signo crucis, ipsos etiam infideles, & à Chri-

à Christiana religione auersos, non incassum vsos, perceptis optatis crucis fructibus. Argumento sit Iulianus desertor Christianæ religionis, & Iosephus Iudæus, & alius quidam Iudæus, quorum exempla, de Dæmonibus per crucem fugatis, supra ex Theodoreto, ex D. Gregorio Nazianzeno, ex Epiphanio, & ex S. Gregorio Magno attulimus. *Cap. 37. 38. 41.* At si signum crucis ab iis, qui eo vtuntur, vim suam & efficaciam acciperet, quî tribus supradictis conferre potuisset, cùm nullam ab illis agendi virtutem accipere potuerit, vtpote Christi dogmatumque Christianorum expertibus?

Accedit grauissima sancti Augustini auctoritas, cùm ait: *Nec mirum quod hæc signa valent, cùm à bonis Christianis adhibentur, quando etiam cùm vsurpantur ab extraneis, qui omnino suum nomen ad istam militiam non dederunt, propter honorem tamen excellentissimi Imperatoris valent.* *August. lib. 83. qq. q. 79.* Et certè nisi ex opere operato Crux effectus suos ederet, non esset, cur tam sedulo à fidelibus vsurparetur; Quia bono animi motu & actu, omne illud perficere æquè certo possent, quod adhibito Crucis signaculo peragunt, & sese peracturos sperant. Ita etiam doctissimi quique Theologi sentiunt, vt Gregorius de Valentia (agens generatim de Sacramentalibus) Franciscus Soarez, Robertus Bellarminus, Petrus Thyræus & alij. *Gregor. de Valent. Tom. 4. disput. 7. q. 4. pun. 1. Soarez. 3. p. D. Tho. disput. 56. Sect. 3. Bellar. lib. 2. de Imag c. 30. Thyraeus lib. de Dæmoniacis, num. 611.*

Addendum tamen est, valere crucem ex opere operato, non simpliciter & absolutè, sed quatenus vel ad nostram, vel aliorum salutem expedit, quomodo valent & alia nonnulla, vt exorcismi, non enim absolutam, & ab omni conditione liberam promissionem hæc talia diuinitus habent, vt liquidò constat ex his, quæ suprà suo loco disseruimus. *Vide Gregor. de Valent tom. 3 disput 6. q. 8. pun. 2.*

Confert nihilominus ad effectus crucis pietas & probitas operantis. Cùm enim signum crucis sit tacita quædam Christi crucifixi inuocatio, sequitur, eò fore efficacius, quo ex maiori charitatis feruore processerit, sicut & ipsa inuocatio, quæ corde vel ore perficitur, tanto aptior est ad impetrandum, quanto melior & Deo charior est is, qui inuocat.

Quod attinet ad illum effectum crucis, qui est terrere & fugare Dæmones; Satis apertè indicant sancti patres, quomodo Dæmones crucis signo terreantur & profligentur; Dicunt enim eos terreri, eo modo, quo homines horrore perfundi solent, *cùm loca suppliciorum intuentur*: *Chrysost. Hom. 55. in Matth.* Item eo modo, quo quis terretur, cùm *videt hastam*, qua grauiter sauciatus, vel locum, vbi diris pœnis excruciatus est. Dicere videlicet volunt, Dæmones crucis signo, tamquam obiecto per intellectum apprehenso terreri, ita vt terror, horror, & cruciatus hic, necessariò

sariò in ipsis consequatur, neque liberum ipsis sit fugam, detestationem & cruciatum cohibere, nisi Deus certas ob causas signum crucis nolit efficacitatem suam exerere, iuxta ea, quæ suprà fusè sunt de hac re disputata. Itaque non errabant olim Ethnici, qui, vt est apud Lactantium, asserebant, fugere Deos vel Dæmones crucem, quod crucem odissent, sed addere debebant; eos ideo etiam fugere & odisse crucem, quod cruce necessariò torquerentur, hoc ipso, quod obiecta cruce in memoriam crucifixi redeunt. *Quando enim viderint crucem*, inquit S. Cyrillus, *recordantur crucifixi*, quæ recordatio non potest non in ipsis intimum quendam angorem, animique afflictionem concitare, cùm recolant, quantam iacturam per Crucem fecerint; ad eum ferè modum, quo quidam ex grauissimis Theologis sentiunt, Dæmones obiectiuè ab igne Tartareo torqueri, ita vt apprehenso per intellectum illo igne, necessariò, quoad exercitium, existat in ipsis inexplicabilis quidam cruciatus, & infinitis partibus maior, quàm sit ille, quem sentit anima tunc, cùm eius corpus flammis exuritur. Quē modum mihi etiam insinuasse videtur Tertullianus, cùm loquens de potestate Christianorum in Dæmones ait: *De contactu, deq; afflatu nostro contemplatione & repræsentatione ignis illius correpti, etiam de corporibus nostro imperio excedunt inuiti & dolentes, & nobis præsentibus erubescentes.*

*Cyrillus Catech. 13.*

*Vide Sotum 4. d. 50. q. vnica ar. 2. & Greg. de Valent. tom. 1. disp. 4. q. 15. p. 3.*

*Tertull. in Apolog. c. 23.*

## CAPVT LXIII.

### *Antichristus signo Crucis signum suum opponet.*



NON parum ad commendationem signaculi Crucis facit, quod sit ille ipse character, qui characteri, quo Antichristus suos notabit, opponetur: de quo in Apocalypsi: *Faciet omnes pusillos, & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos, & seruos habere characterem in dextera manu, aut in frontibus suis.* Quem locum explicans Ambrosius, inter cætera ait: *Sicut nos habemus characterem Christi, id est, Crucem, qua signamur; ita habeat Antichristus proprium characterem, quo signentur ij, qui in eum crediderint.*

*Apocal. 13.*

*Ambros. in Apoc. cap. 13.*

Duo autem sunt hîc, quæ accuratius perpendenda. Cur Antichristus characterem imprimet. Deinde qualis character ille futurus sit.

Causæ licet plures sint, tamen hîc eas tantùm ponemus, quas in crucis odium & detestationem desinentes Antichristus potissimùm spectaturus videtur. PRIMA est, vt signo Christi inimicum signum opponat, atque vt æmula imitatione sacrum Crucis characterem deludat, dextris & frontibus suorum impresso impietatis charactere.

Quod

*Quod omnes defecerint à sancto Deo*; inquit S. Hippolytus Martyr, *& crediderint impostori illi, suscepto charactere impuri illius, & hostis Dei, loco viuificæ crucis Saluatoris.* *Hippol. orat. de consummatione mundi & Antichristo.*

SECVNDA causa est, vt memoriam omnem Crucifixi, & vsum signaculi Crucis omnino aboleat. S. Ephræm Syrus: *Draco signaculum suum loco signi crucis Saluatoris nostri modis omnibus machinabitur imprimere, vt nulla penitus ratione nomen Domini ac Saluatoris nominetur temporibus suis.* *Ephram de Antichristo.*

TERTIA causa est, vt adimat hominibus potestatē signum Crucis formandi, ideoque dextræ manui, qua Christiani se signant, characterem imprimet. Ex eo enim tempore, quo quis in dextera susceperit signum Antichristi, non poterit amplius signum Christi efformare, neque vllum membrum Cruce signare, teste S. Hippolyto Martyre: *Adorabunt eum, quibus dabit characterem in dextera manu & fronte, ne quis dextera sua pretiosam illam Crucem pingat in fronte. Ex quo tempore non poterit vllum signare membrorum suorum, sed adhærebit seductori, eiq; seruiet, neque ducetur pœnitudine, sed peribit ille, tum quod ad Deum, tum quod ad homines attinet.* *Hippol. orat. de consummat. mundi.*

Vbi animaduertendum, quàm vafro astu erepturus sit Antichristus potestatem formandi signi Crucis: & quidem duplici consilio; vt scilicet aboleat commune hoc, & certum præsidium salutis. Deinde, ne sit quod ipse & dæmones administri horreant, neue Magicæ vires hoc potenti signo eneruentur. Vtrumq; luculenta oratione edisserit S. Ephræm. Ephræm, inquam, ille, qui nuper præclaro clarissimi viri Gerardi Vossij studio latinè loqui didicit, & in tres tomos distinctus in lucem exiit.

*Dabit hoc signum suum scelestus ille non quidem promiscuè pro quolibet corporis membro, ne hoc graue sit atq; molestum ipsis; sed in dextram manum ac frontem insculpturus est homini characterem hunc suum impium ne scilicet facultas sit homini dextera se signandi signo Christi Saluatoris nostri; neq; rursus in fronte vllatenus tremendum sanctumq; Domini nomen imprimere queat, neq; etiam gloriosum atq; formidabilem Saluatoris crucem insculpere. Nouit quippe infelix ille per impreßionem crucis Domini potestatem sibi omnem ademptum iri. Quamobrem signat hominis dexteram, quod ea scilicet, cuncta nostra membra signemus. Similiterq; frontem, quod illa candelabri in modum, lucernam lucis, hoc est, signum Saluatoris nostri in altum præferat;* &c. *Ephram de Antichristo.*

*Quando iam Draco signaculum suum loco signi crucis Saluatoris nostri modis omnibus machinabitur imprimere, vt nulla penitus ratione nomen Domini ac Saluatoris nominetur temporibus suis; facietq; hoc sua infirmitatis conscius, pertimescens metuensq; sibi ab hoc sanctißimo & immaculatißimo nomine, propter sanctam virtutem nominis ipsius Saluatoris. Si quis enim eius signo non fuerit notatus, nequaquam*

TERTIA sententia est Primasij & Ansberti; characterem illum futurum, in quo totum Christi nomen compendio includatur, qualis nota est ☧. Antichristus enim nullum nomen affectabit ambitiosius, quàm Christi seu Messiæ; quo Iudæos sibi adiunget, hocque nomine multos Christianorum & Agarenorum decipiet. S. Hippolytus: *Per omnia, seductor ille vult imitari filium Dei. Leo Christus; Leo quoque Antichristus. Christus Rex cœlestium atque terrestrium; Rex etiam nascetur super terram Antichristus. Demonstratus est Saluator vt agnus; ipse quoque nascetur in circumcisione. Christus misit Apostolos ad omnes gentes; hic itidem mittet Pseudoapostolos. Christus oues dispersas congregauit; hic populum Hebræorum dispersum, ad eundem modum congregabit. Christus dedit credentibus in eum pretiosam ac viuificam Crucem; hic itidem signum suum daturus est.* *Ansb. lib. 8. in Apoc.* *Hippol. orat. de consum. mūdi.*

Harum sententiarum arbiter nolim esse; enumerasse sat est, ad gloriam SS. Crucis, cui opprimendæ & extinguendæ Antichristus characterem suum instituet; siue ille forma draconis; siue sit numerus nominis χ. ξ. ϛ. siue sit ☧. siue alius character. Qualiscunque sit, non præualebit contra potentiam triumphalis signi Crucis, quo Christiani se signabunt; & hac ipsa consignatione ab impiis discernentur: de quo eleganter Andreas Cæsareæ Cappadociæ Archiepiscopus. *Andreas Cæsariens. cap. 18. comment. in Apocal.*

*Vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui, & clamauit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ & mari. Quod Prophetæ Ezechieli per illum iam olim significabatur, qui linea stola indutus gementium frontes signabat, ne iusti simul interirent cum iniustis; hoc ipsum B. Ioanni pari ferè modo hoc loco ostenditur. Etenim per sublimioris virtutis & sanctitatis Angelos, angelis pœnis irrogandis præfectis serio hic indicitur, ne quid prius contra peccatores tentent, quàm veritatis cultores per signaculum ab aliis distinctos videant. Hoc autem etsi iis quondam ex parte acciderit, qui ex Iudæis in Christum credentes, depopulationem illam, quæ Hierosolymorum ciuitati à Romanis illata est, admirabiliter euaserunt, qui secundū magnum Iacobū, qui illorum multitudinem Apostolo Paulo allegabat, aliquot myriades conficiebant; veruntamen aduentus Antichristi tempore maximè, vt antè dictum quoq; est, hoc locū habebit, quando nimirum viuificæ Crucis signum fideles ab infidelibus secernet. Hi enim intrepidè citraq; vllum ruborem, Christi crucis signaculum in conspectu impiorum deferent, & ob id Angelus hic mox subiungit: Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.* *Actor. 21.*

In Quæstionibus ad Antiochum proponitur hæc quæstio. *An ex Ægypto egreditur Antichristus, & quod signum in manu vna, & in oculo vno præ se fert.* Respondet Auctor. Πάντα ταῦτα γραώδεις μῦθοι εἰσίν. *Omnia hæc aniles fabulæ sunt. Antichristus enim nullum tale signum præ se fert; sed etiam ex Galilæa, vnde Christus exiit, veniet, sicut ait scriptura: Catulus Leonis Dan, & exiliet ex*

*Basan: quæ est Scythopolis.* Sed probabile est ipsum etiam Antichristum habiturum in se signũ illud, quod sectatoribus suis imprimet, quidquid sit de signo in oculo; quod fortasse fabulosius est, quàm verius.

## CAPVT LXIV.

### *Laudes Patrum, & calumnia Hæreticorum in Crucis signaculum.*

*Cap. 55.*



PLERAQVE encomia Crucis, quæ libro primo ex sanctis Patribus adduximus, conueniunt etiam in Crucis signaculum, de quo hactenus, prout Dominus dedit, disseruimus. Sunt tamen propria signi Crucis elogia, ex quibus vel primum, vel certè ex primis vnũ, meritò censeri debet, quod commune signi nomen fecerit suum, ita vt absolutè posito signi vocabulo, in Ecclesiasticis monumentis, signum Crucis intelligamus. Quocirca Clemens Alexandrinus sine additione appellat Crucis signaculum, *signum*, more videlicet sacrarum literarum, quibus idem in more. Ad Crucis enim signaculum pertinent illæ sententiæ ex Patrum interpretatione; nominatim D. Gregorij Nysseni: *Fac mecum signum in bonum.* Et: *Dedisti timentibus te insigne siue significationem, vt fugiant à facie arcus.* Et apud Ezechielem: *Fili hominis transi mediam vrbem Hierusalem, & da signum in frontem hominum gementium & dolentium.*

*Clem. li. 7. Stromatum.*

*Nyss. lib. contra Iudæos, cap. cui Titulus: De Consignando.*

*Cap. 14.*

Suprà quoque notauimus, signare vel consignare, nihil aliud esse, quàm Crucis signum adhibere, qua notione vsurpatur signandi vocabulum in illo Psalmi: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine:* quod ad Crucis signationem referunt, cùm alij, tum D. Gregorius Nyssenus. Sic & S. Auxentius, cum Crucis signaculo grande miraculum patrasset in globo, qui nulla vi ab artificibus solui poterat, *dicitur globum signasse;* inscripserat enim illi Crucis signum.

*Acta S. Auxentij apud Surium tom. 1.*

Præterea sancti Patres, quibus honorum titulis cohonestant ornantq; signum Crucis, quàm multis, & quàm eximiis? S. Cyprianus: *Signum Sacramenti & sanguinis Christi nota.* S. Gaudentius: *Signum sanguinis Agni.* Theodoretus: *Vallum sacrosanctum & inexpugnabile.* Et: *Dominici trophæi figura.* Lactantius: *Signum Passionis. Cælestis nota. Signum maximum & immortale. Inexpugnabilis murus.* S. Cyrillus Hierosolymitanus: *Tremor inimicis, & gaudium amicis in illam credentibus, vel qui prædicarunt, vel qui passi sunt pro illo. Signum fidelium, & timor dæmonum: regium sigillum.* Andreas Cæsariensis: *Spiritus signaculum, quod homini contra tentationes donatur.* Prudentius: *Passionis trophæum. Crux triumphalis, & vexillum; notatis quod refulget frontibus.* Sedulius: *Frontis decus, fidele signum, arma cœlestia.* S. Hieronymus:

*Cypr. serm. de pass. Christi c. 5. 7. & 15.*
*Gaud. serm. 6.*
*Theod. in hist. relig. & lib. 3. hist. cap. 3.*
*Lact. lib. 4 c. 27.*
*Cyr. catech. 12. 13. & 15.*
*Andr. c. 38. comment. in Apoc.*
*Sedul. lib 1. op. Paschal. ca. 23.*

mus: *Casßis Christiana.* S. Chrysostomus: *Salutis nostræ, communis libertatis, & mansuetudinis, atque humilitatis Christi signum. Munimentum vitæ, magnum bonum, salutaris armatura, scutum inexpugnabile. Gladius & flagrum regium, quod omnem Diaboli impetum fundit.* S. Ephræm: *Viuificum signum, insuperabilis Christianorum armatura.* Origenes: *Immortale vexillum, quod cùm dæmones viderint, contremiscunt.* Constantinus Presbyter: *Salutis character.* S. Eligius: *Scutum quo poßitis ignitas omnes maligni sagittas extinguere.* S. Gregorius Nyssenus: *Signum Crucis malis opem fert & remedium.* S. Epiphanius: *Effigies salutis quam nobis reliquit Dominus.* S. Gregorius Nazianzenus: *Signaculum formidabile & venerandum.*

*Hieron. in Vita S. Hilarionis. Chrys. hom. 55. in Matth. & in 3. Phil. hom. 13. & hom. de Venerat. crucis. Orig. hom. 8. in diuers. Euang. locos. Constan. in Vita S. Germani Antisiod. c. 16. Elig. apud Audoen. in Vita Eligij li. 2. cap. 16. Nyssen orat. in eos qui differunt baptism. Epiph. hær. 26. Aug. in Psal. 73. & serm. 63. de diuers. Psal. 93. Beza contra Francisc. Bald.*

S. Augustinus: *Iam in frontibus regum pretiosius est signum Crucis, quàm gemma diadematis.* Alibi: *Quæ gemma pretiosior in diademate, quàm crux Christi regnantium in fronte? Hanc vos amando nunquam erubescitis.* Alibi: *Quò nondum porrectum est Romanum imperium, iam Christus poßidet. Quod adhuc clausum est eis, qui ferro pugnant, non est clausum illi, qui ligno pugnat. Dominus enim regnauit à ligno. Quis est qui ligno pugnat? Christus. De cruce sua vicit reges, & subiugatis eis ipsam crucem in fronte fixit; & gloriantur de illa; quia ibi est salus eorum.*

Porrò quantum ab orthodoxis laudatur, tantum ab hæreticis Crucis hostibus, vituperatur: *De Cruce quid dicam?* inquit Beza, *fuerit sanè tempus, quo fuerit aliquis istius signaculi aduersus Christi crucifixi contemptores vsus: sit etiam diu & libenter à Christianis vsurpatum pro externa veræ religionis professione, cùm tamen iam pridem desierit istorum miraculorum vsus, nec inter idololatras versemur, à quibus nos distingui oporteat, cùm denique eò res deuenerit, vt cùm ab Artolatria discessero, nulla sit sub cœlo talis magiæ & idolomaniæ species, qualis est illa Crucis signatio, & spurcißima adoratio, adeò, vt quòd vni crucifixo nunc in cœlis regnanti debetur, (de nulla re magis, vt arbitror, sibi plaudente Satana) id ad aurum, argentum, & lignum publicè sit translatum; tune à nobis tam horrendæ Sacramenti profanationis omnem memoriam, & occasionem sublatam meritò potes indignari?* Hæc Beza.

Quasi verò hoc Crucis signo, nos non oporteat quoque distingui à Crucis hostibus, hoc est, à Caluino, Luthero, Beza & aliis, qui licet idololatræ videri nolint; ipsis tamen idololatris, ne vno quidem pilo meliores, vel cruci amiciores censeri aut debent aut possunt. Si igitur distinctionis causa, vt ait Beza, signaculum hoc introductum est, non est quod desiisse credamus, cùm hodierno itidem die, hoc suo distinguendi munere fungi soleat: distinguuntur enim ab Ethnicis & Hæreticis: *Filij sponsi, filij paßionis illius, filij redempti sanguine illius, filij Crucis illius; portantes in fronte, quod inimici in loco Caluariæ fixerant,* inquit S. Augustinus. *Aug. in Psal. 41.*

*Aug. lib. 6. contra Faustum cap. 9.*

*Sed vtinam ipse* (de Beza dico, quod quondam S. Augustinus de Fausto Manichæo) *frontem habere voluisset, atque in ea crucem Christi figere non erubuisset.* Ex quo patet, Manichæos odisse vsum signaculi crucis: imò omnino abolitum voluisse legimus in Aquitanicæ historiæ fragmento, vbi hæc: *Exorti sunt per Aquitaniam Manichæi seducêtes promiscuum populum à veritate ad errorem. Suadebant negare Baptismum, signum S. Crucis, Ecclesiam, & ipsum Redemptoris seculi honorem & Sanctorum Dei.*

*Aquitan. hist. fragm. edit. Pithæi.*

Agite ô Caluiniani & Lutherani, Manichæorum imitatores, seruum pecus. Habetis hîc duces fidos furoris vestri in Crucis signum. Curate vt, sicut illi, ita & vos cum Ethnicis hoc commune habeatis, vt signum Crucis sit vobis stultitia. At nimis memores moneo. Iamdudum horum hæreticorum ludibria in Crucis signum effecerunt, vt de illis possimus dicere, quod S. Augustinus de Ethnicis: *Vbicunque inuenerint Christianum,* Cruce se signantem, *solent insultare, exagitare, irridere, vocare hebetem, insulsum, nullius cordis, nullius peritiæ. Quicquid faciant, Christus in cælo est: quicquid faciant, honorauit ille pœnam suam; iam Crucem suam in omnium frontibus fixit. Impius insultare permittitur, sæuire non permittitur: sed tamen ex eo, quod lingua promit, intelligitur quid gestet in corde.*

*Augustin. in Psal. 34.*

Deinde, quod Beza ait, cessasse iam miracula olim signo Crucis patrata, videat, ne parum verè aut sentiat, aut scribat. Nouimus enim hoc ipso æuo virtute huius ipsius signi vix inferiora antiquis illis miracula edita. Vnicum ex multis commemorabo: *In Punicali Indiæ oppido, Christiana mulier Franciscum Xauerium adiit, & flens ac suam orbitatem deplorans suppliciter obsecrabat, vt ad paruum filium suum nuper in puteo extinctum accedere ne grauaretur; Ad cuius tecta, vbi ventum est, procumbit in genua, Deum aliquandiu precatus, exanime pueri corpus signat Cruce; extemplo exsilit puer è feretro.* An non videtur hoc recens miraculum, virtute crucis patratum, satis grande Bezæ? Reliqua Bezæ in Crucis venerationem conuicia iam alibi examinauimus & disiecimus.

*Vide Horatium Tursel. lib. 2. de Vita Francisci Xauerij, cap. 7.*

Alij cùm vident quempiam signo Crucis sese consignare, quærere solent scurriliter, *num muscas abigere velit;* sed nihil vetat quæstioni ex scurrili animo profectæ; responsum serium dare. Nam Crucis signo verè fugatur Beelzebub, hoc est, *Princeps muscarum seu dæmoniorum.*

*Auctor Apiarij par. 4. cap. 3.*

Vt isti veteres Hæreticos strenuè æmulantur demoliendo imagines Crucis, ita eorundem vestigiis gnauiter insistunt, aspernando eiusdem Crucis signaculum; quod cùm sit vitæ signum, non nisi contra suam naturam adhiberi potuit patrandis cædibus, prout olim à Symbatio & Michaële Imperatore adhibitum est cùm Bardam Cæsarem trucidare constituissent; nam loco tesseræ cædis inchoandæ & perficiendæ datum est Crucis signaculum Symbatij vultui inscriptũ; vt

vt auctor est Cedrenus. Ad hunc finem signo vitæ abusum esse Michaëlem, nemo mirabitur, qui perpenderit, qualis vita & moribus fuerit; quem his coloribus depingit Cedrenus: *Cœtum habebat secum cinædorum, & ad omnem turpitudinem paratorum hominum, quos in honore ille habens, vt rebus sacris illuderet, vestibus eos sacerdotalibus auro intextis amiciebat, atque humeralibus, cogebatq́; turpiter & impurè sacras actiones æmulari. Principem eius cœtus Gryllum, Patriarchæ nomine ornabat; reliquos duodecim Metropolitarum; seipsum quoque vnum ex Pontificibus & coloniæ Præsidem appellabat. Aurea etiam & baccata gemmis vasa habebant; ea aceto & sinapi implebant, & communicantibus impertiebant, hoc modo impolluta deridentes mysteria.* Hæc & alia id genus Cedrenus planè digna inimico Crucis, cuius Deus, venter: & finis, interitus. *Cedren in Michaële.*

Brentius signum S.Crucis veneficiis adscribit, maioréne impudentia an impietate, necdum apud animum meum constitui: *Maximus*, inquit, *abusus fuit signi Crucis inter homines. Nam homines senserunt signum Crucis manuum motione factum valere ad omnes benedictiones, & ad effugandas omnes cohortes Dæmonum. Hoc est veneficium.*

Quî veneficium id, quod omnia veneficia disiicit? vt toto hoc quarto libro plurimis testatissimisque exemplum planum fecimus. Quod ipse Diabolus fugiendo veneficium esse negat; hoc Brentius, Diabolo, propè dixerim, deterior, veneficium esse affirmat: si veneficium hoc, veneficus ergo S.Chrysostomus, S.Augustinus, alij innumeri pietate celeberrimi viri, qui tam longè abfuerunt ab omni veneficij specie, quam longè abest Brentius à veritate.

Addit Brentius: *Etsi in repentinis terroribus aliquoties etiam pij vtuntur signo Crucis, non tamen vtuntur ad effugandos dæmones, aut ad consequendam per illud benedictionem, sed ad testificandum suum terrorem, quemadmodum quondam Iudæi discissione vestium significarunt motum animi sui.* *Brent. in cap. 5. epist. ad Galat.*

At hæc esse mera somnia malè sani Hæretici, pro testimonio sit totus hic quartus liber, ex cuius lectione intelliget Lector, pios non modò tunc, cum terrore aliquo percellerentur, signum Crucis formasse, sed & extra terrorem variis de caussis, ad omnem egressum & ingressum, imò ad omnem promotum, vt inquit Tertullianus; ad lumina, ad mensam, ad cubile; ad quamcunque demùm actionem & conuersationem; & in ipsis terroribus, non ideo Crucem fecisse; vt terroris indicium præberent; (aptius enim eius testandi indicium clamor esset, quam Crux) sed, vt vi & beneficio Crucis omnia terriculamenta abs se longissimè repellerent. Non repeto exempla, quibus totus hic liber abundat. Ipse certè Iulianus territus, cum profanis illis sacris operam daret; Crucem non pinxit, vt terrorem suum prode-

ret; sed vt terrorem, eumque à quo is terror incutiebatur, abs se remoueret.

*Signum Crucis manu fictum*, inquit Brentius, *non est in hoc institutum diuinitus, vt expellat Dæmonem; & afferat nobis sua virtute salutem.* Cæterùm hunc in vsum signum Crucis diuinitus institutum esse, docet ipsa experientia, & tota antiquitas, quam liber hic fideliter repræsentat: *Caro signatur, vt & anima muniatur*, inquit Tertullianus. Quibus igitur credendum? Brentio Hæretico, id inficianti, an experientiæ & antiquitati, id euidenter testificanti? Pergit insanire Brentius. *Hæc superstitio*, inquit, *habuit suam originem ex pia doctrina, sed malè intellecta.* Audiamus igitur, quæ sit illa doctrina, quam Brentius benè intellexerit; vetustissimi Patres non sint assecuti. *Dictum est à piis Doctoribus*, ait Brentius, *Crucem Christi esse salutem nostram. Hoc sic intelligendum est, quod Christus crucifixus attulerit nobis salutem morte sua. Imperiti autem & superstitiosi transtulerunt illud ad externum signum Crucis manu formatum.* Non nego locutionis illius, *Crux Christi est salus nostra*, hunc sensum esse posse; at non hunc tantùm; nam hoc ipso, quod Crux pretium redemptionis nostræ tulit; causa vtique salutis nostræ fuit; etsi non principalis, sed instrumentalis; qua notione omnes Doctores, qui hunc loquendi modum vsurparunt, Crucem salutis nostræ caussam appellarunt. Fuit enim quasi cooperatrix nostræ salutis, quatenus virtus caussæ instrumentalis, dici potest cooperatrix caussæ principalis.

*Tertull. lib. de resurr. carnis cap. 8.*

Deinde dico, ipsos sanctos Patres primam Crucem, seu Reliquias primæ Crucis, imaginem & signum Crucis appellasse caussam nostræ salutis, tum quatenus signa sunt repræsentantia eum, qui est caussa nostræ salutis, tum quatenus ea, quæ saluti nostræ officiunt, amoliuntur, tum quatenus pietatem augent & inflammant, bonorumque operum exercitationem exacuunt, qua salutem nostram meremur & procuramus. Quod si imperiti & superstitiosi sunt, qui illam loquendi formam in hanc sententiam interpretantur, sequitur omnino, imperitos & superstitiosos fuisse illos; quibus peritiores & religiosiores Christiana Religio non habuit, omnium iudicio, excepto tamen iudicio illorum, qui tam imperiti sunt; vt ne intelligere quidem valeant, quid sit peritia & imperitia; Religio & superstitio: ex quorum numero & Brentius iste; qui *quæ ignorat, blasphemat, Quæcunque autem naturaliter, tanquam mutum animal, nouit, in his corrumpitur.*

*Epist. Iudæ.*

Alibi ita idem Crucis osor blasphemat: *Somniant Satanam horrere Crucem manu formatam, & fugere. sed si rem verè consideraueris Satan fingit se*

*Brent. in cap. 6. epist. ad Galat.*

tantùm

*tantùm talem Crucem horrere, vt homines idololatria seducat.* Hanc blasphemiam suprà copiosè refutauimus. Hìc adiungo hoc, Brentium ab hac blasphemia effutienda, absterreri potuisse, vsitatissimo quodam Germanorum prouerbio; quo cùm maximè seriò aliquem aliquid fugisse, vel fugere significant; dicere solent; *Eum hoc, vel illud non secus fugitare & auersari, quàm Diabolus fugiat Crucem.* Certè hoc loquendi modo nemo est, qui simulatam, hypocriticam & ironicam fugam Dæmonis indicet; vt omnes norunt, quicunque Germanicam linguam norunt. *Cap 37.* *Vide cap. seq.*

Non me fugit esse quædam de ipsa rei alicuius fuga adagia ironica, & quæ in contrarium sensum accipi debeant; at hoc, de quo loquimur, tale esse, nemini hactenus in mentem venit; & vt maximè venisset, ipso tamen communi omnium sensu refutatus fuisset. Nec mirabitur quisquam, me hoc loco, Brentij calumnias refellere ex trito quodam prouerbio, si perpendere velit; Prouerbia esse quasi quædam singularum nationum axiomata, communesque animi conceptiones, ex quibus grauissimi quiq; Philosophi, iam olim, difficillimis argumentis sibi propositis, veritatem indagare conati sunt, tanquam ex iis, quibus, vtpotè concordi omnium suffragio comprobatis, falsum subesse nequeat.

Finiam hoc caput verbis S. Gaudentij Episcopi Brixiensis, S. Ambrosij æqualis, hæreticisque tanti Antistitis grauissima auctoritate os obstruam: *Protexit ac proteget Deus credentes in se à plaga contritionis per signum Crucis suæ, cùm dicitur: & erit vobis sanguis in signum in domibus; vos eritis ibi, & videbo sanguinem & protegam vos, &c. Habeamus in limine frontis signum sanguinis Agni, vt non sinat exterminatorem Deus introire ad nos. Neque enim solummodo tunc istud factum est, vel in historia legis, vel in tempore Crucis Domini Iesu; sed & nunc semper, Deus vltor populi sui, percutit Ægyptios, semper exterminator Diabolus intrare in domos Israëlitarum, nititur cupiens eos occidere. Semper Dei filius tuetur suos, & protegit eos, vbi signum suæ passionis cognouerit.* *S. Gaud. serm. 6. tom. 2. Biblio. SS. PP.*

## CAPVT LXV.

### *Discordia mutua Caluinistarum in vsu signi sanctæ Crucis.*



ANTE non multos annos ediderunt Ministri Caluiniani Embdenses librum vernacula lingua, hac inscriptione: *Instructio, & doctrina Verbi Dei, quid de ceremoniis, & ritibus externis, tam in cœna Domini, quam in aliis exercitiis diuinorum officiorum statuendum sit.* Inter cęteros ritus adducitur *signum Crucis* in fron-

te,& pectore iam iam baptizati efformari solitum. Hoc exploditur,& exterminatur istas ob causas:

I. *Quia in Verbo Dei nec præceptum, nec promissum de hoc Crucis signo exstat.*

II. *Quia ex hac ceremonia fit, & nascitur necessarius cultus, Christianæ libertatis aduersus, qui error iam ætate D. Augustini irrepserat. Tract.118.in Ioannem.*

III. *Quia signum Crucis adhibetur ad superstitiones: signo namque Crucis existimant homines, se peculiari modo benedictionem consequi,& à malis defendi; fiduciamq; in hac cerimonia ponunt; exigua habita ratione solatij, quod ex vera cruce, passione Christi, precibusq; percipitur.*

IV. *Cùm baptismus per se ex institutione Christi efficax sit, satisq; perfectus, nil opus habet crucisignatione, vel aliis additamentis, Marci 16. Matth 28.*

V. *Quia, crux Christi neque per hanc, neque per vllas alias ab hominibus excogitatas ceremonias; sed tantum per veram fidem, hoc est, per veram, certamq; fiduciam in Christum, & promissiones eius Euangelicas nobis applicatur.*

VI. *Quia crux Christi verè, & legitimè portatur, non quando manibus efformatum vultui imprimitur: vel ex auro, argentóue confectum de collo suspenditur: sed quando in corde geritur; cumq; id, quod Christi nomine,& amore ferendum est, patienter suscipitur, ac toleratur.* Hæc Germani Caluinistæ in Frisia Orientali nidulantes.

Quid Caluinistæ Anglicani: & ij quidem non ex vulgo, aut triuio, sed ex Synodo Londini celebrata anno Domini M. DC. Dolent;

I. *Præclarissimum Maiestatis regiæ studium, & laborem colloquio ad aulam Hamptoniensem circa signum Crucis in baptismo ( inter alia plurima ) susceptum, non meliores effectus apud multos consecutum; quin adhuc in eo hæreatur, eiusq; in baptismo vsus tantoperè impugnetur.*

Et quinam hanc querelam publicè instituunt? Caluinistæ. Contra quos? Aduersus quosdam Caluinistas Britannos, & omnes Germanos; forsan & Geneuenses, nec dubito, quin & Gallos. Quid volunt isti Caluino Synodici Patres?

II. *Crucis signum in baptismo retineri debere: & hunc morem Scripturæ auctoritate, & primitiuæ Ecclesiæ exemplo niti.*

III. *Addunt; quod etiamsi Iudæi, & Ethnici Apostolos, reliquosq; Christianos irriderent, quod eum prædicarent, in eumq; crederent, qui Crucis morte esset affectus: tantum tamen aberat, vt vel Apostoli, vel reliqui Christiani Crucis opprobrio se ipsos passi sint à professione sua deterreri, vt in eâdem exultandi potius, & gloriandi animos inde sumerent.*

IV. *Imò Spiritus sanctus per Apostolorum ora ipsum Crucis nomen ( Iudæis vtique inuisum ) vsque adeò honorauit, vt non modò Christum ipsum crucifixum sub eôdem comprehenderet; sed & mortis, & passionis Christi vires, effectus, ac merita, vnà*

*vnà cum solatiis, fructibus, ac promissis vniuersis, quæ nos ex eisdem aut percipimus, aut in futurum exspectamus.*

V. *Honor, ac dignitas crucis nomini acquisita, etiam & signo crucis vel ipsa Apostolorum ætate: (neq; enim contrarium ostendi potest) existimationem peperit honorificam.*

VI. *Adeò, vt Christiani haud multò post in cunctis actionibus suis eodem vti cœperint; eo ipso palàm, & apertè testatum facientes (etiam ad stuporem Iudæorum) se minimè sibi pudori ducere quod illum agnoscerent pro Domino, & saluatore suo, qui Crucis mortem pro ipsis pertulisset.*

VII. *Atq; hoc Crucis signum non modò ipsi idq; cum ostentatione quadam solebant adhibere, quoties Iudæis passim occurrerent, sed & liberos suos, cum baptismatis aqua abluerentur, eôdem signari faciebant, vt eos per Crucis symbolum illius seruitio dedicarent; cuius in baptismo collata in ipsos beneficia Crucis nomine essent repræsentata.*

VIII. *Atq; adeò huius signi in baptismo vsus in primæua Ecclesia receptus est vnanimi consensu, maximoq; omnium tam Græcorum, quàm Latinorum applausu.*

IX. *Quo seculo, si quis huic signo se opposuisset, declaratus proculdubio fuisset pro hoste, ac inimico nominis Crucis, & proinde meritorum Christi, quorum illi tessera, & signum adeò displiceret.*

X. *Deniq; huius signi vsum continuum, & generalem exstitisse, ex multis Patrum testimoniis perspicuè declaratur,*

XI. Dicunt; *Crucis signum decursu temporis in Ecclesia Romana graues abusus pertulisse.* (nimirum iudicio Caluinistarum:) Rectè tamen adiungunt: *Rei abusus legitimum eiusdem vsum nequaquam tollit.*

XII. *Inter alias magnæ vetustatis ceremonias, etiã Crucis in baptismo signum in Ecclesia Anglicana est retentum, idq; ex iudicio, & praxi venerabilium illorum Patrum, magnorumq; in primis Theologorum,* (scilicet) *qui regnante Eduuardo sexto in eadem claruerunt, &c. Qui pro hoc signo semper steterunt, eiusq; vsum exemplo, ac praxi sua perpetuò commendarunt.*

XIII. *Atq; hoc Ecclesiæ Anglicanæ iudicium, & praxis comprobata sunt: tum per censuram, quæ de libro publicæ liturgiæ tempore Eduuardi sexti ferebatur: tum etiam per confessionem harmonicam recentioribus annis publicatam.*

XIV. *Propter ipsam Crucis memoriam, quæ apud omnes verè in Christum credentes, plurimi semper fuit, & reliquas etiam ob causas supra dictas, Ecclesia Anglicana eius signum in baptizando vsq; retinendum censuit, secuta nimirum ea in re primitiuas, & Apostolicas Ecclesias.*

XV. *Atq; hunc characterem pro licita externa ceremonia reputans, & symbolo honorifico, per quod infans illius obsequio, qui Crucis mortem subiit, in perpetuum votus esset, & mancipatus; id quod ex verbis in libro publicæ liturgiæ expressis facillimè potest perspici.*

XVI. *Nos freti orthodoxis in doctrina regulis, de rebus mediis, & adiaphoris, quas diuino Canoni, ac Patrum antiquorum concordi sententia iudicamus esse consentaneas: priuati cuiusq; tùm Ministri, tum alterius persona cuiuscunq; statuimus esse, verum eiusdem vsum, publica autoritate præscriptum, reuerenter amplecti, ac recipere; præsertim cum intelligant, res alioquî medias, ac indifferentes, naturam suam aliquo modo mutare; postquam sub legitimi magistratus edictum, vel interdictum venerint; neq; pro cuiusq; libitu præter legem omittendas esse, cum præcipiuntur, nec cum prohibentur, obseruandas.*

En quàm bellè concinant Caluinistæ. Sed dissoluamus rationes Caluinistarum Embdensium. Ad I. respondeo; licet in sacris literis nullum exstet præceptum de signo Crucis in baptismate adhibendo; satis tamen est, quod sacræ scripturæ, & diuino Canoni non repugnet: quodque in primitiua Ecclesia vsurpatum sit; vt affirmant cōtra Germanos Caluinistas Caluinistæ Anglicani: & rectè quidem, prout apparet ex illis, quæ supra hoc ipso libro, & alibi, copiosissimè disserui. Et hæc Embdensium consequentia; etiam iudicio Anglorum, elumbis, & eneruis est: *Non est in scriptura præceptum, ergò non licitum. Arbitror,* inquit S. Basilius. *Apostolicum esse, etiam non scriptis traditionibus inhærere.* Et quis ille Basilius? *In quo vno plus eruditionis fuit,* ait Misenus, *quàm in toto ordine Iesuitico.* Fidem igitur habeat cum suis Caluinistis Basilio præter cætera, hæc quoque scribenti: *Dogmata, quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus è doctrina scriptorum prodita; quædam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio, id est, in occulto tradita recepimus. Quorum vtraq; parem vim habent ad pietatem: nec his quisquam contradicit, quisquis sanè vel tenuiter expertus est, quæ sint iura Ecclesiastica. Nam, si consuetudines, quæ scripto prodita non sunt, tanquam haud multum habentes momenti, conemur reiicere, imprudentes & ea damnabimus, quæ in Euangelio necessaria ad salutem habentur: imò potius ipsam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus. Quod genus est, vt id, quod primum est, & vulgatissimum, primo loco commemorem; vt signo Crucis eos, qui spem collocarunt in Christum, signemus, quis scripto docuit?*

Lib 4. c. 11. & seqq.

S. Basil. lib. de Spirit. S. c. 29.

Ad II. rationem respondemus; non iniuriâ vsum signi Crucis in baptismate necessariam ceremoniam iudicari, non quidem necessitate baptismi, quasi baptismus non sit validus, & efficax, nisi hoc signo accedente: nemini enim istud in mentem venit: sed, necessitate præcepti Apostolici, quod iubet; vt, qui per Baptismum Christi membrum iam effectus est; consignetur militiæ Christianæ signaculo, perque hunc externum, & aspectabilem *characterem deuoueatur, & mancipetur infans illius obsequio, qui Crucis mortem subiit*, vt loquitur Caluiniana Synodus. Esse autem præceptum Apostolicum de vsu huius signi,

signi, discimus ex perenni Ecclesiæ Catholicę consuetudine, & praxi; cuius non modò vetustissimos scriptores aduersus nouos Crucis inimicos, sed & ipsos Anglicanos sectarios habemus testes, & quidem in hac controuersia satis locupletes. Et ipsi Embdenses agnoscunt; iam tempore D. Augustini ritum crucis in baptismate fuisse vsurpatum, tanquam necessario adhibendum; (si temporis, & aliorum adiunctorum ratio id sineret;) non quod essentiam baptismi aut constitueret, aut compleret; sed, quia Ecclesia Christiana iam à primis incunabulis rationi consentaneum censuit; vt is, qui sub cruce militaturus erat; primo statim in hanc militiam ingressu, signaculo Crucis consignaretur. *At, hoc repugnat libertati*, inquiunt isti. Si loquuntur de libertate verè Christiana, negamus. non enim est *exlex*, seu, *illex*; quia, nec *exspes*. Si autem loquuntur de libertate Caluiniana, quæ licentiæ soror est; non abnuimus. Quanquam secus indicant Caluinistæ Angli, qui & ipsi non minus, quàm Caluiniani Galli, vel Germani, existimant se libertate Caluiniana frui; & tamen res etiam *medias, & indifferentes*, dicunt *naturam suam aliquo modo mutare, postquam sub legitimi magistratus edictum, vel interdictum venerint, neq; pro cuiusq; libitu præter legem omittendas esse, cum præcipiuntur; nec, cum prohibentur, obseruandas.*

Aduertite animum Caluinistæ Germanici; & præceptoribus Anglis discite, vsum signaculi Crucis præcipi posse ab aliquo *Caluinistico conuenticulo*; sicut præceptus est ab illo Londinensi, licet antea res media, & *indifferens* fuisset: prout non fuit, quia semper ex Apostolica traditione adhiberi debuit.

Ad tertiam respondeo; neminem ex Orthodoxorum numero ita Crucis signaculum vsurpare; vt solatium, quod ex vera Cruce, & morte Christi, ex que precibus capitur, vilipendat: imò eo fine Orthodoxi signaculum Crucis adhibent, vt, tanquam per canalem, cōsolationem ex passione, & morte Redemptoris nostri fluentem ad se deriuent. Neque superstitio, sed religio est; multum spei, & fiduciæ in hoc signo collocare. Testantur id vetustissima exempla, miracula, signa, prodigia, virtute huius signaculi patrata. De quibus omnibus fusissimè actum est, hoc libro. Cum Ennodio Ticinensi canit quilibet Catholicus;

*At mihi Crux, cuspis; Crux scutum: Cruxq; corona;*
*Hac tegar, hac feriam, hac pacis fœdera firmem.*
*Hæc mihi dux belli, qua victrix lubrica calcans*
*Dira cupidinei detestor mella veneni.*

An

Titulo de Variis Miscellaneis.

An non & Lutherus vim Crucis agnouit, quando interdum ex crapula nonnihil expergefiebat? Accipite verba eius ex Colloquiis sympofiacis.

Wann du in gefahr kompst / daß dich der Teuffel wil etwann durch die Treppen hinunder werffen / so ruffe nur / hilff lieber Herr Jesu Christe / vnd schlag daß Creutz für dich / jedoch im Glauben / so trollet sich der Teuffel / dann er kan den Namen nicht leyden. *Si periculum est, fore, vt Diabolus te de scalis, seu gradibus præcipitet; è vestigio clama; Adiuua Domine Iesu Christe: & muni te signo Crucis, attamen in fide: tum mox dæmon fugam arripit. non enim ferre potest hoc nomen.* Ita Lutherus. Etsi alibi longè aliter.

Ad IV. respondeo cum Anglicanis Caluinistis; non modò Anglicanam, sed & Romanam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam; *Semper sensisse, ac docuisse, & hodie etiam sentire, ac docere, signum Crucis in baptismo adhibitum, de ipsius sacramenti substantia haudquaquam existere. Nam, vt primùm Minister infantem immergens in aquam, vel eiusdem faciei aquam inspergens, hæc verba recitauerit;* Baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; *infans continuò* plenum, *& perfectum baptismi sacramentum consequitur; adeò, vt signum Crucis post adhibitum, ad baptismi virtutem nihil adiiciat; nec, idem omissum, de eius efficacia, aut substantia quidquam detrahat.* Cur igitur adhibetur? Causa prius est allata ex Britannicis Symmistis, quia decet, vt Cruce consignetur, qui sub Cruce stipendia facturus est. Decet item, vt posteræ Ecclesiæ, *hac in re sequantur primitiuas, & Apostolicas Ecclesias.*

Ad V. negamus fructum crucis Christi nobis per crucis signaculum non applicari: præsertim, si pia, & religiosa mente vsurpetur: quin adeò efficax est; vt aliquando ipsis etiam à fide alienis, & baptismi adhuc exsortibus, remedio sit, & saluti; cuius rei aliquot exempla hoc ipso libro produximus. Quod si, vt aiunt, *sola fide, & fiducia in Christum,* absque vllo alio medio, virtus Crucis Christi ad nos delabitur: quo igitur fine baptizantur Caluinistæ? Qua spe suam cœnam cœnant?

Ad VI. respondeo, hoc esse faciendum: videlicet vt Crux Christi in corde feratur: & illud non omittendum; nempe, vt frons, pectus, cætera membra, & res aliæ externo Crucis signaculo etiam insigniantur, & notentur. Neque hæc duo ita comparata sunt, vt alterum euertat alterum: quin concordissimè vnà in sede morari queunt; longeque credibilius existimo, eum, qui externo Crucis signaculo reuerenter vtitur; crucem quoque religiosè in corde circumferre; quàm eum, qui huius signaculi vsum, tanquam superstitiosum, auersatur, & exsecratur.

Verum

Verum enim verò Caluinistæ Germanici non tantùm rationes reddunt, cur vsus Crucis à Baptismo exterminari debeat; sed & rationes pro vsu hoc retinendo afferri solitas refellere tentant; quod, quàm efficaciter præstent; iam dispicere oportet.

I. Consuetudo formandæ Crucis antiquissima est in Ecclesia; quam ferè omnes Patres, & antiqui Doctores celebrant, scriptisque suis decantant. quod vel ex hoc quarto libro meo cuiuis manifestissimum euadet.

Respondent Caluinistæ. I. *Veteres non habuisse hanc ceremoniam pro necessariò obseruanda.* Mentiuntur, vt ostendunt cum totus liber hic quartus; tum præcipuè cap. 11. 12. 13. 14. quæ speciatim recensent antiquorum sententias de signaculo Crucis, & baptizandis, & baptizatis adhibendo.

II. *Veteres signaculo Crucis absq; vlla superstitione vsos.* Respondeo; Etiam posteros eodem absque vlla superstitione vti: quia, non vtuntur aliter, quàm veteres.

III. *Errasse, si qui veterum vsurparunt signaculum Crucis, tanquam necessariam cerimoniam; neq; imitandos esse.* Sed quorum iudicio errarunt? Noctuarum. *Istud animal*, inquit S. Ambros. *hæreticorum figura est, atq; gentilium. qui tenebras amplectuntur diaboli, lucem saluatoris horrescunt, & grandibus disputationum oculis cernunt vana, non respiciunt sempiterna. De his, ait Dominus; oculos habent, & non videbunt; in tenebris ambulant. Sunt enim acuti ad superstitiosa, hebetes ad diuina; qui, dum putant subtilibus euolare sermonibus, tanquam noctua veri luminis splendore turbantur.* S. Ambros. serm. 43.

IV. Respondent Caluinistæ: *Esse humanam traditionem.* Quid? num ideo reiicienda? Humana est, sed Apostolica. Nam, si quid in tota Ecclesia vsitatum sit, cuius origo nesciatur, id iure optimo ad Apostolos, tanquā ad auctores refertur, ex D. Augustini regula. Et, quid si Apostoli morem hunc ab ipso Christo acceperunt post Resurrectionem: quando cum illis versatus, multa de regno Dei; hoc est, etiam de futura Ecclesiæ forma instituenda, tractabat? Quid si Apostoli signaculum hoc non introduxerunt præcisè, vt præsules Ecclesiastici, humano modo aliquid statuentes; sed, vt Spiritus sancti immediata instrumenta; impulsi ab illo; sicuti scriptores Canonici agi, & impelli solent? Quocirca non sua; sed Spiritus sancti sensa promunt; & iussa promulgant. Act. 1.

V. Respondent; *hoc tempore adhiberi Crucis signaculum, tanquam necessarium; iure ergò explodi.* At, quomodo adhibeatur, tanquam necessarium, supra explicauimus. Quæ necessitas minimè profanam istorum impietatem, & temeritatem excusat: cùm, vt Caluinistæ Angli do-

cent, *res etiam media, & adiaphora,* quando præcipiuntur, necessariò faciendæ sint. Quantò magis igitur necessario adhiberi debet in baptismo signaculum Crucis, cùm non heri, aut nudiustertius, à nescio quo Caluiniano synedrio, sed ab ipsis Apostolis præceptum; & ad nos vsque sub præcepti obligatione per Ecclesiæ perpetuam praxin delatum fuerit.

Secunda ratio: Crucis signaculum est plenum solatij mnemosynon, & memoriale. Sicut olim aspersio superliminarium facta sanguine Agni Paschalis, quo filij Israël ab exterminatore Angelo tuti, ac immunes fuerunt; ritus erat plenus spiritualis consolationis, ac voluptatis.

Respondent Caluinistæ. I. *Exempla esse dissimilia. Nam sanguinis aspersionem fuisse mandatam à Deo: non autem crucesignationem.* At, vnde constat istis, crucesignationem non esse à Deo mandatam? Et, vt non esset: at, mandata est ab Apostolis; mandata est, ipso vsu, à primitiua, & Apostolica Ecclesia; vt ipsi Caluiniani in Anglia fatentur; mandata pariter est à subsecuta Ecclesia; quam, qui non audit, is iussu Christi in Ethnicorum, & publicanorum tribu iure à nobis reponitur.

II. *Aspersio illa sanguinis in veteri testamento erat figura, & repræsentatio venturi Christi; sed huiusmodi figuræ in nouo Testamento iam desierunt postquam gratia, & veritas per Christum nobis obtigit.* Et quid hæc ad rem? Quasi verò vllus Christianus vtatur Crucis signaculo, tanquam typo, & figura venturi Christi? Quis fidelium nescit, Christum iam venisse, & omnia illa legis antiquæ typica euanuisse? Vtimur ergò hoc signaculo; tum, vt monumento Christi passi; tum, vt inuicta aduersus diabolum armatura; tum denique, vt tessera, & symbolo eius, quam profitemur, Christianæ militiæ.

III. *Christum in sui commemorationem non instituisse Crucis signaculum; sed, sacram cœnam. 1 Cor. 11.* Sed, num solam? Num loco citato Apostoli asseritur, Redemptorem nostrum nihil aliud in memoriam sui instituisse, præter cœnam? Et, vt Christus hoc signaculum in suę passionis, & mortis recordationem, non instituisset; at, ex perpetuo eius in Ecclesia vsu colligeremus, id institutum ab Apostolis; quos, bonum factum non fecisse, nemo nisi non bonus affirmare audebit. Quomodo autem sanguis Agni Paschalis postibus ædium illitus, fuerit typus, & præsignificatio signaculi Crucis aliquando in frontibus, aliisque fidelium membris figendi, ostendimus ex antiquis Patribus supra. *Lib. eodem 4. cap. 8.*

Tertia Ratio: Ezechielis IX. legimus Angelum percutientem

nihil

nihil damni intulisse illis; quorum frons signo Tau, quod Crucis similitudinem gerit, notata erat.

Respondent Caluinistæ: I. *In Ezechiele non fieri mentionem literæ T; sed vocabuli Tau quod Germanicè significat ein Zeichen / hoc est, signum; & esse hunc sensum; Angelos parcere debere illis quorum frons signo quopiam ex mandato Dei notata appareat.* Respondeo, & si nō negamus, voculam Hebraicam Tau significare posse signum, deductam à verbo *Tauah*, quod est *signare*: neque ignoremus, septuaginta Interpretes per Tau, non literam; sed nomen appellatiuum intellexisse; vertentes σημεῖον: idque secutos esse S. Chrysostomum, & Theodoretum; & hodie etiam, eidem vocabuli Tau versioni, & explicationi applaudere nouos Bibliorum versores, vt Castalionem, Iunium, Tremelium, similes; scimus tamen, grauissimos itidem Auctores vocem Tau apud Ezechielem, pro litera, seu vltimo Hebraici alphabeti elemento accepisse: quorum agmen ducat noster interpres, qui est D. Hieronymus, qui idem sentit in Commentario, & ante illum interpretes Græci Aquila, & Theodotio, teste Origene; quamuis S. Hieronymus scribat Aquilam cum 70. Interpretibus vertisse σημεῖον. Item Tertullianus, Origenes, Isidorus, Ambrosius, Augustinus, & alij: quorum testimonia partim libro primo capite primo, partim hoc ipso libro capite octauo verbatim produximus. Quapropter, tam facilè quàm sibi persuadent, non eludent isti argumentum hoc ex Ezechiele petitum: cùm nitatur antiquissimorū Patrū testimoniis, & grauissima auctoritate.

*Chryso. homil. 18 in Matth. Theodoret. in cap. 9 Ezech.*

*Orig hom. 8. in Ezech. Hieron. in c 9. Ezech.*

II. Respondent; *Etiamsi attenderemus ad literam Tau, nō autem ad ipsam vocabuli significationem; tamen in Hebraica scriptura, prout ea vsus Ezechiel, nullam prorsus cum cruce similitudinem habet. Et, quamuis S. Hieronymus conetur ostendere antiquos Hebræos hanc literam forma Crucis efformasse, non potest tamē hoc vllo in speciem probabili argumento planum facere; vt proinde hinc ne minimum quidem concludi queat.*

Hæc responsio ex mera inscitia procedit. Non enim loquitur S. Hieronymus de Tau Hebręorum recentiore; sed veterum; cuiusmodi in Samaritanorum literis conseruabatur, ipsa etiam D. Hieronymi ætate. A quo isti assertionis suæ probationem postulant. Verùm, an non sat probationis tanti viri auctoritas? qui in Palæstina vixit; Samariam, & Samaritanos vidit; *& vsq; hodie*, id est, vsque ad ætatem suam Tau Samaritanorum Græci elementi T. speciem repræsentare ait. An quisquam tam excors est, qui existimet, D. Hieronymum oculis non vsurpasse; quod de characteribus Samariticis affirmat? Idē ante D. Hieronymū affirmauit Origenes, vt citatur in Notationibus ad Græcā Romanā editionē septuaginta Interpretū. Nam postq̄

 dixe-

**dixerat, Aquilam, & Theodotionem retento Hebraico vocabulo,**
vertisse Tau. subdit: ἑβραῖος δέ τις τῶν εἰς σωτῆρα πεπιστευκότων ἔλεγε τὰ ἀρχαῖα
στοιχεῖα ἐμφερὲς ἔχειν τὸ ταῦ τῷ τοῦ σταυροῦ χαρακτῆρι. καὶ προφητεύεσθαι περὶ τοῦ γινο-
μένου ἐν χριστιανοῖς ἐπὶ τοῦ μετώπου σημείου, ὅπερ ποιοῦσιν οἱ πεπιστευκότες πάντες, ὁποιου-
οῦν προκαταρχόμενοι πράγματος, καὶ μάλιστα εὐχῶν, ἢ ἁγίων ἀναγνωσμάτων. *Hebraeus quidam ex fidelium numero dicebat, vetusta elementa similem habere Tau literam, saluatoris characteri, & predici signum à Christianis in fronte efformari consuetum; quod fideles vniuersi formant, quamcunq; tandem rem auspicentur, maximè initio precum, & sacrae lectionis.* Hæc Origenes. In gemino tamen Alphabeto veteri Hebraico, quorum alterum ex Rabbino Azaria; alterum ex numismatis Hebraicis contexuit Villalpandus noster, litera Tau non præfert formam Græcæ literæ T, sed X. at parum interest; nam & litera X. figuram crucis Christi gerit, vt alibi dictum: Et potior apud me est auctoritas priscorum Patrum, similitudinem veteris Tau Hebræi cum Græco asserentium, quàm numismatum, aut recentioris illius Rabbini Azariæ.

*Villalpand. Tō.3. in Ezech.*

*Lib.1.de S.Cruce cap.2. & 3.*

III. Respondent Caluinistæ: *Longè aliud esse, quando quis mandatu, & præscripto Dei consignatur; & aliud, quando homines suópte nutu, & impulsu aliquod signum sibi imprimunt, rati, id sibi præsidio, ac benedictioni fore, absq; verbo Dei, & promissione.*

Verùm hîc veterem suam næniam Caluinistæ recinunt. Nam vnde probant, nihil esse licitum, salutare, ac fructuosum, nisi quod verbo Dei scripto præcipitur? Neque ex cerebro suo, hoc signum effinxerunt orthodoxi; sed ex traditione Apostolica acceptum, religiosè, ac reuerenter vsurpant, vt agnoscunt quoque, & palàm fatentur Caluiniani Angli. Addunt Embdenses; *Eandem prorsus esse rationem signi frontibus plurimorum impressi in Apocalypsi.* Respondeo, vt sancti Patres Tau illud Ezechielis iure transtulerunt ad signum Crucis; ita iidem non immeritò signum illud in Apocalypsi ad idem Crucis signum transferunt: quod in baptismo olim tam vsitatum fuit: vt inde etiam ipse *signaculi* nomen acceperit; vt supra non semel ostensum est.

*Cap.7.*

**Quarta ratio; Proditum est in Ecclesiasticis Annalibus, per signum, erectasque Crucis imagines ingentia miracula patrata; & dæmones fugatos esse.**

**Respōdent Caluinistæ. I.** ***Deū in primitiua Ecclesia etiā per minimas Christianorū cærimonias, absq; superstitione vsurpatas, multa miracula edidisse solandis fidelibus, terrendisq; infidelibus, & persequutoribus. hinc tamen nō sequi, huiusmodi cerimonias canonizandas, & quasi pro peculiari cultu diuino habendas esse.*** **Ago in-**

inprimis Caluinianis istis meritas gratias, quòd ingenuè confitentur, olim per Crucis imagines, & signum varia miracula fuisse patrata: hoc enim verissimum est; vt copiosissimè demonstrauimus toto libro secundo, tertio, & hoc ipso libro, tomi huius; & libro itidem tomi tertij. Non desunt tamen ex Lutheri, & Caluini fanatica schola; qui eò impudentiæ processerint, vt hæc omnia Crucis mira, vel inficientur, vel Dæmonum ludificationibus adscribant. Cur verò summo in precio, ac honore, non haberemus signaculum, & imagines sanctissimæ Crucis, quibus Deus tam admiranda effecit; licet hodie nihil horum efficeretur? Et vbi nam dixit Deus, se nolle; vt Christiani post Apostolorum, & primitiuæ Ecclesiæ tempora signaculo Crucis amplius vtantur? aut, se nullam vim, & efficacitatē Cruci posteris seculis largiturum, vt proinde vsus signi huius iam omni vtilitate careat?

Vide verò sis Caluinistarum acumen, & solertiam. Fatentur primis Christianæ religionis exordiis signum Crucis piè, & sanctè vsurpatum, multisq; miraculis nobilitatum. Et tamen iidem passim hîc clamant; *Crucem esse humanum inuentum, vel commentum; Verbo Dei, & promissione destitutum.* Si nihil agendum, nisi quod Verbo Dei præcipitur; qui fit, quòd primi illi Christiani cruce sese signarunt? An aliquid contra expressum Dei verbum egerunt? Qui fit, quod Deus *humanum inuentum, verbo Dei dissentaneum,* tot miris illustrauit? Quod si, vt isti scribunt; Deus olim eo fine Crucis signaculum grandibus miraculis decorauit, vt planum faceret, huiusmodi ceremonias longè excellentiores, & efficaciores esse, quam idololatrarum præcipuos, & ab ipsis etiam idolis, dæmonibusque præscriptos, & præceptos ritus: credibile profectò fit, Deum, hodieque per imagines, & signaculum Crucis multa mira patrare; dæmonesque in fugam dare; vt demonstret, hoc signum longè esse præstantius, validius, & potentius, quàm omnia illa ceremoniarum nugamenta, quæ Caluiniani suis in synagogis instituerunt, & de pectore suo procuderunt.

Obiiciunt; *Iulianum Apostatam, terrore spectrorum perculsum, facto Crucis signaculo, dæmonas fugasse, eoq; ipso à Deo monitum fuisse, vt cogitaret, etiam minimum Christianorum factum, efficacius ac potentius esse,* dann aller Teuffel bestes Heiligthumb/ *quàm omnium Diabolorum vel preciosissimas reliquias.* Si igitur Crucis signum Dæmonibus à desertore Iuliano obiectum, tam validum, præstans, & eximium fuit; vt meritò omnibus Diaboli cimeliis, inuentisque ante feratur: cur hoc itidem tempore, pari dignitate, & præstantia non existimaretur præditum? Num temporis progressu naturam suam exuit?

Oggerunt; *Dæmones non formidine Crucis abscessisse, sed ideo, vt cogerent Iulianum omnia Christianæ religionis insignia abiicere; si quidem arcana ab illis discere vellet.* Confitentur ergo Crucis signaculum esse Christianæ religionis symbolum, Dæmoniquc inuisum. Cur ergo vos Germanici Caluinistæ, hoc professionis Christianæ symbolum abiecistis? An, vt dæmoni gratificaremini? quandoquidem, vt in Iuliano illud ferre noluit, ita verisimile est, malum illum genium illud in vobis quoque tolerare non posse. Sed en virus Caluinisticum.

Occinunt; *A Dæmonibus sæpè tantum simulari fugam, & formidinem.* Idem deliramentum delirauit quondam Brentius; quem secuti deliratores alij non pauci; quorum somnia, & phantasmata dispuli supra. Nunc Caluinistis obiicio Lutherum; qui in epistola quadam ad illustrissimos Saxoniæ Principes; *Spiritus*, inquit, *Alstettinus* (Anabaptisticus) *hoc deuitat, vt Diabolus crucem.* Si igitur ex sententia Lutheri spiritus ille Anabaptisticus, verè, seriò, & medullitùs, publicum examen, lucemque fugit; sequitur, ex eiusdem opinione, etiam Diabolum, verè seriò, & *animitus*, Crucem odisse, ac detestari: quia fugit Crucem, vt spiritus Alstettinus lucem; sed ille fugit lucem seriò; ergo & Diabolus fugit crucem seriò. Maior, & Minor, sunt Lutheri; qui spiritum Alstettinum optimè nouerat; quippe ex vtero suo progenitum. Neque Lutherus in epistola illa dicere voluit, spiritum Alstettinum; hoc est, Lutheromunzecicum, ioco duntaxat, & simulatè, *dicisq.* gratia lucem auersari: Totus in eo est, vt principibus ostendat, spiritum illum esse lucifugum. Ex quo necessariò concluditur, Diabolum etiam verè, & seriò esse (nouato vtar vocabulo) crucifugum.

*Cap. 37. & 64.*

*Luther. tom. 2 ep. lat. fol. 226.*

Idem Lutherus alibi; *Sacramentarij ab hoc magis abhorrent, quam quispiam Diabolus à sancta Cruce vnquam abhorruerit.* Sed Sacramentarij, teste Luthero, seriò, & ex intimis visceribus abhorrent ab hoc, vt ostendant, in verbis cœnæ; *Hoc est corpus meum*; voculam, *est*, accipi, pro *significat*: &, voculam *corpus* pro signo corporis: ergo & Diabolus seriò, & ex penitis præcordiis abhorret à Cruce, ex sententia Lutheri.

*Luther. lib. de verb. cœnæ tom. 7 lat. VVitteb.*

Aueo autem ex Caluinistis intelligere, quodnam nomen fuerit Papæ illi, quem Diabolus abstulit; non obstante crebræ crucis obiectu; additis à Diabolo per ludibrium his *cancrinis*, hoc est, retrogradis versibus;

*Signa te signa, temerè me tangis, & angis.*
*Roma tibi subitò motibus ibit amor.*

Quinta ratio; Ad crucem Christi referuntur istæ, & aliæ huius generis sententiæ 1. Cor. 1. *Vt non euacuetur crux Christi.* Philip. 3. *Multi enim ambulant, tanquam inimici Crucis Christi.*

Respon-

Reſpondent Caluiniſtæ; *huiuſmodi ſententias loqui de paſſione, & morte Chriſti, non de lapideis, ligneis, aut manu noſtra effectis crucibus.* Cur verò non de his quoque? Quid obilat ô Caluiniſtæ? An non euacuatur Crux Chriſti, quando imago, & ſignum Crucis contemnitur, & exterminatur? An non inimici Crucis Chriſti ſunt; qui imaginem, & ſignum ſanctæ Crucis nullo modo ferre volunt? An neſciunt iſti, ſignaculum Crucis adhibitum à Regina Angliæ Eliſabetha in curatione ſtrumoſorum, vt docet VVilhelmus Tooker, Caluiniſticus *Capellanus*, ſeu αἰτόν ⊕, in libro, quem inſcripſit, *charisma*, ſiue *donum ſanationis*: vbi & hoc effatum inuenietis: *Nemo bonus Crucis ſignum vituperat*. Non ergo boni ſunt Caluiniani iſti, qui Crucem ex communi vſu proſcribunt.

FINIS LIBRI QVARTI.



# Liber Quintus

# DE SANCTA CRVCE

*QVI EST*

## DE CRVCE SPIRITVALI

*EX*

SACRA SCRIPTVRA, SANCTORVMQVE PATRVM MONVMENTIS COLLECTVS ET CONFECTVS.

# LECTORI.

Conuersus est hic quintus de spiritali Cruce liber in linguam Germanicam ab admodum Reuerendo Domino MARTINO HVBERO, Augustæ Vindelicorum ad S. Mauricium Canonico. Postea Coloniæ separatim excusus est latinè, vt pluribus eò esset parabilior, quò minor, præfixo hoc Epigrammate:

*Noscere vis, Lector quæ sit verissima nostra*
*Tessera militiæ? te docet iste Liber.*
*Quisquis enim Elysias sibi vult refringere portas,*
*Secum opus est Sacra deferat arma Crucis.*
*Crux via, Crux gladius, Crux est certissima clauis,*
*Quâ patet ætheriæ ianua victa plagæ.*
*Non potuére olim, quamuis voluére Gigantes,*
*Montibus extructis has superare domos.*
*Quid mirum? veris caruerunt scilicet armis,*
*Scandere nec rectâ tunc voluére viâ.*
*Iam via, iam nunquam nobis crucis arma negantur,*
*Quî fit quod rarus nunc velit esse Gigas?*

Et quia editionem Coloniensem Reuerendissimo Proëpiscopo Ratisbonensi Domino STEPHANO NEBELMARIO inscripseram, in integro item opere hoc meum in Antistitem optimum & religiosissimum amoris monumentum exstare volo.



# REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, DOMINO STEPHANO NEBELMARIO, EPISCOPO ALMIRENSI, SVFFRAGANEO Ratisbonensi.

## *IACOBVS GRETSERVS.*



ITAM nostram, *Reuerendissime Domine*, esse militiam, pugnam, luctam, & cursum, sacrarum literarum oracula, veterumque Patrum monumenta non semel affirmant. *Vocati sumus ad militiam Dei viui*, inquit Tertullianus, *iam tunc cùm in Sacramenti verba respondimus*; hoc est, cum in baptismatis susceptione cacodæmoni nuncium remisimus. Quæ huius militiæ conditiones? *Nemo miles ad bellum cum deliciis venit, nec de cubiculo ad aciem procedit; sed de papilionib⁹ expeditis, & substrictis: vbi, omnis duritia, & imbonitas, & insuauitas constitit. Etiam in pace, labore, & incommodis bellum pati iam ediscunt; in armis deambulando, campum decurrendo, fossam moliendo, testudinē desiccando. sudore omnia constant, ne corpora, atq; animi expauescāt: De vmbra, ad solem, de sole ad cælum, de tunica ad loricā, de silētio ad clamorem, de quiete ad tumultum:* Vno verbo, ad Crucē; cuius omnia plena sunt. Nec adeò mirum: cum sit crucis militia; sub crucis vexillo, & stemmate; Duce, & capite Crucifixo: sed quodcunq; hoc durum est, ad exercitationem virtutum animi, & corporis deputandum est. *Bonum agonem* subimus, *in quo agonothetes Deus viuus est: xystarches Spiritus sanctus: corona, æternitatis brabiū; angelicæ substantiæ politia in cælis, gloria in secula seculorum. Itaq; Epistates noster Christus Iesus, qui nos spiritu vnxit, & ad hoc scāma produxit; ad duriorē tractationem à liberiore conditione* nos sepositos cupit, vt vires corroborētur; ne in ipso certamine succumbamus. *Nempe, & athletæ segregantur*, inquit Tert. *ad strictiorem disciplinam, vt robori ædificando vacent; continentur à luxuria, à cibis*

Tertull. lib. ad Martyr.

*latioribus, à potu iucundiore. Coguntur, cruciantur, fatigãtur: quãto plus in exercitationibus laborauerint, tanto plus de victoria sperant. quia virtus duritia extruitur; mollitia verò destruitur.* Et athletæ quidem ab omni delicatiore viuendi instituto abstinent, *vt coronam corruptibilem consequantur: nos, æternam consecuturi.*

1. Cor. 9.

S. Cypr. epist 9. ad Mart. & Confess.


*Ergo si vos acies vocauerit*, monet S. Cyprianus, (quando autem nos non vocat?) *si certaminis vestri dies venerit* (& quando non venit?) *militate fortiter, dimicate constanter, scientes nos sub oculis præsentis Domini dimicare, confessione nominis eius ad ipsius gloriam peruenire; qui non sic est, vt seruos suos tantum spectet, sed & ipse luctatur in nobis; ipse congreditur, ipse in certamine agonis nostri & coronat pariter, & coronatur.*

Idem Tertull. eodem lib. c. 1.

Hanc spiritalem Crucis, & sub Cruce militiam hoc libello explicatum iui; &, vt ineunda, & ferenda sit, docui: quanquam semper cum solenni, & vocali ad commilitones meos, Tertullianea protestatione; *Nec tantus ego sum, vt vos alloquar.* Silebo igitur? minimè: quia *& gladiatores perfectissimos non tantum magistri, & præpositi sui, sed etiam idiotæ, & superuacuè quiq; adhortantur de longinquo, vt sæpe de ipso populo dictata suggesta profuerint.*

HVNC de militia spiritali sub Crucis signo libellũ, denuò in luminis oras prodeuntem, nomine tuo, *Reuerendissime Domine*, insignire volui; tũ, vt meis verbis de parta nuper Episcopali dignitate, tibi gratularetur, eamq; feliciter ad Ecclesię Ratisponensis emolumentum euenire iuberet: tum, vt meæ in te obseruantiæ, & amoris tanto annorum spatio iam continuati testis, & præco sonorus esset. Sexẽnium agitur, cum pileo Doctorali tua tempora cinxi: iam tum præuidebam, exoriturum non longo post tempore qui infula caput tuum tegeret. Huc enim Virtus, & eruditio tua te vocabat: quæ hactenus, quasi sub modio latitans, nunc super publicũ Ecclesiæ Ratisponensis, vt sic loquar, candelabrũ euecta; lucebit palam omnibus: nec illis tantùm, qui in domo Dei degunt; sed illis, qui extra palabundi oberrant; nescio quos tenebriones secuti. Bona spe sum, *Reuerendissime Domine*, hunc meum in te affectum, tuo in me reciproco affectui non displiciturum. Vale Ingolstadij, 20. Martij, M. DC. VII.

LIBER



# LIBER QVINTVS DE CRVCE SPIRITVALI.

*Disservimvs superioribus libris de Cruce, in qua Dominus est mortuus; item de imagine, apparitionibus, & signo Crucis. Postulat nunc ipsa instituti nostri ratio, vt dicamus de Cruce spirituali, quid sit, quotuplex, à quibus ferenda, quomodo & quo fructu. Exequemur autem hæc non tam nostris, quàm sacræ Scripturæ & sanctorum Patrum verbis, vt tota tractatio eò maius pondus apud omnes habeat, quò maioris auctoritatis illos esse viderint, quos Crucis spiritualis tollendæ & ferendæ Magistros proponemus.*

## CAPVT I.

*Quid sit Crux spiritualis.*

Crvx *à cruciatu dicitur*, inquit S. Gregorius, & si quidem cruciatus ab externo, & aspectabili, & in certam speciem conformato instrumento inferatur, Crux erit *vera* & *materialis*; si aliunde cruciatus obueniat, crux appellabitur *spiritualis*, per analogiam ad *materialem*. *Greg. hom 37. in Euang.*

*Nam Crux Domini non tantùm illa dicitur, quæ passionis tempore ligni affixione construitur, sed illa* (etiam) *quæ totius vitæ curriculo cunctarum disciplinarum virtutibus coaptatur.* Labor enim est in hoc virtutum studio & difficultas: hinc crux & molestia. *Aug. serm. 12. de Sanctis.*

Ad quam tollendam cohortatur quemlibet Dominus: *Tollat Crucem suam & sequatur me.* *Matth. 16.*

*Quid est*, inquit magnus ille Antistes, *Tollat Crucem suam? Ferat quicquid molestum est, & sic me sequatur. Tollat Crucem suam, hoc est, toleret in mundo pro Christo, quidquid intulerit mundus. Solet Christus passiones & afflictiones* *Aug. serm. 47. de diuersis.* *Aug. in Psal. 45.*

Oggerunt; *Dæmones non formidine Crucis abscessisse, sed ideo, vt cogerent Iulianum omnia Christianæ religionis insignia abiicere; si quidem arcana ab illis discere vellet.* Confitentur ergo, Crucis signaculum esse Christianæ religionis symbolum, Dæmonique inuisum. Cur ergo vos Germanici Caluinistæ, hoc professionis Christianæ symbolum abiecistis? An, vt dæmoni gratificaremini? quandoquidem, vt in Iuliano illud ferre noluit, ita verisimile est, malum illum genium illud in vobis quoque tolerare non posse. Sed en virus Caluinisticum.

Occinunt; *A Dæmonibus sæpè tantum simulari fugam, & formidinem.* Idem deliramentum delirauit quondam Brentius; quem secuti deliratores alij non pauci; quorum somnia, & phantasmata dispuli supra. Nunc Caluinistis obiicio Lutherum; qui in epistola quadam ad illustrissimos Saxoniæ Principes; *Spiritus*, inquit, *Alstettinus* (Anabaptisticus) *hoc deuitat, vt Diabolus crucem.* Si igitur ex sententia Lutheri spiritus ille Anabaptisticus, verè, seriò, & medullitùs, publicum examen, lucemque fugit; sequitur, ex eiusdem opinione, etiam Diabolum, verè seriò, & *animitus*, Crucem odisse, ac detestari: quia fugit Crucem, vt spiritus Alstettinus lucem; sed ille fugit lucem seriò; ergo & Diabolus fugit crucem seriò. Maior, & Minor, sunt Lutheri; qui spiritum Alstettinum optimè nouerat; quippe ex vtero suo progenitum. Neque Lutherus in epistola illa dicere voluit, spiritum Alstettinum; hoc est, Lutheromunzecicum, ioco duntaxat, & simulatè, *dicique* gratia lucem auersari: Totus in eo est, vt principibus ostendat, spiritum illum esse lucifugum. Ex quo necessariò concluditur, Diabolum etiam verè, & seriò esse (nouato vtar vocabulo) crucifugum.

Cap. 37. & 64. Luther. tom. 2 ep. lat. fol. 226.

Idem Lutherus alibi; *Sacramentarij ab hoc magis abhorrent, quam quispiam Diabolus à sancta Cruce vnquam abhorruerit.* Sed Sacramentarij, teste Luthero, seriò, & ex intimis visceribus abhorrent ab hoc, vt ostendant, in verbis cœnæ; *Hoc est corpus meum*; voculam, *est*, accipi, pro *significat:* &, voculam *corpus* pro signo corporis: ergo & Diabolus seriò, & ex penitis præcordiis abhorret à Cruce, ex sententia Lutheri.

Luther. lib. de Verb. cœnæ tom. 7 lat. VVitteb.

Aueo autem ex Caluinistis intelligere, quodnam nomen fuerit Papæ illi, quem Diabolus abstulit; non obstante crebræ crucis obiectu; additis à Diabolo per ludibrium his *cancrinis*; hoc est, retrogradis versibus;

*Signa te signa, temerè me tangis, & angis.*
*Roma tibi subitò motibus ibit amor.*

Quinta ratio; Ad crucem Christi referuntur istæ, & aliæ huius generis sententiæ 1. Cor. 1. *Vt non euacuetur crux Christi.* Philip 3. *Multi enim ambulant, tanquam inimici Crucis Christi.*

Respon-

Respondent Caluinistæ; *huiusmodi sententias loqui de passione, & morte Christi, non de lapideis, ligneis, aut manu nostra effectis crucibus.* Cur verò non de his quoque? Quid obstat ô Caluinistæ? An non euacuatur Crux Christi, quando imago, & signum Crucis contemnitur, & exterminatur? An non inimici Crucis Christi sunt; qui imaginem, & signum sanctæ Crucis nullo modo ferre volunt? An nesciunt isti, signaculum Crucis adhibitum à Regina Angliæ Elisabetha in curatione strumosorum, vt docet VVilhelmus Tooker, Caluinisticus *Capellanus*, seu αὐτόπ ☉, in libro, quem inscripsit, *charisma*, siue *donum sanationis*: vbi & hoc effatum inuenietis: *Nemo bonus Crucis signum vituperat.* Non ergo boni sunt Caluiniani isti, qui Crucem ex communi vsu proscribunt.

FINIS LIBRI QVARTI.



# Liber Quintus

# DE SANCTA CRVCE

QVI EST

## DE CRVCE SPIRITVALI

EX

SACRA SCRIPTVRA, SANCTORVMQVE PATRVM MONVMENTIS COLLECTVS ET CONFECTVS.

# LECTORI.

CONuersus est hic quintus de spiritali Cruce liber in linguam Germanicam ab admodum Reuerendo Domino MARTINO HVBERO, Augustæ Vindelicorum ad S. Mauricium Canonico. Postea Coloniæ separatim excusus est latinè, vt pluribus eò esset parabilior, quò minor, præfixo hoc Epigrammate:

*Noscere vin', Lector quæ sit verißima nostra*
*Tessera militiæ? te docet iste Liber.*
*Quisquis enim Elysias sibi vult refringere portas,*
*Secum opus est Sacræ deferat arma Crucis.*
*Crux via, Crux gladius, Crux est certißima clauis,*
*Quâ patet ætheriæ ianua victa plagæ.*
*Non potuére olim, quamuis voluére Gigantes,*
*Montibus extructis has superare domos.*
*Quid mirum? veris caruerunt scilicet armis,*
*Scandere nec rectâ tunc voluére viâ.*
*Iam via, iam nunquam nobis crucis arma negantur,*
*Quî fit quod rarus nunc velit esse Gigas?*

Et quia editionem Coloniensem Reuerendissimo Proëpiscopo Ratisbonensi Domino STEPHANO NEBELMARIO inscripseram, in integro item opere hoc meum in Antistitem optimum & religiosissimum amoris monumentum exstare volo.


# REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, DOMINO STEPHANO NEBELMARIO, EPISCOPO ALMIRENSI, SVFFRAGANEO Ratiſbonenſi.

IACOBVS GRETSERVS.



ITAM noſtram, *Reuerendiſſime Domine*, eſſe militiam, pugnam, luctam, & curſum, ſacrarum literarum oracula, veterumque Patrum monumenta non ſemel affirmant. *Vocati ſumus ad militiam Dei viui*, inquit Tertullianus, *iam tunc cùm in Sacramenti verba reſpondimus*; hoc eſt, cum in baptiſmatis ſuſceptione cacodæmoni nuncium remiſimus. Quæ huius militiæ conditiones? *Nemo miles ad bellum cum deliciis venit, nec de cubiculo ad aciem procedit; ſed de papilionib⁹ expeditis, & ſubſtrictis: vbi, omnis duritia, & imbonitas, & inſuauitas conſiſtit. Etiam in pace, labore, & incommodis bellum pati iam ediſcunt; in armis deambulando, campum decurrendo, foſſam moliendo, teſtudinē deſiccando. ſudore omnia conſtant, ne corpora, atq; animi expaueſcāt: De vmbra, ad ſolem, de ſole ad cælum, de tunica ad loricā, de ſilētio ad clamorem, de quiete ad tumultum:* Vno verbo, ad Crucē; cuius omnia plena ſunt. Nec adeò mirum: cum ſit crucis militia; ſub crucis vexillo, & ſtemmate; Duce, & capite Crucifixo: ſed quodcunq; hoc durum eſt, ad exercitationem virtutum animi, & corporis deputandum eſt. *Bonum agonem* ſubimus, *in quo agonothetes Deus viuus eſt: xyſtarches Spiritus ſanctus: corona, æternitatis brabiū; angelicæ ſubſtantiæ politia in cælis, gloria in ſecula ſeculorum. Itaq; Epiſtates noſter Chriſtus Ieſus, qui nos ſpiritu vnxit, & ad hoc ſcāma produxit; ad duriorē tractationem à liberiore conditione* nos ſepoſitos cupit, vt vires corroborētur; ne in ipſo certamine ſuccumbamus. *Nempe, & athletæ ſegregantur*, inquit Tert. *ad ſtrictiorem diſciplinam, vt robori ædificando vacent; continentur à luxuria, à cibis*

*Tertull. lib. ad Martyr.*





# LIBER QVINTVS DE CRVCE SPIRITVALI.

*DISSERVIMVS superioribus libris de Cruce, in qua Dominus est mortuus; item de imagine, apparitionibus, & signo Crucis. Postulat nunc ipsa instituti nostri ratio, vt dicamus de Cruce spirituali, quid sit, quotuplex, à quibus ferenda, quomodo & quo fructu. Exequemur autem hæc non tam nostris, quàm sacræ Scripturæ & sanctorum Patrum verbis, vt tota tractatio eò maius pondus apud omnes habeat, quò maioris auctoritatis illos esse viderint, quos Crucis spiritualis tollendæ & ferendæ Magistros proponemus.*

## CAPVT I.

### *Quid sit Crux spiritualis.*

CRVX *à cruciatu dicitur*, inquit S. Gregorius, & si quidem cruciatus ab externo, & aspectabili, & in certam speciem conformato instrumento inferatur, Crux erit *vera* & *materialis*; si aliunde cruciatus obueniat, crux appellabitur *spiritualis*, per analogiam ad *materialem*. *Greg. hom 37. in Euang.*

*Nam Crux Domini non tantùm illa dicitur, quæ passionis tempore ligni affixione construitur, sed illa* (etiam) *quæ totius vitæ curriculo cunctarum disciplinarum virtutibus coaptatur.* Labor enim est in hoc virtutum studio & difficultas: hinc crux & molestia. *Aug. serm. 12. de Sanctis.*

Ad quam tollendam cohortatur quemlibet Dominus: *Tollat Crucem suam & sequatur me.* *Matth. 16.*

*Quid est*, inquit magnus ille Antistes, *Tollat Crucem suam? Ferat quicquid molestum est, & sic me sequatur. Tollat Crucem suam, hoc est, toleret in mundo pro Christo, quidquid intulerit mundus. Solet Christus passiones & afflictiones* *Aug. serm. 47. de diuersis.* *Aug. in Psal. 45.*

 *crucem*

*crucem vocare*;quamobrem omnis tribulatio seu aduersitas,crux est siue animi siue corporis, *siue sit tribulatio in re familiari, siue sit in salute corporis, siue sit de periculo charissimorum, siue de aliqua re ad huius vitæ sustentaculum necessaria,quauis enim tribulatio congruum dolorem habet*, & cruciat,siue nomine magis definito dicatur *morbus* seu *pestis*, seu *mors*, seu *paupertas*, seu *infamia* & *ignominia*, seu *bellum*, seu *tristitia*, seu quocunque alio nomine explicari & significari soleat; hæc enim omnia cruciant, quare & *cruces* sunt.

*Aug. in Psal. 30. conc. 2.*

Quas *Calicis* quoque vocabulo sæpe Scriptura designat, vt cùm Dominus ait: *Potestis bibere Calicem, quem ego bibiturus sum*. Et: *Calicem quidem meum bibetis.*

*Matth. 20. Auct. oper. imp. in Matth. homil. 35.*

*Calix enim passio est*, ait ille. Et Origenes: *Hoc quod quis perfert dolores, calix est, quem bibit omnis, qui sustinet omnia sibi illata, nec reiicit, nec euomit aliquid illorum.*

*Orig. tract. 12. in Matth. Hebr. 11. Psal. 22.*

Significatur etiam crux nomine *disciplinæ*, quatenus *omnis disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mæroris*, vt ait Apostolus. Item nomine *Virgæ, Baculi, tentationis, &c.*

*Iacob. 1.*

Hanc spiritualem crucem statuendam & admittendam esse, ipse Saluator satis docuit, cùm quemlibet crucẽ suam tollere iussit: *Quid vult sibi hoc verbum?* inquit Chrysostomus. *An vt lignum vnusquisq; nostrum ferat? aut cum Christo crucifigatur in ligno? Certè non.*

*Chrys. hom. 1. de donat. crucis t. 1. in fine. Aug. serm. 32. de Sanctis.*

*Nunquid enim omnes Martyres, qui secuti sunt Dominum, crucifixi sunt cum Domino? Nunquid omnes Virgines, qui, iuxta Apocalypsin, sequuntur agnum Dei, crucifixi sunt, vt sequantur? Nunquid Apostolus Paulus crucifixus fuerat, cùm dicebat: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo? Hoc autem dicit, vt intelligas, crucem non* (tantum) *ligni esse patibulum, sed vitæ virtutisq; propositum.* atque adeò omne illud, quod cum labore & dolore coniunctum nos in hac vita exercet & cruciat.

## CAPVT II.

### *Quotuplex sit Crux spiritualis.*



VARIIS modis diuidi potest Crux spiritualis; primùm, à subiecto; in *interiorem* & *exteriorem*, & *vtramq; simul*.

Interiorem voco, quæ mentem excruciat, siue causa eius sit res interna, siue externa; ad animum tamen effectu suo redundans, illæso corpore.

Exteriorem, quæ corpus, & ea quæ corporis; Vtramq; simul, quæ animam & corpus pariter affligit. Seiungi & coniungi posse has cruces, docet experientia.

De

De priori loquitur Apostolus: *Tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo.* De altera accipio hoc eiusdem: *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur, aporiamur, sed non destituimur, persecutionem patimur, sed non derelinquimur, deiicimur, sed non perimus, semper mortificationem Iesu* (hoc est, crucem Iesu) *in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu*, hoc est, vita cruce plena, *manifestetur in corporibus nostris.* Rom.9. 2.Cor.4.

*Quid est*, inquit Chrysostomus, *mortificatio Domini Iesu, quam circumferebant? Mortes*, hoc est cruces, *quotidianæ.* Chrys. homil.9. in 2. epistol. ad Cor.

De vtraque cruce coniunctim, quæ simul mentem & corpus angit; oraculum illud Salomonis loquitur: *Spiritus tristis exsiccat ossa.* Tristitia crux interna est, & tamen corpus quoque tangit. Vt autem crux ab animo ad corpus, ita vicissim à corpore ad animum penetrare potest. Prouerb.17.

Secundò diuidi potest crux à causa efficiente in eam, quæ à Deo venit, & in eam, quæ ab hominibus, & in eam, quæ à nobis, vel à dæmone; permissu Dei.

*Non enim aggreditur nos dæmon nisi permiserit Deus, neq; enim gregem porcorum inuadere ausus fuit, Deo non permittente, multos minus homines. Permittit verò Deus, vt vel erudiat, vel pœnas sumat, vel illustriores nos faciat, quemadmodum accidit viro illi sanctissimo Iob.* Chrys. homil.6. in ep. ad Phil.

Crux à Deo fuit illa B. Dauidis, cùm à facie Absalonis, paucis comitatus, profugit. Prædixerat ei hanc crucem Dominus: *Ego suscitabo super te malum de domo tua.* 2.Reg.12.

Crucem ab homine patiebatur idem tunc, cùm clamans ad Dominum aiebat: *Miserere mei Domine, quoniam conculcauit me homo, tota die impugnans tribulauit me, conculcauerunt me inimici mei tota die, quoniam multi bellantes aduersum me.* Psal.55.

Crux sibi ipse fuit, qui in amaritudine animæ suæ dicebat: *Factus sum mihimet ipsi grauis.* Item ille, cuius hæc oratio: *Video aliam legẽ in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Iob.7. Rom.7.

Magna certè hæc crux probis, & adeò magna, vt exclamarit ille Deo dilectus: *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius?*

Crucem, & quidem grandem, à Dæmone sibi illatam tolerauit notissimus ille ob patientiæ virtutem Iob: *Egressus enim Satan à facie Domini, percussit Iob vlcere pessimo, à planta pedis vsque ad verticem eius, qui testa saniem radebat sedens in sterquilinio.* Iob.2.

Tertiò diuidi potest crux à qualitate & conditione in bonam & malam: quæ diuisio desumitur à causa, quæ cruci occasionem dare solet, & ab animo, quo sustinetur. Bona erit, si ob bonam causam, &

bona

Matth.5. bona mente toleretur: *Beati enim qui persecutionem patiuntur propter Iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

1.Pet.2. Imò gratia diuinitus data est, *si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniustè. Si quis patiatur vt Christianus*, ait idem princeps A-

1.Pet.4. postolorum, *non erubescat glorificet autem Deum in isto nomine.*

Mala crux est, cui origo mala. Eiusmodi crucem à Christianis ab-

Ibidem, esse iubet B.Petrus: *Nemo vestrum patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Quæ est enim gloria si peccantes & colaphizati sufferti?*

Eiusmodi cruce excruciantur peccatores, dum in admissis scele-

Rom.2. ribus sine pœnitentia hærent & perseuerant: *Tribulatio enim & angustia in omnem animam hominis operantis malum*. Et hæc non modò crux est, sed

Augustin. in Psal.45. maxima: *Inter omnes tribulationes humanæ animæ, nulla est maior tribulatio, quàm conscientia delictorum.* Potest tamen bona crux effici mala, & mala patientis voluntate & proposito, bona.

Galat.3. Bona est Crux eorum, qui *spiritu incipiunt*, mala verò; cùm *carne consumant.* Talis erat crux Galatarum, quibus iure Apostolus: *Sic stulti estis, vt cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini? Tanta passi estis sine causa?* hoc est, sine vtilitate.

Talis erat etiam crux multorum Christianorum, qui ad equuleos, vngulas & catastas ob Christianæ fidei professionem, hoc est, ob optimam causam rapti, postea eum ipsum, quem constantissimè profiteri debebant, perfidè abnegarunt. hi sunt illi, *qui supra petram sati;*

Luc.8. *qui cùm audierint, cum gaudio suscipiunt verbum*, (crucis) *sed radices non habent. quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis* (vehementioris scilicet) *recedunt*, & de cruce descendunt, contra exemplum magistri sui, cuius voluntatem persistendi in cruce, clamores illi; *Descende de cruce*, nullo modo immutare potuerunt.

Matth.27. Mala crux est eorum, qui ob malefacta quidem sua nocentes torquentur: bona tamen & sancta fit, animo æquo & pio crucem tolerantis, eamque ad expiationem criminum suorum referentis. Talis erat crux Dauidis, quam patiebatur ob malam causam. Quid enim peius adulterio & homicidio? Ea tamen insigni pietate ad salutem & commodum tam suum, quàm aliorum vsus est.

Psal.6. *Laboraui*, inquit, *in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.* Qui ergo hanc crucem perfert, & hoc animo, is non iam *vt fur*, aut *vt homicida patitur*, quod vetat S.Petrus; sed vt Christianus, & Dei amicus, si non respectu causæ: at respectu intentionis & voluntatis, quæ cùm sit *oculus* patientis, totum *corpus lucidum* reddit.

Verùm

Verùm quid extra Caluariæ montem exempla harum crucium quærimus, cùm ſanctus ille mons, & redemptionis noſtræ myſterio conſecratus, omnium fermè crucium exempla nobis ſuppeditet? Quæris crucem bonam tam cauſa, quàm voluntate patientis? Aſpice crucem Chriſti, qui *peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius*, & tamen factus eſt, *patri ſuo obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.* Matth.16. 1.Pet.2. Phil.2.

Nec bonitatem cauſæ corrupit deprauato animi conſilio. Nam *ſicut ouis ad occiſionem ductus eſt; & quaſi agnus coram tondente ſe obmutuit, & non aperuit os ſuum, qui cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur, tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè.* Iſai.53. 1.Pet.2.

Etſi autem cruci huic occaſionem dederint peccata generis humani; nam *propter ſcelus populi mei percuſsi eum*, ait Dominus per Prophetam. Et: *Ipſe peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum*; ex parte tamen Chriſti nulla fuit cauſa, cur crucis ſupplicio afficeretur; ipſius etiam iudicis teſtimonio, non vno, ſed triplici, eoque non occulto, ſed publico; Tota enim Iudæorũ multitudine audiente, protulit hæc verba Pilatus: *Nullam cauſam inueni in homine iſto.* Neq; contentus fuit ſua auctoritate Chriſti innocentiam aſtruere; eandem Herodis quoque teſtificatione comprobauit: *Sed neque Herodes*, inquit, *nam remiſi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum eſt ei.* Iſai.53. 1.Pet.2. Luc.23.

Quæris crucem malam quidem cauſa, bonam verò & laudandam exitu & propoſito? Aſpice crucem latronis, qui à dextris Domini pependit. Latro erat. Satis ſcelerum nominat, quiſquis latronem nominat, quauis cruce latrocinia digna ſunt. Sed ecce, vt ex neceſsitate latro ſibi fecerit virtutem, vtq; nomen boni latronis, repugnante propemodum rerum & vocabulorum natura, ſibi compararit.

Latro qui à ſiniſtris crucifixus pendebat, blaſphemabat Chriſtum: hic verò increpabat eum, dicens: *Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es, & nos quidem iuſtè. nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali geſsit. Et dicebat ad Ieſum: Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum. Et dixit illi Ieſus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.* Vides crucem non cauſa, ſed voluntate pia ſanctificatam.

Quæris crucem malam cauſa animique propoſito? Aſpice latronem, quem Chriſtus extremi iudicij ſpecimen repræſentans, ad ſiniſtram, vt hœdum, habuit. Latro erat, & ob latrocinia in crucem actus. Num animum mutauit in cruce? minimè verò. Quin ad priſtinam in homines ſæuitiam & immanitatem, adiunxit nunc, nouo ſcelere, impietatem & blaſphemiam in Deum, blaſphemabat enim Deum dicens: *Si tu es Chriſtus, ſaluum fac temetipſum, & nos*, Tres cruces in vno loco erant, inquit magnus ille Eccleſiæ Doctor. *In vna latro liberandus, in alia* Luc.23.

8. Aug. epistol. 48. ad Vincent. *latro damnandus: in media Christus, alterum liberaturus, alterum damnaturus. Quid similius istis crucibus? Quid dissimilius istis pendentibus?*

Quartò diuidi potest crux à latitudine, qua diffunditur, in publicam & priuatam. Publica est, quæ ad multos; priuata quæ ad singulos pertinet. Illa continet bella, famem, sterilitatem, pestem, & id genus alia mala, quorum sensus ad integras vrbes, imò regiones manat; hæc propriè illa incommoda comprehendit quæ sigillatim hunc vel illum cruciare solent.

Quintò diuidi potest crux cum S. Augustino, à modo quo hominibus obuenit: *Alia est enim crux, quam tu inuenis*, inquit S. Augustinus, *alia quæ te inuenit.* Vtramque tulit B. Dauid: Priorem, cùm dixit: *Tribulationem & dolorem inueni.* Posteriorem, cùm ait: *Adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis.* Et alibi: *Tribulatio & angustia inuenerunt me.*

Aug. in Psal. 45. Psal. 14. Psal 45. Psal. 118.

Quod enim Simoni Cyrenensi accidit, vt non tam inueniret crucem, quàm à cruce inueniretur; *prætereunti enim venientíque de villa*, & nihil minus, quàm de cruce cogitanti, crux est imposita. idem hodie non paucis in cruce spirituali contingit: *In vtraque tamen cruce, siue quæ te inuenit, siue quam tu inuenis, vt vtramque depellas, ille rogandus est, qui est adiutor in tribulationibus; Nam & ille cùm inuenit, hoc dixit: Et nomen Domini inuocaui: Et hi in tribulationibus, à quibus se inuentos esse dixerunt, hoc dixerunt: Deus noster refugium & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis.*

Marc. 15. Aug. loc. cit. Psal. 14. Psal. 45.

Hactenus de istis crucis spiritualis diuisionibus. Nam alias persequi, nihil attinet; illam præsertim, quæ ab *intensione & remissione* doloris petitur. Quis enim nescit, cruces esse inæquales, aliasque maiores, alias minores, cum eidem cruci ferendæ non habeant omnes humeros pares? Et cùm Deus fidelis sit, non patitur quenquam tentari & cruciari supra id quod potest. Neque Christus iussit, vt quis alienam crucem tollat, sed vt quiuis *suam & propriam*, hoc est, viribus suis attemperatam & accommodatam.

1. Cor. 10. Matt. 10. & 16.

## CAPVT III.

### *Quemlibet habere suam Crucem.*



QVILIBET Christianus suam habet vitam, & à vita alterius distinctam; Ergo & crucem: *Quia tota vita Christiani hominis, si secundum Euangelium viuat, crux est atque martyrium.* Nemo sibi blandiatur, quasi crucis sit expers: *Vita ista parua, tribulatio est; si non tribulatio, non est peregrinatio; si autem peregrinatio est, aut parum*

S. Aug. hom. 32. de Sanctis. Idem in Psal. 137.

*parum patriam diligis, aut sine dubio tribularis. Quis enim non tribuletur, non se esse cum eo, quod desideret? Quod si tibi non videtur tribulatio, causa est, quia non amas. Ama alteram vitam, & videbis, quia ista vita tribulatio est, quacunque prosperitate fulgeat, quibuscunque delitiis abundet atque circumfluat.*

*Nemo sibi dicat, fuerunt tribulationes apud patres nostros, apud nos non sunt. Si putas te nondum habere tribulationes, nondum cœpisti esse Christianus. Et vbi est vox Apostoli: Omnes qui volunt in Christo piè viuere, persecutionem patientur? Si ergo non pateris pro Christo vllam tribulationem, vide ne nondum cœperis in Christo piè viuere?* Idem Psal.55. 2 Tim.3.

*Reuera non est vita sine miseria, nec potest citra tribulationem, nec potest citra tristitiam vita præsens transmitti. Sicut enim immortalis homo non potest inueniri; ita neque absque tristitia & cruce. A Christiani vitâ vinculum insolubile est tribulatio.* Chrys. hom.66. ad pop. Antioc. Idem hom.67. ad Antioch.

Quid ita verò? *Quia qui Christi sunt*, hoc est, boni Christiani; *carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Cuiuis Christiano *vetus homo* crucifigendus est, vt destruatur *corpus peccati*, vt vltra *non seruiat peccato*, vt dicere possit cum Apostolo: *Christo confixus sum cruci.* An non hæc crux est, & molestissima quidem crux, in qua, si Christianus non modò nomine, sed & re ipsa esse velis; tibi manendum sit, dum vita manet? Galat.5. Rom.6. Galat.2.

Crucem hanc spiritualem omnium Christianorum præsignificauit ipsa crux Christi, si S. Augustino credimus: *Et si*, inquit ille, *crux Christi hoc solum significet, quod ait Apostolus: Qui autem Iesu Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum passionibus & concupiscentiis, quàm magnum bonum est?* Et quis auctor huius crucis? Ostendit auctorem idem his verbis: *Nec tamen facit hoc, nisi concupiscens aduersus carnem spiritus bonus, cùm illam crucem Christi fecerit inimicus, hoc est, spiritus malus.* Aug. tract.118. in Ioan.

Bonus ergo spiritus Christianorum est, qui carnem cum vitiis & concupiscentiis crucifigit, hoc est, intra honesti & recti limites coërcet, quique facta carnis mortificat, vt ipse viuat. Memor illius moniti: *Mortificate membra vestra, quæ sunt supra terram, fornicationem, immunditiam, libidinem & concupiscentiam & auaritiam, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem.* & id genus alia carnis opera. Coloss.3.

Videat igitur Christianus, qui sine cruce esse cupit, ne hoc ipso cupiat Christianus non esse, vt enim homo sine ratione esse nequit, ita nec bonus Christianus sine hac, de qua hactenus egimus, cruce, quæ in crucifixione vitiorum, malarumque appetitionum consistit. Quod etiam ex illo Saluatoris satis liquet: *Qui non baiulat crucem suam & venit post me, non potest meus esse discipulus.* Luc.14.

Quid enim aliud vult dicere, quàm talem non posse esse verum

Christianum: omnis enim Christi discipulus, Christianus est; & omnis Christianus, Christi discipulus; Et si discipulus Christi non sit, neque Christianus erit. Discipuli enim Christi, cognominati sunt Christiani.

Act. 11.

Sed nec viuere licet sine aliis crucibus, quæ Christianæ vitæ tam internæ non sunt: *In mundo pressuram habebitis.* Verè hoc prædixit veritas, non modò Apostolis, sed & omnibus Christi doctrinam secutu-ris. Vt & illud: *Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini.* Et alibi, præsupponens Dominus quemlibet suam habere crucem; non mandauit, vt quæratur, sed vt viriliter baiuletur.

Ioan. 16. Ibidem. Matt. 10. & 16. Luc. 9. & 14.

*Dispone & ordina omnia secundum tuum velle & videre*, ait optimus ille spiritualis crucis magister, *& non inuenies nisi semper aliquid pati debere, aut sponte aut inuitè, & ita crucem semper inuenies, aut enim in corpore dolorem senties, aut in anima spiritus tribulationem sustinebis. Interdum à Deo relinqueris, interdum à proximo exitaberis, & quod amplius est, sæpe tibimet ipsi grauis eris, nec tamen aliquo remedio vel solatio liberari, seu alleuiari poteris, sed donec Deus voluerit, oportet, vt sustineas.*

Thom. Kemp. lib 2. de imi. Christi cap. vlt.

*Tu neque Paulo melior es*, ait Chrysostomus, *neque Petro, qui nunquam remissionem assecuti sunt, sed fame, & siti, & nuditate laborarunt.*

Chrys. hom. 66. ad Antioch.

Audi ipsum Paulum de suis crucibus loquentem: *Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundum maris fui, in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate.*

2. Cor. 11.

Audi iam eundem de sua & aliorum Apostolorum cruce loquentem: *Puto*, inquit, *quòd Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, tanquam morti destinatos, quia spectaculum facti sumus mundo, Angelis & hominibus, vsq; in hanc horam, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris, maledicimur, persecutionem patimur, blasphemamur, tanquam purgamenta huius mundi facti sumus omnium peripsema vsque adhuc.*

1. Cor. 4.

Ausim dicere, nullum ab initio mundi fuisse Deo placitum & gratum, qui crucis expers hanc vitam traduxerit: *Multæ tribulationes iustorum*, ait Psalmista, non modò iam, sed & olim: *Non potes dicere, quia est iustus aliquis, qui expers tribulationis exstat, etsi sic nobis videatur, sed nos ignoramus alienas tribulationes, proinde necesse est, omnem iustum per pressuras tribulationesq; transire.*

Psal. 33. Chrys. hom. 29. in ep. ad Hebr.

*Sententia quippe Christi est, quia lata & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem: arcta verò & angusta, quæ ducit ad vitam. Si igitur per illam venitur ad vitam.*

*vitam, & non potest illuc aliter perueniri, certum est, quod per angustam banc viam omnes illi transierunt, quotquot ad vitam perducti sunt sempiternam.*

Percurrat qui volet singulos, nec reperiet à cruce liberum. imò quò gratiores Deo fuerunt, eò maiores cruces illis ferendas Deus imposuit: *Alij*, inquit Apostolus, de sanctis antiquæ legis; *distenti sunt, non suscipientes redemptionem, vt meliorem inuenirent resurrectionem. Alij verò ludibria & verbera experti, insuper & vincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt, circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, In montibus & speluncis, & in cauernis terræ.*

*Neq; vestimentum babebant*, inquit Chrysostomus, *ob magnitudinem tribulationis, neq; ciuitatem, nec domum, nec receptaculum. Quid dico receptaculum non babebant? Nec consistere permittebantur, neq; enim, cùm ad ipsas solitudines venirent, requies concedebatur. Non enim dixit, in solitudinibus sedebant; sed etiam ibi fugiebant, & inde exigebantur. & sic non tantùm ex terra habitabili, sed ex inhabitabili eiiciebantur, ac si fuissent in rebus turpissimis deprehensi, quasi indigni essent ipso conspectu solis, adeò ne in eremo quidem refugium inueniebant, sed semper cogebantur fugere, & ferarum lustra inquirere, & semetipsos viuos in terram defodere, & in perpetuo pauore versari.* Chrys. hom. 29. in epist. ad Hebr.

Et quid mirum, omnibus piè in Christo viuere volentibus, crucem paratam esse, cùm ipse Christus à primo suo ortu, vsque ad mortem, crucem portauerit. Nam *proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta.* Hebr. 12.

In cruce natus est, nisi fortè egestas & rerum omnium inopia, tibi crux non videatur. Iam iam enim natum, *reclinauit* sanctissima mater *in præsepio, quia non erat eis locus in diuersorio.* Hanc crucem tota vita sua nunquam deseruit, adeò vt se profiteretur, ipsis etiam animalibus ratione carentibus, pauperiorem. Nam *vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non babebat. vbi caput reclinaret.* Luc. 9.

Neque hac cruce contentus fuit, sed & innumeras alias totius vitæ suæ decursu, constantissimè tulit; tandemque spiritualem cum materiali coniungens, in ligno morte acerbissima peremptus est, vt non immeritò præceperit Apostolus omnibus illis, qui crucem ferunt, intueri in eum, tanquam in exemplar crucis ferendæ, & modi quo ferenda est: *Recogitate*, inquit, *eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem.* Matth. 8. Hebr. 12.

*Plagas quas accipiebat in capite, irrisiones, iniurias, improperia, illusiones, omnia hæc contradictionis nomine insinuauit Apostolus, neq; hæc tantùm, sed & alia, quæ circa omnem docentis Christi vitam contigerunt.* Chrysost hom. 28 in epist. ad Hebr.

Quamobrem qui cum Apostolo nihil aliud iudicat *se scire*, quàm 1. Cor. 2.

*Iesum Christum, & hunc crucifixum*, quique omnia sua ad hunc, tanquam ad *obiectum attributionis* refert, is non grauatè quamlibet crucem perfert. Ex habitu enim scientiæ, quam de Iesu Christo crucifixo habet, efficaciter ad quaslibet cruces inclinatur.

## CAPVT IV.

### *Refellitur falsa quorundam cogitatio, quibus videntur aliqui Cruce carere.*

*Thom. Kemp. lib. 1. de Imit. c. 22.*



ICVNT *multi imbecilles & infirmi: Ecce quàm bonam vitam ille homo habet, quàm diues, quàm potens, quàm excelsus, quàm magnus, quàm pulcher,* quàm sine cruce. Sed errant; qui error ex duplici capite oritur. Nam qui talia dictitant, ideo id faciunt; quia ad alienas cruces cæci sunt, & ad suas tantùm oculati.

*Chrys. hom. 67. ad Antioch.*

*Nam multæ sunt, & planè diuersæ, crucis causæ, & omnino nullus inueniri potest à tristitia & mœrore liber: sicut enim nauigans non potest non cum variis periculis conflictari, nauigans, inquam, hoc mare magnum; ita qui hanc vitam viuit, non potest non in tribulatione & cruce versari. Omnes enim cuiuscunque sortis sint, varias crucis causas habent, hic quidem ab vxore, hic à filio, alter à seruo, alter ab amico, alter ab inimico, ex vicino quidam, quidam ex fortunarum iactura.*

*Gen. 3.*

Nec perpendunt, qui ita affecti sunt; vim illius sententiæ, quam Dominus in Adamum tulit: *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. spinas & tribulos germinabit tibi, in sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es.*

*Cypr. lib. de bono patientiæ.*

*Huius sententiæ vinculo colligati omnes & constricti sumus, donec expuncta morte de isto seculo recedamus. In tristitia & gemitu simus necesse est, omnibus diebus vitæ nostræ, edamus panem necesse est cum sudore; Sudatur enim quamdiu istic viuitur, & laboratur.*

Si igitur quiuis mortalium degit in terra, quæ spinas & tribulos gignit; oportet, vt quiuis cruces habeat; quia quid aliud sunt pungentes spinæ & tribuli, quàm cruces? quas terra ista non his vel illis, sed omnibus, nemine excepto, profert: Nam illa sententia non tantùm lata est in Adamum, vt in priuatam personam; sed & vt in parentem humani generis; ac proinde in omnes, qui in illo, vt in parente continebantur.

*Chrys. hom. 3. de Lazaro.*

Fieri quidem potest, vt ab hoc vel illo genere crucis, vt à persecutione per tyrannos excitata, à bellis, aliisque publicis crucibus aliquando immunes simus, sed adsunt aliæ tribulationes per singulos dies nobis irruentes: Nam *etsi paupertas non est molesta, cupiditas tamen molesta est, atqui huic obnoxius es, nec hinc mediocris labor. Quod si morbus non inse-*

*infestat, at inflammat ira: ne is quidem mediocris labor, vincere iram. Et si afflictiones non irruperint, tamen malæ cogitationes indesinenter insurgunt. Non est autem vulgaris negotij refrenare cupiditatem, cohibere sitim inanis gloriæ, coërcere fastum, à delitiis temperare, in aspera disciplina degere.*

*Occupatio magna*, inquit Sapiens, *creata est omnibus hominibus, & iugum graue super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum vsq; in diem sepulturæ, in matrem omnium.* Et B. Iob. *Militia*, inquit, vel, vt alij legunt; *tentatio est vita hominis super terram, & sicut dies mercenarij dies eius. Notandum verò*, inquit S. Gregorius. *quod vita hominis non tentationem habere dicitur, sed ipsa tentatio esse perhibetur.* Ergo vita nostra non modò crucem continet, tanquam vita militum & mercenariorum, hominum videlicet in perpetuis laboribus degentium; sed & crux ipsa est: nisi fortè tentatio non sit crux. Quare vt nemo viuus vitæ expers est; ita nec crucis; quæ adeò in vita includitur; vt ipsa vita esse feratur. Eccles. 40. Iob. 7. Greg. l. 8. Marc. 4.

Hinc tantum abest, vt quis à cruce liber sit; vt ne infans quidem vnius diei, Cruce sua careat: *Nam vnusquisq; nostrum*, ait verissimè S. Cyprianus, *cùm nascitur, & hospitio mundi huius excipitur, initium sumit à lacbrymis, & quamuis adhuc omnium nescius & ignarus, nihil aliud nouit in illa ipsa prima natiuitate, quàm flere; prouidentiâ naturali lamentatur vitæ mortalis anxietates; & labores, & procellas mundi, quas ingreditur, in exordio statim, suo ploratu & gemitu rudis anima testatur.* Cypr. li. de pat.

Sed agedum disquiramus, quosnam isti eximere vel possint, vel soleant à Cruce. Reges fortassis & Imperatores, & quibus supremum ius in alios; *Veruntamen nec Rex*, aut quiuis alius Princeps, *procul à curis & cruce vitam agit, sed vitam viuit plenam multis tribulationibus & curis. Neq; tu diadema*, erroris tui originem, *respicias, sed curarum tempestatem, per quã ipsi corona paritur; neq; purpuram intuere, sed animam ipsa purpura magis nigrescentem. Non ita corona caput circundat, sicut animam sollicitudo. Nec satellitum cateruam, sed molestiarum multitudinem specta. Nec enim priuata domus tot curis plena reperiri potest, quot Regiæ sunt* cruces *per singulos dies expectandæ.* Chrys. hom. 66. ad pop. Antioch.

*Nec omnia pro votis facit, sed multa, præter quod sibi gratum est, indulget, & super omnes ea facit, quæ nullatenus vellet. Cogita verò quanta sit tristitia, cùm vellet quippiam agere, nec possit vel propter timorem, vel propter suspicionem, vel propter hostes, vel propter amicos Frequenter autem & cùm aliquid sibi gratum facere contenderit, omnem exterminant ei voluptatem multi; propter illam actionem, inimico erga illum animo affecti. Et hæc quidem in pace: si verò bellum ingruat, quid hac vita miserabilius esse potest?* Chrys. hom. 67. ad pop. Antioch. Chrys. hom. 66.

Quod si quis ex sacris literis exempla postulet: *Ecce Saul primus regnauit apud Iudæos; quantis molestiis & vexationibus? Et post illum Dauid innumeris* Ibid.

numeris

*numeris probatus & examinatus malis. Salomon. Abias, Ezechias, Iosias similiter.* Ex quibus Salomon, postquã omnia huius vitæ expertus esset; hanc protulit sententiam: *Vidi cuncta quæ sunt sub sole, & ecce vniuersa vanitas, & afflictio spiritus.* Et: *Vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi.*

Eccles. 1.

Si igitur Reges & Principes, & quibus in alios imperium est, cruce non carent, vt ostendimus, quis igitur cruce caret? an opulentos & omnibus diuitiis affluentes, & otiosam vitam agentes immunes à Cruce existimas; Falleris: *Nam quot eos pati molestias est verisimile, quæ verbis quidem recenseri non possunt, rebus autem ipsis ab illis tantùm sciri? quot sæpißime in illis opibus & delitiis mori optauerunt? Imò ipse delitiarum vsus innumeras gignit tristitias, morbos, & fastidia.*

Chrys. hom. 67.

*Cogita*, monet idem Chrysostomus, *quomodo par est diuitis mentem vexari, cùm gloriam se supergredientem appetat, cùm à seruis contemnatur, cùm à minoribus ludibrio habeatur, cùm innumeros patiatur opulentiam suam accusantes, pariter & calumniantes, & alia quæcunq; in diuitiis accidere credendum est; neq; explicare facile est inimicitias, offensiones, accusationes, iacturas, inuidentium insidias, qui postquam ipsius diuitias ad se transferre non potuerint, detrahunt vndiq;, laniant, & innumeras ei tempestates concitant.*

Chrys. hom. 63. ad Antioch.

Nec ea quidem vita, quæ ex virtutis præscripto instituitur, à cruce libera est: *Nam & hæc tristitiam habet: at tristitiam non inutilem, sed lucri & emolumenti plenam.*

Chrys. hom. 67. ad Antioch.

Fortasis sceleratos, & qui cupiditatibus suis obsequuntur, & omne voluptatum genus absque metu consectantur, sine Cruce vitam transigere putas? Sed quo minus tibi fidem habeam, obstat aureum illud os, cuius hoc est verissimum oraculum: *Inuidus & pecuniarum amator & meretrices deperiens, & gloriæ cupidus, & aliorum quisq; malas exercentium actiones, multas sustinet tristitias, & tribulationes, & lugentibus nihilo minus tribulatur.*

Chrys. hom. 66. ad Antioch.

Imò infinitis partibus plus: *Nam inter omnes tribulationes humanæ animæ, nulla est maior tribulatio quàm conscientia delictorum. Namq; si ibi vulnus non sit, sanumq; sit intus hominis, quod conscientia vocatur, vbicunq; alibi passus fuerit tribulationes, illuc confugiat, & ibi inueniet Deum. Si autem ibi requies non est, propter abundantiam iniquitatis, quid facturus est homo? Quò confugiet, cùm cœperit pati tribulationes?*

August. in Psal. 45.

*Fugiet ab agro ad ciuitatem, à publico ad domum, à domo ad cubiculum, & sequitur tribulatio. A cubiculo iam quò fugiat, non habet, nisi interius ad cubile suum. Porrò si ibi tumultus est, si flamma sceleris, non illuc potest confugere, pellitur enim inde, & cùm inde pellitur, & ecce hostem suum inuenit, quò confugerat, Seipsum quò fugiturus est? quocunq; fugerit, se talem trahit post se, & quocunque talem*

*talem traxerit se, cruciat se. sed à seipso sunt tribulationes, quæ inueniunt hominem nimis. quæ tanto sunt acerbiores, quanto sunt interiores.*

Quod si qui sunt, *qui lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis*, neque iam vlla conscientiæ cruciamenta sentiunt, id nequaquã argumento est, eos cruce carere, sed vel ob amentiam & phreneticum furorem Crucis tormenta non sentire, vel iam, quo nihil est deterius, in Cruce hac infelice penitus enectos esse. Prou. 2.

Enectus in Cruce, non sentit quidem Crucem, sed non caret cruce: *Si tales neq; lachrymas fundunt, neq; lugent, propter inuerecundiam & insensibilitatem id faciunt*, inquit Chrysostom. Isti sunt, qui dicunt: *Traxerunt me, & non sensi, verberarunt me, & non dolui.* Crucem tamen aliquando agnoscent, sed sero nimis. Nam hæc impiorum verba: *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles*; quid aliud sunt, quàm agnitio Crucis, ab impiis dum hic viuerent, toleratæ? Chrys. hom. 65. ad pop. Prouerb. 23. Sap. 5.

Omnibus ergo suæ decretæ sunt cruces, licet multorum cruces lateant, non pateant, quæ causa, cur videantur nullæ, cùm tamen non sint nullæ, sed non manifestæ, aut si sunt manifestæ; at tibi cæcutienti ad alienas Cruces, tuasque nimium æstimanti non sunt manifestæ. Insitum autem omnibus est, Cruces proprias exaggerare; alienas, vel nullas arbitrari, vel certè extenuare.

*Sicut enim, qui aliqua corporis parte dolent, se proximos doloribus superare putant, & oculum habens vitiatum, nullam ægritudinem aliam talem esse censet, qualem suam: rursus qui stomacho laborat, hoc omnium difficillimum esse asserit, & quo quisq; tenetur, hoc omnium molestissimum esse asserit: sic & in cruce, qua quis detinetur, hanc asserit esse difficillimam, cum propria enim hoc experientia iudicat.* Chrys. hom. 67. ad Antioch.

*Qui filios non habet, nihil ita graue putat, ac filiis carere: Qui multos habet, re familiari egena, is nihil tam accusat, quàm filiorum multitudinem. Vnum habens, nihil peius, quàm vnum habere putat: Miles nihil esse militia laboriosius, nihil periculosius asseuerat. Satius enim esse pane solo cum aqua vesci, quàm tot perferre molestias. In magistratu positus, dicit nihil magis laboriosum, quàm alienas necessitates curare. Subditus ait, nihil seruilius, quàm alienæ potestati subiacere. Mercator agricolam ex securitate beatum vocat, agricola mercatorem ex diuitiis. Quid multa? morosum omnino genus humanum est, sortemq; suam* crucemque *perpetuò accusans, & cùm omnes iudicauerit homines; tandem ait; Nihil homo, totamq; hominis naturam laboriosum simul, & ærumnosum animal* pronunciat.



# CAPVT V.

## *Quare Deus vitam istam tot crucibus & miseriis repleuerit.*



ARIAE huius rei adferri possent causæ, sed nobis in præsenti duas attigisse satis erit: Primam reddit S. Augustinus, ne præsentia, summa bona esse rati, desiderare & quærere abstineamus æterna: *Nam si semper Deus in istis prosperitatibus faueret nobis, vt omnia nobis abundarent, nullamq; in tempore isto mortalitatis nostræ tribulationem, nullas pressuras, angustiasq; pateremur, non diceremus nisi ista esse summa bona, quæ præstat Deus seruis suis, & maiora ab illo non desideraremus. Ideo autem huic vitæ malè dulci miscet amaritudines tribulationum, vt alia, quæ salubriter dulcis est, requiratur.*

August. in Psal. 43.

Chrys. hom. 6. ad Antioch. Eandem causam reddit Chrysostomus his verbis: *Propterea Deus laboriosam naturaliter vitam nostram & grauem constituit, vt præsenti tribulatione compulsi, futurorum desiderium capiamus. Si enim cùm sunt tot tristitiæ, & pericula, & timores, & curæ nos vndiq; circumeuntes tam libenter præsenti immoramur vitæ, si nihil horum esset, & absq; tristitia, & ærumnis omnibus tota foret vita nostra, quando vnquam futura desideraremus? Sic & Iudæis Deus fecit; Volens enim & illos in reditus cupiditatem inducere, & vt Ægyptum odissent, persuadere, permisit eos lateritio opere & luto laborare, vt laborum & ærumnæ illius magnitudine cruciati, ad Deum clamarent.*

*Ne igitur & nos terræ affixi, & præsentibus inhiantes torpeamus, & futurorum obliuiscamur, vitam nobis Deus fecit laboriosam; sicut enim corpus tritum laboribus & ærumnis confectum, amori non vult vacare, non indulgere ventri, sed requiescere, & quietè iacere: sic & anima plurimis obsita malis, ad requiem & quietum statum festinat.*

Aug. ser. 111. de tempore. Id. Serm. 149. de temp. *O infelicitas generis humani, amarus est mundus & diligitur, putas, si dulcis esset qualiter amaretur? turbatur mundus, & amatur mundus; quid si tranquillus esset mundus? formoso quomodo hæreres, qui sic amplecteris fœdum? Flores eius quomodo colligeres, qui à spinis non reuocas manum?*

Secunda causa, cur Deus vitæ huic tot Cruces & molestias adiunxerit, est, vt probet iustos: quam causam sæpe, tam ipsæ sacræ literæ, quàm S S. Patres indicant: *Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.* Et alibi: *In igne probatur aurum & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis.* Et Salomon: *Sicut igne probatur argentum & aurum camino, ita corda probat Dominus.* Et alibi de iustis dicitur: *Quod probati sint à Deo, tanquam aurum in fornace & accepti quasi holocausti hostia.* Et subditur: *Fulgebunt iusti.*

Eccles. 27. Eccles. 1. Prouerb. 17. Sap. 3.

Luc. 8. Quid mirum? Nam & aurum ex igne probationis eductum, fulgidius exit: *Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se.* Non enim similes

erant

erant illis, *qui radicem non habent, quiq; ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt*; sed potius illis, de quibus Saluator: *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Quod Deus olim fecit, idem & nunc facit, & eodem fine. Luc. 22.

Itaque quod ille quondam ad Israëlitas: *Tentat vos Dominus Deus vester, vt sciat si diligitis Dominum Deum vestrum ex toto corde vestro, & ex tota anima vestra, & ex tota virtute vestra*; hoc tu itidem suggere tibi & aliis, quos videris cum Cruce aliqua conflictari; tentat enim homines, tum vt aliis constet, quidnam sub pectore conclusum gerant, tum vt *probatio fidei multò pretiosior auro, quod per ignem probatur, inueniatur in laudem, & gloriam, & honorem, in reuelatione Iesu Christi.* Deut. 13. Ita legit & citat S. Cyprian. Exhort. ad Mart. c. 9. 1. Pet. 1.

Hinc & Iob, se à Deo probatum iri dixit: *Quasi aurum, quod per ignem transit.* Imò ob istam probationem per ignem afflictionis; appellatur à Propheta ipse Deus, *quasi ignis conflans. Et sedebit conflans, & emundans argentum*, inquit Propheta, *& purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum & quasi argentum.* Iob. 23. Malach. 3.

Appellatur aliquoties ab hac probatione Dominus, *scrutans corda, & probans renes.* Cùm ergo ex cruce probatio existat; rectè Apostolus inter crucis & tribulationis effectus, enumerat *probationem. Tribulatio*, inquit, *patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem.* Hier. 17. Rom. 5.

Probatur autem iustus, vel vt aurum in fornace, vt iam dictum est, vel vt triticum in area, vel vt vua in torculari. Et ad quamlibet ex his probationibus, sæpe adhibet Deus operam & ministerium malorum tam hominum, quàm Angelorum.

*Si dicas, quid faciant in hoc mundo homines mali: responde mihi, In fornace aurificis palea quid facit? puto non ibi esse sine causa paleam, vbi aurum purgatur. Videamus quæ ibi sint omnia. Fornax est, palea est, aurum est, ignis est, artifex est. Sed illa tria; aurum, palea, ignis in fornace; artifex ad fornacem. Attende etiam istum mundum: mundus, fornax est, palea homines mali; aurum, homines boni; ignis, tribulatio; artifex, Deus.* Aug. ser. 254. de tempore.

*Attende & vide: aurum non purgatur, nisi palea vratur, & vrat. Magna materies est purgationis bonorum, abundantia malorum; ne quis dicat, Saltem si necesse esset propter exercitationem nostram, vt essent mali, pauci essent mali, & boni multi essent. Non attendis, quia si pauci essent mali, multis non nocerent: vtique considera, quia, si multi boni essent, & pauci mali essent; pauci mali multis bonis nocere non auderent; si non auderent, non exercerent. Nunc verò quia multi sunt mali laboratur à paucis bonis inter multos malos; & cùm laboratur, sudatur, & cùm sudatur, aurum purgatur.*

Si tamen non defeceris. *Etenim si defeceris, peris in palea: Si peris in palea, aurum non eras, sed aurum esse te fingebas.*

*Psal. 25.* Probationem hanc per ignem adeò non reformidabat B. Dauid, vt illam etiam ardentissimis precibus à Deo expeteret: *Proba me*, inquiens, *Domine, & tenta me, vre renes meos, & cor meum. Qui timere debuit tentationem, petit tentationem. Non times, ne in igne deficias? Non, inquit. Quare? Quia misericordia tua ante oculos meos est. non quia idoneus sum viribus meis ignem sustinere tentationis, sed quia misericordia tua ante oculos meos est. Qui mihi*, inquit, *donasti, vt aurum probatum essem, in fornace me perire permittes? Prorsus mittis purgandum, eiicis purgatum.* Et quomodo probatus & purgatus ex hoc igne euaserit, ipsemet Propheta alibi declarat; *Probasti*, ait, *cor meum, & visitasti nocte: Quia ipsum cor meum visitatione tribulationis probatum est; igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas.*

*Aug. loc. cit.*

*Psal. 16.*

*Aug. in Psal. 16.*

Cæterùm mundus hic non modò fornax est, in qua probantur per ignem iusti, sed & area, in qua triturantur; *In tritura positus es, in tritura es adhuc, area trituratur adhuc, putas esse te posse in area triticum solum sine paleis? Erras. Geme in area, vt gaudeas in horreo.*

*Iacob. 1.* Si ergo in area es, in probatione es. At verò *beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se*; tum videlicet accipiet hanc coronam, cùm cœlestis agricola *permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.*

*Matth. 3.*

*Aug. ser. 254. de tempore.* Præterea in Ecclesia es, vt in torculari; *Quia & torculari Ecclesia comparata est. Quid est in torculari? In pressuris. Sed in torculari fructuosa pressura est, vua in vite pressuram non sentit, integra videtur, sed nihil inde manat. Mittitur in torculari, calcatur, premitur, iniuria videtur fieri vuæ, sed ista iniuria sterilis non est, imò si nulla iniuria accederet, sterilis maneret.*

*Idē in Psal. 55.* *Miserere mei Domine*, clamabat Dauid, *quoniam conculcauit me homo.* Dic & tu idem cum illo; *sed noli timere; quia conculcauit me homo, vinum habeto, vua factus es, vt calceris; primus botrus in torculari pressus est Christus, cùm ille botrus passione expressus est, manauit illud, vnde calix inebrians, quàm præclarus est.* Præpara igitur te *ad pressuras, sed noli esse aridus, ne de pressura nihil exeat.*

Siue igitur in fornace proberis vt aurum, siue vt triticum in area, siue vt vua plena dulcissimi liquoris in torculari, cura vt probationem sustineas, alioquin non aurum fuisti, sed scoria; non triticum, sed palea; non vua, sed labrusca.

*S. Greg. hom. 15. in Euang.* Memineris illius: *Qui humiliter flagella suscipiunt, post flagella ad requiem sublimiter suscipiuntur. Sic vua calcibus tunditur, & in vini saporem liqua-*

*liquatur. Sic oliua contusionibus expressa amurcam suam deserit, & in olei liquorem pinguescit. sic per trituram areæ à paleis grana separantur, & ad horreum purgata perueniunt. Gubernator in tempestate dignoscitur, in acie miles probatur. Delicata iactatio est. cùm periculum non est; conflictatio in aduersis, probatio est veritatis.* S. Cypr. lib. de mortalit.

## CAPVT VI.

### *Omnes inuitari à Christo ad suam Crucem ferendam.*



*I quis vult venire post me*, ait Dominus, *abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie. & sequatur me. Vide*, ait D. Chrysostomus, *vt nullam necessitatem verbis suis adiungit, non enim dixit: Velitis, nolitis, hoc vobis perferendum est, sed quomodo? Si quis vult me sequi; non vim affero, non cogo, sed sui quemque iudicij ac voluntatis Dominum facio, vtrum crucem suam, mei amore, velit ferre, ob eamq́ causam dico, si cui in animo est me sequi. Nam sicut qui vim fatit, plerumque auertit; sic qui liberos audientes constituit, multò magis attrahit, potentior enim est oratio mitis, quàm violenta.* Matth. 12. Luc. 9. Chrys. hom. de ador. crucis & hom. 56. in Mat.

Nec quisquam excluditur: *Si quis vult venire post me*, hoc est, discipulus meus fieri. Nam venire post Christum, est se Christo in discipulum tradere: Vnde illis, quos sibi allegebat discipulos, dicere solebat: *Venite post me, siue vir, siue mulier, siue is qui præest, siue is qui alteri paret, & seruari vult, hanc ingrediatur vitam.* Matth. 4. S. Aug. homil. 47. de diuersis.

*Non enim admonitionem hanc virgines debent audire, & maritatæ non debent; aut viduæ debent, & nuptæ non debent; aut monachi debent, & coniugati non debent: aut Clerici debent, & Laici non debent; sed vniuersa Ecclesia, vniuersum corpus, cuncta membra, per officia propria distincta & distributa audire debent: Si quis vult venire post me.*

Addit tamen conditionem planè necessariam ad hoc, vt quis crucem suam tollat, sine qua nullus aut crucem suam tollet; aut si tollat, constanter non feret. Et hæc est, vt *semetipsum abneget*. Antea iis, qui se sequi vellent, præceperat, vt omnia sua desererēt: *Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Nunc hoc non contentus, addit: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum. Ibi dicitur, vt abnegemus nostra; hic dicitur, vt abnegemus nos. Et fortasse, laboriosum non est homini relinquere sua, sed valde laboriosum est relinquere semetipsum.* Luc. 14. S. Greg. homil. 23. in Euang.

*Minus quippe est abnegare, quod habet; valde autem multum est abnegare quod est. Nec tamen sufficit nostra relinquere, nisi relinquamus & nos. Quid est, quod dicimus, nisi relinquamus & nos? Si enim nosmetipsos relinquamus, quò ibimus extra nos, vel quis est qui vadit, qui se deseruit?*

Sed audiamus eodem diuo Gregorio docente: quomodo hoc

ipsum, quod fieri non posse videtur, fiat. *Aliud*, inquit, *sumus per peccatum lapsi, aliud per naturam conditi, aliud quod fecimus, aliud quod facti sumus. Relinquamus nosmetipsos, quales peccando nos fecimus, & maneamus nosmetipsos, quales per gratiam facti sumus. Ecce etenim qui superbus fuit, si conuersus ad Christum humilis factus est, semetipsum reliquit; Si luxuriosus quisque ad continentiam vitam mutauit, abnegauit vtique quod fuit; si auarus quisque ambire iam desiit, & largiri didicit propria, qui prius aliena rapiebat, procul dubio semetipsum reliquit. Ipse quidem est per naturam, sed non est ipse per malitiam. Hinc enim scriptum est: Verte impios & non erunt. Conuersi namq; impij non erunt: Non quia non erunt omnino in essentia, sed scilicet non erunt in impietatis culpa.*

Prouerb. 12.

*Tunc ergo nosmetipsos relinquimus, tunc nos ipsos abnegamus, cùm vitamus quod per vetustatem fuimus & ad hoc nitimur, quo per nouitatem vocamur. Pensemus quomodo se Paulus abnegauerat, qui dicebat: Viuo autem iam non ego. Extinctus quippe fuerat ille sæuus persecutor, & viuere cœperat pius prædicator. Si enim ipse esset, pius profectò non esset. Sed qui se viuere denegat, dicat vnde est, quod sancta verba per doctrinam veritatis clamat? Protinus subdit, Viuit verò in me Christus: Ac si apertè dicat, Ego quidem à memetipso exstinctus sum: qui carnaliter non viuo, sed tamen essentialiter mortuus non sum, quia in Christo spiritualiter viuo.*

Galat. 2.

*Dicat ergo veritas, Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, quia nisi quis à semetipso deficiat, ad eum qui super ipsum est, non appropinquat, nec valet apprehendere, quod vltra ipsum est, si nescierit mactare quod est.*

Orig. in cap. 16. in Matth.

*Abnegat ergo se ipsum, qui priorem vitam suam malam, bona conuersione reliquit, vt putà aliquando luxuriosus, denegat se luxuriosum, conuersus ad castitatem; & qui erat iniustus, denegat se iniustum, cùm cœperit seruare Iustitiam; sic & qui insipiens fuerat aliquando, denegat se insipientem, sapientiam Dei suscipiens: sic & in omni malitia est dicendum, qui se abnegauerit, secundum quod præcepit Iesus, denegat quod fuerat.* Patet ergo interprete S. Gregorio, quid sit abnegatio sui ipsius, quam tanquam conditionem præmittere debet, quisquis crucem suam ferre volet.

Chrys. hom. de venerat. crucis & homil. 56. in Matth.

Quod si adhuc explicatius nosse lubet, quid sit se ipsum abnegare, *discamus quid sit alterum, ac tum denique abnegare se, quid sit, intelligemus. Quid ergo est negare alterum? qui alium negat, exempli causa, filium vel fratrem, vel amicum, vel vicinum, aut quemuis alium, siue flagris eum cædi videat; siue in vincula coniici, aut quiduis aliud perpeti, non præstò est, non fert auxilium, non vicem eius dolere se lacbrymis testatur, nullum sensum doloris eius sentit. Omnes enim alieno ab eo sunt animo.*

*Sic ergo vult nos Deus corpus nostrum negligere, vt si qui nos ipsius causa vel verberent, vel supplicio afficiant, vel exagitent, aut aliquid aliud faciant; negligamus, hoc est enim abnegare, id est, nihil rei secum habeat, sed se ipse periculis obiiciat*

&

*& certamini: atque eo modo affectus esto, quo si quis alius pateretur, esset. Nec dixit: Neget seipsum, sed abneget; hac parua adiunctione magnam declarans exuperantiam, cùm abnegare multo plus sit, quàm negare.*

Qui ergo seipsum hac ratione ex præscripto Domini abnegarit, is tollat crucem suam: *Tollit crucem suam qui regit mortalitatem suam. Tollit crucem suam, qui aut per abstinentiam corpus afficit, aut per compassionem, quam habet cum proximo; animam affligit. Vtroque modo crucem suam tulit, qui dixit, Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè aliis prædicans, ipse reprobus efficiar. Ecce in afflictione corporis audiuimus crucem carnis; audiamus nunc in compassione proximi, crucem mentis. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? perfectus quippe prædicator, vt exemplum daret abstinentiæ, crucem portabat in corpore; & quia in se trahebat damna infirmitatis alienæ, crucem portabat in corde.* Aug. homil. 76. de diuersis. S. Greg. homil. 32. in Matth. 1. Cor. 9. 2. Cor. 11.

Tollit crucem suam, qui pro Domino mori semper paratus est. *Nam ne quis putet, ad verba vsque tantummodo, ac contumelias, & opprobria, abnegationem hanc sui fieri oportere, subiunxit: Tollat crucem suam: Vt videas abnegandos nos esse vsq; ad mortem: & mortem quidem turpissimam, quam designans non dixit: abneget seipsum vsque ad mortem, sed tollat crucem suam, mortem ignominiosam significans.* Chrys. hom. 56. in Matth.

Tollit ergo crucem suam, *quia ita paratus est ad pericula, cædem & crucem, vt is, qui eam portat; ita paratus, vt is, qui eam humero sustinet.* Chrys. hom. de Vener. crucis.

Tollit crucem suam, *qui fert, quicquid molestum. Cùm enim quis cœperit Christum sequi, multos habebit contradictores, multos habebit prohibitores, multos habebit dissuasores, & hoc de ipsis quasi comitibus Christi. Cum Christo ambulabant, qui cæco clamare prohibebant, siue ergo minas, siue blandimenta, siue quaslibet prohibitiones, si sequi vis, in crucem verte, tolera, porta, noli succumbere.* Aug. hom. 47. de diuersis.

Iubet autem Christus quemlibet *crucem suam* accipere, & gestare, hoc ipso enim quiuis crucem debet existimare *suam*, quod sibi ferenda venit, à quocunq; veniat. Id enim ad rem non attinet, ne quis fortè non arbitretur *suam*, quod ab hoc vel illo, à quo nolit, vel non sperauerit, proficiscatur. Nam & Christus suam censuit crucem, hoc ipso, quod sibi eam ferendam venisse videbat, & additur: *quotidie.*

Crux enim hæc iugis est; *propter te mortificamur tota die,* ait Apostolus: *Non semel, nec bis,* monet Chrysostomus, *sed continuè per totam vitam hanc tecum crucem circumferas.* Rom. 9. Chrys. in cap. 16. Matth.

Porrò quod hic verbis Dominus tradidit; id postea docuit exemplo & facto: *baiulans enim sibi crucem exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locum: quo demonstrauit præcedens, quid facere debeat, qui eum sequi voluerit.* Et fortè ideo, occulto consilio, adhiberi passus est cruci ferendæ Simonem Cyrenæum, vt id ipsum expresfiore adhuc exemplo doceret. Ioan. 19.

At

ipsum, quod fieri non posse videtur, fiat. *Aliud*, inquit, *sumus per peccatum lapsi, aliud per naturam conditi, aliud quod fecimus, aliud quod facti sumus. Relinquamus nosmetipsos, quales peccando nos fecimus, & maneamus nosmetipsi, quales per gratiam facti sumus. Ecce etenim qui superbus fuit, si conuersus ad Christum humilis factus est, semetipsum reliquit; Si luxuriosus quisque ad continentiam vitam mutauit, abnegauit vtique quod fuit; si auarus quisque ambire iam desiit, & largiri didicit propria, qui prius aliena rapiebat, procul dubio semetipsum reliquit. Ipse quidem est per naturam, sed non est ipse per malitiam. Hinc enim scriptum est:*

Prouerb. 12. *Verte impios & non erunt. Conuersi namq; impij non erunt: Non quia non erunt omnino in essentia, sed scilicet non erunt in impietatis culpa.*

*Tunc ergo nosmetipsos relinquimus, tunc nos ipsos abnegamus, cùm vitamus quod per vetustatem fuimus & ad hoc nitimur, quo per nouitatem vocamur. Pensemus quomodo se Paulus abnegauerat, qui dicebat: Viuo autem iam non ego. Extinctus quippe fuerat ille sæuus persecutor, & viuere cœperat pius prædicator. Si enim ipse esset, pius profectò non esset. Sed qui se viuere denegat, dicat vnde est, quod sancta verba per doctrinam veritatis clamat? Protinus subdit, Viuit verò in me Christus: Ac si apertè dicat, Ego quidem à memetipso exstinctus sum: qui carnaliter non viuo, sed tamen essentialiter mortuus non sum, quia in Christo spiritualiter viuo.*

Galat. 2.

*Dicat ergo veritas, Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, quia nisi quis à semetipso deficiat, ad eum qui super ipsum est, non appropinquat, nec valet apprehendere, quod vltra ipsum est, si nescierit mactare quod est.*

Orig. in cap. 16. in Matth.

*Abnegat ergo se ipsum, qui priorem vitam suam malam, bona conuersione reliquit, vt putà aliquando luxuriosus, denegat se luxuriosum, conuersus ad castitatem; & qui erat iniustus, denegat se iniustum, cùm cœperit seruare Iustitiam; sic & qui insipiens fuerat aliquando, denegat se insipientem, sapientiam Dei suscipiens: sic & in omni malitia est dicendum, qui se abnegauerit, secundum quod præcepit Iesus, denegat quod fuerat.* Patet ergo interprete S. Gregorio, quid sit abnegatio sui ipsius, quam tanquam conditionem præmittere debet, quisquis crucem suam ferre velet.

Chrys. hom. de venerat. crucis & homil. 56. in Matth.

Quod si adhuc explicatius nosse lubet, quid sit se ipsum abnegare, *discamus quid sit alterum, ac tum denique abnegare se, quid sit, intelligemus. Quid ergo est negare alterum? qui alium negat, exempli causa, filium vel fratrem, vel amicum, vel vicinum, aut quemuis alium, siue flagris eum cædi videat; siue in vincula coniici, aut quiduis aliud perpeti, non præstò est, non fert auxilium, non vicem eius dolere se lacrymis testatur, nullum sensum doloris eius sentit. Omnes enim alieno ab eo sunt animo.*

*Sic ergo vult nos Deus corpus nostrum negligere, vt si qui nos ipsius causa vel verberent, vel supplicio afficiant, vel exagitent, aut aliquid aliud faciant; negligamus, hoc est enim abnegare, id est, nihil rei secum habeat, sed se ipse periculis obiiciat*

&

*& certamini: atque eo modo affectus esto, quo si quis alius pateretur, esset. Nec dixit. Neget seipsum, sed abneget; hac parua adiunctione magnam declarans exuperantiam, cùm abnegare multo plus sit, quàm negare.*

Qui ergo seipsum hac ratione ex præscripto Domini abnegarit, is tollat crucem suam: *Tollit crucem suam qui regit mortalitatem suam. Tollit crucem suam, qui aut per abstinentiam corpus afficit, aut per compassionem, quam habet cum proximo; animam affligit. Vtroque modo crucem suam tulit, qui dixit, Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè aliis prædicans, ipse reprobus efficiar. Ecce in afflictione corporis audiuimus crucem carnis; audiamus nunc in compassione proximi, crucem mentis. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? perfectus quippe prædicator, vt exemplum daret abstinentiæ, crucem portabat in corpore; & quia in se trahebat damna infirmitatis alienæ, crucem portabat in corde.* *Aug. homil. 76. de diuersis.* *S. Greg. homil. 32. in Matth.* *1. Cor. 9.* *2. Cor. 11.*

Tollit crucem suam, qui pro Domino mori semper paratus est. *Nam ne quis putet, ad verba vsque tantummodo, ac contumelias, & opprobria, abnegationem hanc sui fieri oportere, subiunxit: Tollat crucem suam: Vt videas abnegandos nos esse vsq; ad mortem: & mortem quidem turpissimam, quam designans non dixit: abneget seipsum vsque ad mortem, sed tollat crucem suam, mortem ignominiosam significans.* *Chrys. hom. 56. in Matth.*

Tollit ergo crucem suam, *quia ita paratus est ad pericula, cædem & crucem, vt is, qui eam portat; ita paratus, vt is, qui eam humero sustinet.* *Chrys. hom. de Vener. crucis.*

Tollit crucem suam, *qui fert, quicquid molestum. Cùm enim quis cœperit Christum sequi, multos habebit contradictores, multos habebit prohibitores, multos habebit dissuasores, & hoc de ipsis quasi comitibus Christi. Cum Christo ambulabant, qui cæco clamare prohibebant, siue ergo minas, siue blandimenta, siue quaslibet prohibitiones, si sequi vis, in crucem verte, tolera, porta, noli succumbere.* *Aug. hom. 47. de diuersis.*

Iubet autem Christus quemlibet *crucem suam* accipere, & gestare, hoc ipso enim quiuis crucem debet existimare *suam*, quod sibi ferenda venit, à quocunq; veniat. Id enim ad rem non attinet, ne quis fortè non arbitretur *suam*, quod ab hoc vel illo, à quo nolit, vel non sperauerit, proficiscatur. Nam & Christus suam censuit crucem, hoc ipso, quod sibi eam ferendam venisse videbat; & additur: *quotidie.*

Crux enim hæc iugis est; *propter te mortificamur tota die,* ait Apostolus: *Non semel, nec bis,* monet Chrysostomus, *sed continuè per totam vitam hanc tecum crucem circumferas.* *Rom. 9.* *Chrys. in cap. 16. Matth.*

Porrò quod hic verbis Dominus tradidit; id postea docuit exemplo & facto: *baiulans enim sibi crucem exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locum: quo demonstrauit præcedens, quid facere debeat, qui eum sequi voluerit.* Et fortè ideo, occulto consilio, adhiberi passus est cruci ferendæ Simonem Cyrenæum, vt id ipsum expresſiore adhuc exemplo doceret. *Ioan. 19.*

Chrys. hom. 56. in Matth. At verò ne quis existimaret, tollere & ferre crucem satis esse, addidit: *Et me sequatur. Posset enim aliquis crucem ferre, & grandia pati Christum tamen non sequi, quia latrones, sepulchrorũ violatores, dæmonum cultores, & magi multa plerumque talia patiuntur. Ne igitur credas ipsius passionis per se naturam sufficere, causam eius subiecit: quam ipsam? Vt quæ dicta sunt vniuersa faciens, atque patiens, ipsum sequaris, vt scilicet propter ipsum omnia sustineas, vtq; omnem virtutis numerum habeas. Is enim qui Christum sequitur, non in periculis modò fortitudinem adhibet, sed modestiam, sed humilitatem, & omne sublimioris philosophiæ genus complectitur. Id enim est rectè Dominum sequi, & vt oportet, si propter ipsum cuncta sufferas, & alias virtutes non negligas.*

Aug. serm. 47. de diuersis. Sequendus est ergo accepta Cruce Dominus, *sed quò sequendus est?* ait S. Augustinus, *quò iit nouimus: resurrexit enim & adscendit in cælum: ille sequendus est. bonum est illum eò sequi, sed videndum qua. Etenim verba ista Dominus Iesus non tunc dicebat, quando à mortuis iam resurrexerat: nondum passus erat, venturus erat ad crucem; venturus ad exhonorationem, ad contumelias, ad flagella, ad spinas, ad vulnera, ad insultationes, opprobria, mortem. Quasi exasperata est via, pigrum te facit, non vis sequi. Sequere. Asperatum est quod sibi fecit homo, sed contritum est, quod Christus redeundo calcauit. Omnes delectat celsitudo, sed humilitas gradus est. Qui quæritis apicem sublimitatis, potestis bibere calicem humilitatis? Ideo non vtcunq; ait: abneget se ipsum & sequatur me, sed addidit, Tollat crucem suam, & sequatur me.*

Hebr. 12. Sequi igitur Christum, non antecedere debes. Aspicere enim debent omnes, qui crucem portant, *in auctorem fidei, & consummatorem Iesum,* & quomodo aspicient, si non subsequantur? Hinc etiam Simon

Luc. 23. ille Cyrenæus *portabat crucem post Iesum;* & quod dignum obseruatione est, ipsis Iudęis id ita volentibus & procurantibus; voluntate quidem mala & peruersa, sed mysterio & documento omnibus salutari: *Imposuerunt enim illi crucem portare post Iesum,* inquit Euangelista; quasi absurdum esse putassent; si Simon crucem ante Iesum, Ducem non modò suum, sed & omnium aliorũ, portasset. Hinc & ipse Christus si quem ad se, hoc est, ad suam crucem vocaret; dicere non solebat; *Antecede me,* sed, *sequere me.*

Exod. 25. Hebr. 8. Matth. 8. Luc. 9. Aug. serm. 7. de Verbis Domini. Quisquis igitur crucem ferre cupis, *inspice & fac secundum exemplar, quod tibi in monte* Caluariæ, & in via ad hunc montem, *monstratum* est: Sequi tamen debes bona mente simplici, non mala & duplici, vt is qui aiebat: *Magister sequar te, quocunque ieris. Quid tam promptum; quid tam impigrum, & quid ad tantum bonum aptissimum? sequi Dominum quocunque ierit.*

*Sed quid est hoc, quod Domino displicuit tam paratus? Intelligimus, istum hominem, si sequeretur Christum, sua quæsiturum fuisse, non quæ Iesu Christi. Respondit*

*ſpondit enim. Vulpes foueas habent, & volatilia cœli nidos; filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet. Sed vbi non habet? In fide tua. Vulpes enim foueas habent in corde tuo, quia doloſus es. Volatilia cœli habent nidos in corde tuo, quia elatus es. Doloſus & elatus non me ſequeris. Quomodo doloſus ſequitur ſimplicitatem?* Extermina ergo hæc monſtra ex pectore, & tum ſequere.

Sequi item debes ſine mora, omnibus aliis abiectis, non petita dilatione cum illo, cuius hæc eſt petitio: *Domine permitte me primùm ire & ſepelire patrem meum*: nec cum illo altero, qui dixit: *Sequar te Domine, ſed permitte mihi primùm renunciare his, qui domi ſunt.* Luc. 9.

Sed vterq; à Domino reprehenſus eſt, & alter quidem audiit hoc: *Sine vt mortui ſepeliant mortuos ſuos; tu autem vade, & annuncia regnum Dei,* crucem videlicet circumferendo & prædicando: *Initium enim prædicationis Ieſu Chriſti ab ipſius Cruce fit,* inquit Origenes: Alter hoc: *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, id eſt,* ad crucem, *& reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei.* Orig. lib. 1. contra Celſum.

Qui enim iam cœpit crucem accipere; is illorum, *quæ retrò ſunt obliuiſcens, ad ea verò quæ ſunt priora ſe ipſum extendens, ad brauiũ ſupernæ vocationis,* quò crux ducit, indeſinenti curſu contendere debet, more eorum, quibus crux iam eſt impoſita; qui non multum ſolliciti ſunt de his, quæ in hoc mundo relinquunt, ſed tota mente, immemores præteritorum, feruntur in crucem iam præſentem. Phil. 3.

Neque ſequi debes Chriſtum eo animo, quo erat tum ille, qui & quando dicebat: *Quare non poſſum te ſequi modò? Animam meam pro te ponam.* Nimis confidenter & incircumſpectè: poſt illam à veritate auditam vocem: *omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte*: Imò poſt illam ſpeciatim ad ſe: *quò ego vado, non potes me ſequi modò, ſequeris autem poſtea.* Ioan. 13. Matth. 26.

Tu in animo & in oculis fer illud Apoſtoli: *Sufficientes non ſumus aliquid cogitare* (quanto minus crucem ferre) *à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*: Sic enim *curres,* & crucem feres, non *quaſi aërem verberans.* Sequeris autem certo & firmo veſtigio, *ſi quo modo comprehendas, à quo & ipſe comprehenſus es, à Chriſto Ieſu.* Concludamus igitur caput hoc iiſdem quibus id incepimus verbis: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me.* 2. Cor. 3. Phil. 3.



## CAPVT VII.

*Crucem ferendam esse patienter.*



IDIMVS Christo inuitante crucem esse ferendam, nunc dispicere oportet quomodo sit ferenda: Non enim sufficit ferre crucem, nisi scias etiam modum ferendi. Ante omnia autem necessarium est, vt crux feratur *patienter.*
*Aug. lib. de patientia cap. 2.* Est autem *patientia, qua mala æquo animo* (hoc est, sine perturbatione tristitiæ) *toleramus, ne animo bona deseramus, per quæ ad meliora perueniamus.* &
*Tert. lib. de patientia.* hæc *patientia; ita proposita Dei rebus est, vt nullum præceptum obire quis, nullum opus Domino complacitum perpetrare extraneus à patientia possit.*

*Hebr. 10.* Iure ergo Apostolus: *Patientia vobis necessaria est, vt voluntatem Dei fa-*
*Hebr. 6.* *cientes*, crucem videlicet patienter ferendo, *reportetis promissionem* fa-
*Hebr. 12.* ctam omnibus illis, qui crucem post Christum patienter ferunt. *Fide enim & patientia hæreditabit* hanc promissionem, non aliter.

*Ibidem.* Quare & alibi monet, vt *per patientiam curramus ad propositum nobis certamen,* ad crucem nimirum, & per crucem ad gloriam, & vt patien-
*1. Pet. 2.* tiam præstare possimus, iubet nos *aspicere in auctorem fidei, & consummatorem Iesum,* qui grauissimas cruces patientissimè tulit; *qui cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur; nec aperuit os suum,*
*Isai. 53.* *sed sicut ouis ad occisionem ductus est, & quasi agnus coram tondente se obmutuit:*
*Isai. 50.* *qui corpus suum dedit percutientibus, & genas suas vellentibus: qui faciem suam non*
*Cypr. lib. de patientia.* *auertit ab increpantibus & conspuentibus, qui cùm accusaretur à sacerdotibus & senioribus nihil respondit: & admirante Pilato, patientissimum silentium tenuit,*
*Tert. lib. de patientia.* *qui saginari voluptate patientiæ discessurus volebat, cuiuus omnes actus ab ipso sta-*
*Cypr. ibid.* *tim aduentu patientia comite signati sunt.*

Nec passionis & crucis ferendæ nobis duntaxat exemplum præ-
*1. Pet. 2.* buit, sed & modi, & in primis patientiæ: *Christus enim passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum,* vtique etiam patientiæ, *vt sequamini vestigia eius.* Et si tam patiens, & tam æquo animo fuit, qui peccatum non fecit, cuius in ore non est inuentus dolus, qui non sua, sed nostra peccata pertulit in corpore suo super lignum, quid te facere par est, qui in *ini-*
*Psal. 50.* *quitatibus conceptus,* natus, enutritus, & educatus es? Qui licet iustus sis,
*Prouerb. 24.* *septies tamen in die cadis.*

*S. Cypr. lib. de bono patient.* *Cogita virtutem animi, quæ patientia dicitur, tam magnum Dei donum esse, vt etiam ipsius, qui nobis eam largitur patientia prædicetur, Christi* inquam hominis, imò & Dei, purissimi illius & immutabilis spiritus.

*1 Pet. 5.* *Est enim nobis cum Deo virtus ista communis, inde patientia incipit, inde cla-*
*Rom. 9.* *ritas eius, & dignitas caput sumit, origo & magnitudo patientiæ Deo auctore pro-*
*Rom. 2.* *cedit, qui patienter agit propter peccatores, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti; qui in multa patientia sustinet vasa iræ apta in interitum.*

Et

Et Apostolus alicubi commendat non modò *diuitias bonitatis Dei, sed etiam patientiæ & longanimitatis*, qua malos, & mala tolerat, non quidem in se: nam ad ipsum *non accedit malum, nec flagellum appropinquat ad tabernaculum eius*, sed in hoc vniuerso. Imò vt Deus à *iustitia, iustus*, & à *misericordia, misericors*: ita sæpissimè in Scriptura, à *patientia, patiens*: singulari commendatione appellatur: *Domine Deus misericors & clemens, patiens & multæ miserationis*, clamat Moyses. Et D. Dauid: *Deus Iudex iustus, fortis & patiens*. Et alibi: *Patiens & multæ misericordiæ, patiens & multum misericors*. Et alius Propheta vocat Deum *patientem & magnum*. Et ideo fortè magnum laudat, quia patientem agnouerat. Apostolus quoq; *Deum patientiæ* prædicat.

Psal. 90.
Exod. 34.
Psal. 7.
Psal. 85. & 144.
Ioel. 2. & 4.
Nahum 1.
Rom. 5.

Paradigma igitur patientiæ ipse Deus nobis præfert. *Nobis*, inquit Tertullianus, *exercendæ patientiæ auctoritatem, non affectatio humana caninæ æquanimitatis stupore formata: sed viua ac cœlestis disciplinæ diuina dispositio delegat, Deum ipsum ostendens patientiæ exemplum; iam primum, qui florem lucis huius super iustos & iniustos æqualiter spargit, qui temporum officia, elementorum seruitia, totius genituræ tributa dignis simul & indignis patiatur occurrere, sustinens ingratissimas nationes, ludibria artium, & opera manuum suarum adorantes, nomen, familiam ipsius persequentes; luxuriam, auaritiam, iniquitatem, malignitatem, quotidie insolescentem, & cum crebris, imò continuis exacerbetur offensis Deus, indignationem suam temperat, & præstitutum semel retributionis diem patienter exspectat, cumq; habeat in potestate vindictam, mauult diu tenere patientiam, sustinens scilicet clementer & differens, vt si fieri possit, multùm malitia protracta, aliquando mutetur.*

Tert. lib. de patientia.
S. Cypr. loco cit.

Quam Dei patris patientiam, ipse etiam Christus, homo factus, sibi imitandam proposuit: *Quia ad hoc descendisse se dixerat, vt voluntatem patris faceret, inter cætera admirabilia virtutum suarum, quibus indicia diuinæ maiestatis expressit, paternam quoq; patientiam tolerantiæ tenore seruauit*. Conforma ergo te ad hæc tam præclara patientiæ exempla: *Quæ gloria est similem Deo fieri? Qualis & quanta felicitas, habere in virtutibus, quod diuinis laudibus possit æquari?*

S. Cypr. loco cit.

Quod si tibi ad patientiam non sufficit exemplum ipsius Dei & Christi Domini pro nobis passi, *exemplum accipe laboris & patientiæ Prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini. Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt.*

Inspice exempla eorum, qui tibi affectu & peccandi procliuitate fuerunt similes: Iobi videlicet, qui veræ patientiæ verissimum speculum fuit, cuius hæc erat in acerbissima cruce vox: *Sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Quem non abacti greges, non illæ in pecore diuitiæ, non filij vno ruinæ impetu adempti, non ipsius denique corporis in vulnere cruciatus, à patientia exclusit, quem Diabolus totis viribus frustrà cecidit.*

Tert. lib. de patientia.

*Neque enim à respectu Dei tot doloribus auocatus ille est, sed cõstitit nobis in exemplum & testimonium tam spiritu quàm carne, tam animo quàm corpore patientiæ perpetrandæ.*

Tob. 2. Intuere exemplum Tobiæ, cui Crux cæcitatis ideo euenit, permissu Dei, *vt posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut & S. Iob.* Intuere hoc exemplar & imitare, ne frustrà à Deo sit datum & statutum.

Aut si piget imitari hoc, quia nimis priscum, imitare hoc D. Pauli, & aliorum recentius: *Maledicimur & benedicimus, persecutionem patimur & sustinemus, blasphemamur & obsecramus.*

Nec exempla tantùm te docebunt patientiam, sed & aliæ cogitationes, quas menti tuæ subiicere poteris, & in primis hæc: *Patientiam* Tertull. de pat. *tam esse diuinam, vt bonum eius etiam qui cæca viuunt, summæ virtutis appellatione honorent. Philosophi quidem, qui alicuius sapientiæ animalia deputantur, tantum illi subsignant, vt cum inter se variis sectarum libidinibus, & sententiarum æmulationibus discordent, solius tamen patientiæ in commune memores, huic vni studiorum suorum commiserint pacem. In eam conspirant, in eam fœderantur, illi in affectatione virtutis vnanimiter student, omnem sapientiæ ostentationem de patientia præferunt. Grande testimonium eius est, cùm etiam vanas seculi disciplinas ad laudem & gloriam promouet.*

S. Ambros. in cap. 9. Lucæ. Cogita & illud; Crucem non minui, sed augeri impatientia; nisi enim patienter toleres Crucem Christi, hoc ipso quod impatiens es, tolerabis, velis nolis, Crucem Diaboli; nullo fructu: *Aliæ cruces nihil mihi prosunt,* inquit ille, *sola crux Christi mihi vtilis est, & verè vtilis.* Latro à sinistra Christi pendens, per impatientiam blasphemabat Christum, Luc. 23. eique insultabat: *Si tu es Christus, saluum fac temetipsum & nos.* Num ob id à Cruce liberatus est? Nihil minus, sed in Cruce obiit & periit, periturus in æternum. Hanc tamen ipsam Crucem, quam ob malam caussam sustinebat, poterat si voluisset, per patientiam, piumque voluntatis propositum, sibi reddere vtilem, vt fecit ille, qui erat à dexteris Christi; quantumuis alterius in sceleribus socius, at non socius in impietate & impatientia tolerandæ Crucis. Apparuit in his duobus Prouerb. 14. latronibus, verum esse, quod alicubi scripsit Salomon: *Qui patiens est, multa gubernatur prudentia: qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam.*

Sap. 1. S. Cypr. lib. de mortal. *Custodite vos,* monet Sapiens, *à murmuratione*, quæ est effectus impatientiæ. *Tolerantiam iusti semper habuerunt*, inquit sanctissimus Antistes & Martyr, *hanc Apostoli disciplinam de Domini lege tenuerunt, non mussitare in aduersis, sed quæcunque in seculo accidunt, fortiter & patienter accipere; cùm Iudæorum populus hinc semper offenderit, quod aduersus Deum frequentius murmuraret, sicut testatur in Numeris Dominus Deus dicens; Desinat murmuratio eorum à me, & non morientur.*

Itaque

Itaque per impatientiam murmurandum non est in aduersis, sed patienter & fortiter, quicquid acciderit sustinendum est. Potest his impatientibus & murmuratoribus Crux idem dicere, quod olim Moyses & Aaron Israëlitis: *Nos quid sumus, quia mussitastis contra nos? Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.* Murmurans enim non tam contra crucem murmuras, quam contra illum, qui crucem imposuit, vel cuius permissu imposita est: *Nec aliud magis inter iniustos discernit & iustos, quàm quod in aduersis per impatientiam queritur & blasphemat iniustus: Patientia iustus probatur.* *Exod. 16.* *Cyp. de patient.*

Illud præterea in mentem reuoca, per patientiam effici te filium Dei, tibique Deum patrem: *Diligite inimicos vestros, & maledicentibus benedicite, & orate pro persecutoribus vestris, vt filij sitis patris vestri cœlestis. Vides; quem nobis patrem patientia adquirat. Quod si nobis Dominus & pater Deus est,* inquit S. Cyprianus, *sectemur patientiam Domini pariter & patris, quia & seruos oportet esse obsequentes, & filios non decet esse degeneres.* *Tertull. de pat.* *Cypr. lib. cit.*

Perpende insuper patientiam esse fructum Spiritus sancti, quæ si in te non sit, vtique nec ipsa huius tam præstantis fructus arbor in te erit. Si igitur ipso Spiritu sancto carere nolis, noli carere patientia in cruce ferenda: Nam si hanc nõ habeas, conuinceris vel inuitus, quod & illius sis expers: *Nam vbi Deus, ibidem & alumna eius patientia. Cùm ergo Spiritus Dei descendit, indiuidua patientia comitatur eum.* *Galat. 5.* *Tertull. lib. cit.*

Est item patientia index charitatis: *Charitas enim patiens est. Dilectio,* inquit Tertullianus, *summum fidei Sacramentum, Christiani nominis thesaurus, quam Apostolus totis viribus sancti Spiritus commendat, cuius nisi patientiæ disciplinis eruditur? Dilectio, inquit, magnanimis est. ita patientiam sumit. benefica est. Malum patientia non facit. Non æmulatur. Id quidem patientiæ proprium est. Nec proteruum sapit. Modestiam de patientia traxit. Non inflatur, non proteruit. Non enim ad patientiam pertinet. Nec sua requirit, suffert sua, dum alteri prosit; nec incitatur. Cæterùm quid impatientiæ reliquisset? Ideo, inquit, dilectio omnia sustinet, omnia tolerat, vtique quia patiens. Meritò ergo nunquam excidet.* *1. Corinth. 13.* *Tertull. loc. cit.*

Est etiam patientia signum doctrinæ, *nam doctrina viri per patientiam noscitur; Tanto ergo quisque minus ostenditur doctus, quanto conuincitur minùs patiens.* *Prouerb. 19.* *S. Greg. hom. 35. in Euang.*

Ad hæc, patientia est nota & character seruorum Dei: *Seruum Domini non oportet litigare,* inquit Apostolus, *sed mansuetum esse ad omnes, docibilem & patientem.* Quamobrem monet idem Apostolus, *vt in omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus & necessitatibus, in angustiis & plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis & in castitate.* Primo loco ponit patientiam: nõ *2. Tim. 2.* *2. Cor. 6.*

abs te; Quia nisi hæc adsit, nunquam te ministrum Dei in crucibus & tribulationibus subeundis,& generosè tolerandis ostendes.

Coloss. 3. Quare præter cęterum ornatum,quo S.Paulus milites Christi vestit,iubet,vt *induant, sicut electi Dei, sancti & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem,humilitatem,modestiam,& patientiam.* Et alibi,cùm totum ornatum Christianorum describit; monet inter cætera; vt sint *spe gaudentes,& in tribulatione patientes*; Ipse etiam *signa sui Apostolatus* se exhibuisse & ostendisse testatur *in omni patientia*, quod nimirum patientia seruis Dei inseparabiliter annexa sit; & omnia eorum dicta & facta comitetur. Hinc & filium suum Timotheum monet S.Paulus,vt prę ter iustitiam, pietatem, fidem, charitatem & mansuetudinem, sectetur *patientiam*: & alibi laudat eundem quod tanquam discipulus fidelis assecutus sit Magistri sui doctrinam, *institutionem, propositum, fidem,longanimitatem, dilectionem,patientiam, persecutiones passiones.*

Rom. 12. 2.Cor. 12. 1. Tim. 6. 2. Tim. 3. Hebr. 12.

Quid,quod ipsa Crux patientiam tibi dabit,si crucem intuearis, iis quibus debes,oculis,hoc est,non tantùm,vt est *mœroris & doloris* effectrix,sed vt affert tandem *fructum pacatissimum exercitatis per eam.* Neque enim falsum censebis illud Apostoli: *Tribulatio,* hoc est, Crux, *patientiam operatur.* Quid verò patientia? *Probationem: probatio verò spem. Spes autem non confundit.* Ecce quantis bonis te priues, si patiens esse nolis,probatione,spe,gloria.

Hebr. 12. Rom. 5.

Matth. 12. Cùm ergo in cruce es,cogita crucem insusurrare tibi illud: *Patientiam habe in me,& omnia reddam tibi.* Item illud: *In patientia vestra possidebitis animas vestras. Quid est animas possidere, nisi perfectè in omnibus viuere, cunctis mentis motibus ex virtute dominari? Qui igitur patientiam tenet, animā possidet,quia inde contra aduersa omnia fortis efficitur, vnde sibi & seipsum vincendo dominatur.* Verè ergo *patientia opus perfectum habet*: quod enim opus perfectius, quàm animarum nostrarum possessio, & plenum in illas dominium? quod per patientiam adquirimus, ita vt ad nullos paueamus insultus,hoc enim ipsum remedium contra omnes terrores & persecutiones præscripsit Dominus Apostolis.

Luc. 21. Greg. l. 5. Mor. c. 14. Iacob. 1.

Magna igitur dignitas,imò necessitas patientiæ, *& omnino latè patet patientiæ virtus*,ait S.Cyprianus, *& vbertas eius, & largitas de vnius quidem nominis fonte proficiscitur,sed exundantibus venis per multa gloriarum itinera diffunditur,nec proficere aliquid in actibus nostris potest ad consummandam laudem,nisi inde consummationis accipiat firmitatem.*

Cyp. lib. de pat.

*Patientia est,quæ nos Deo & commendat,& seruat,ipsa est, quæ iram temperat,quæ linguam frenat,quæ mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium simultatis extinguit; coërcet potentiam diuitum,inopiam pauperum refouet,tuetur in virgi-*

nibus

*nibus beatam integritatem, in viduis laboriosam castitatem, in coniunctis & maritatis indiuiduam charitatem, facit humiles in prosperis, in aduersis fortes, contra iniurias & contumelias mites, docet delinquentibus citò ignoscere, si ipse delinquas, diu & multum rogare, tentationes expugnat, persecutiones tolerat, passiones & martyria consummat, ipsa est, quæ fidei nostræ fundamenta firmiter munit. Ipsa est, quæ incrementa spei sublimiter prouehit, ipsa actum dirigit, vt tenere possimus viam Christi, dum per eius tolerantiam gradimur, ipsa efficit, vt perseueremus filij Dei, dum patientiam patris imitamur.*

*Imò patientia fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adiuuat, humilitatem instruit, pœnitentiam exspectat, exomologesin assignat, carnem regit, spiritum seruat, linguam frenat, manum continet, tentationes conculcat, scandala pellit, pauperem consolatur, diuitem temperat, infirmum non extendit, valentem non cōsumit, fidelem delectat, gentilem incitat, seruum Domino, Dominum Deo commendat, fœminam exornat, virum approbat, amatur in puero, laudatur in iuuene, suspicitur in sene, in omni sexu, in omni ætate formosa est.* *Tertull. de pat.*

Quod si laudibus, encomiis & commodis patientiæ non excitaris ad amandam & complectendam hanc pulcherrimam virtutem, mouearis saltem malo, quod impatientia apportat. Nam *vt patientia bonum Christi est: sic contra impatientia Diaboli malum est. Et sicut in quo habitat & manet Christus, patiens inuenitur: ita impatiens semper existit, cuius mentem Diaboli nequitia possidet. Impatientia in Ecclesia hæreticos facit, & ad Iudæorum similitudinem contra Christi pacem & charitatem rebelles, ad hostilia & furiosa odia compellit. Et ne longum sit singula recensere, omnia omnino, quæ patientia operibus suis ædificat ad gloriam, impatientia destruit ad ruinam, & sicut patientia in Deo; ita aduersaria eius* (impatientia) *in aduersario nostro nata atq; comperta est, ita vt natales & incunabula impatientiæ in ipso Diabolo deprehendantur, iam tunc cùm Dominum Deum, vniuersa opera, quæ fecisset, imagini suæ, id est, homini subiecisse, impatienter tulit. Nec enim doluisset, si sustinuisset, nec inuidisset homini, si non doluisset. Adeò decepit eum, quia inuiderat; Inuiderat autem, quia doluerat. Doluerat, quia patienter vtiq; non tulerat.* *Cypr. loc. cit.* *Tertull. de pat.*

*Matrix ergo impatientia in omne delictum diffundens de suo fonte varias criminum venas. Omne peccatum impatientiæ adscribendum. Malum impatientia est boni: nemo impudicus, non impatiens pudicitiæ, & improbus probitatis, & impius pietatis, & inquietus quietis.*

*Quare & bonis patientiæ, & impatientiæ malis diligenter expensis, patientiam, per quam in Christo manemus, vt venire cum Christo ad Deum possimus, plena obseruatione teneamus. Amemus patientiam Dei patientiam Christi, rependamus illi, quam pro nobis ipse defendit; offeramus patientiam spiritus, patientiam carnis, qui in resurrectionem carnis & spiritus credimus.* *Cyp. lib. de pat.* *Tertull. l. de pat.*

CAPVT

## CAPVT VIII.

### *Crucem ferendam esse hilariter.*



I quis in Cruce ferenda patientem sese præstat, non admodum laboriosè à se impetrabit, vt eandem lætus quoque & hilaris ferat. Vetus simul & tritum dictum est: *Deum hilarem datorem diligere*, cur non & hilarem latorē Crucis? Ecce, ipsemet *desiderio desiderauit pascha illud manducare cum discipulis*, post quod nihil aliud exspectauit, nisi Crucem. Ipse *exultauit vt gigas ad currendam viam suam.* Quam, oro, viam, nisi illam ex ædibus Pilati ad montem Caluariæ? ob id etiam *flentes mulieres* à fletu desistere iussit; hoc ipso indicans crucē non esse prosequendam fletu, sed gaudio.

2. Cor. 9. Luc. 22. Psal. 18. Luc. 28.

Ipsius est hoc monitum: *Beati estis, cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes, propter me, gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.*

Matth. 5.

Nec ipse tantum facto & verbo in cruce gaudendum docuit, sed & Apostoli *qui gaudentes ibant à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.*

Actor. 5.

*Reminiscere Apostolorum*, ait Chrysostomus. *Nam & cùm flagellarentur, pellerentur, & innumera sustinerent tormenta, gaudebant.* Vt & ille, qui aiebat: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi*, non vtiq; in illa tantùm, in qua Dominus passus est, sed & in illa, quam ei Dominus quotidie ferendam imponebat, cuius est illa quoque plena gaudij vox: *gloriamur in tribulationibus.* Et: *Placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo.* Alibi: *Gaudeo in passionibus meis.* Qui & ad similem lætitiam his verbis nos inuitat: *Gaudete in Domino semper.* Ergo etiam in cruce: *Iterum dico gaudete.* Bis cohortatur ad gaudium, *quia non est oblectamentum super cordis gaudium.*

Chrys. hom. 64. ad Antioch. Galat. 6. Rom. 5. 2. Cor. 12. Coloss. 1. Philip. 4. Eccles. 30.

Cum B. Paulo conueniunt SS. Apostoli Petrus & Iacobus, quorum ille: *Communicantes Christi passionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes*; hic verò: *Omne gaudium existimate, cùm in tentationes varias incideritis.*

1. Pet. 4. Iacob. 1.

*Et quomodo gaudere licet, vbi sunt vincula, vbi tormenta, vbi iudicia? hic maximè gaudere licet. Quomodo verò licet, vbi hæc non sunt? Qui namq; nullius magnæ rei sibi conscius est, quomodo delectabitur? Itaq; quantò maiorem dixeris tribulationem, tanto maiorem dicis voluptatem. Qui mille vulnera miles excepit, nonne cum magna reuertetur lætitia, libertatis habens claritatem, & gloriæ materiam vulnera?*

Chrys. hom. 62. ad Antioch.

Quam-

Quamobrem quod olim Angelus Tobiæ; *Gaudium sit tibi semper*; hoc & Deum tibi in cruce precari puta. Si respondeas: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo*, & in tali ac tanta cruce hæreo? audire te monitum illud crede: *Forti animo esto, in proximo est, vt à Deo cureris.* Et illud Dauidis: *Expecta Dominum, viriliter age, confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* Item illud: *Nolite lugere, nolite flere, nolite contristari: gaudium etenim Domini est fortitudo nostra.* Tob. 5. Psal. 26. 2. Esdra 2.

Addit ergo gaudium robur & vires ferendi Crucem; Quia *animus gaudens ætatem floridam facit*, igitur & robustam, cùm robur maximè sit à florente æuo. Imò & *vitam* & quidem *longæuam dat gaudium.* Nam *iucunditas cordis hæc est vita hominis, & exultatio viri est longæuitas.* At *spiritus tristis exsiccat ossa, & in mœrore animi deiicitur spiritus.* Itaque fieri non potest, vt mœrens & gemens crucem feras, cùm spiritus vitales ad hanc actionem necessarios mœror exsugat, & quasi pestifer quidam ventus exsiccet; *Si desperaueris lassus in die angustiæ, imminuetur fortitudo tua.* Prouer. 15. & 7. Eccles. 30.

Quocirca Sapiens rectè monet, *tristitiam non des animæ tuæ, & non affligas temetipsum in consilio tuo, quia multos occidit tristitia, & non est vtilitas in illa.* Impedit enim à cruce ferenda. Hinc & Apostolus remouet tristitiam à notis & insignibus veri ministri Dei; Etsi imaginem quandam tristitiæ non improbat. Vult enim eos esse *quasi tristes, semper autem gaudentes*, & quidem *spe gaudentes*, & quorum spe, nisi præstantium illorum fructuum, qui ex Cruce ad nos manant; si feratur, vt decet? Huiusmodi spe gaudebat, qui de se ista: *Omnem tribulationem passi sumus: foris, pugnæ; intus, timores.* Et tamen addit: *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Prouerb. 24. 2. Cor. 6. Rom. 12. 2. Cor. 7.

*Beatus Paulus*, inquit Chrysostom. *cùm videret quasi niuis cumulos tentationes quotidie ingruentes, non aliter, quàm si in medio paradiso vixisset, ita gaudebat, gestiebatq́, ac proinde, vt qui hoc gaudio gaudet, non potest ab animi perturbatione vinci; ita qui hoc non tenetur gaudio, à quibuslibet facilè capi vinciq́ potest, ac prorsus huic idem euenit, quasi si quis arma gestans imbecillia qualibet leui plaga vulneraretur. Nullum armaturæ genus validius, quàm gaudere secundum Deum.* Chrys. hom. 1. in 2. epist. ad Cor.

Magnæ quidem virtutis opus est, *superabundanti gaudio* crucē ferre; sed si tantam excellentiam imitari non potes, admirare, & saltem, quo potes gaudio crucem ferto; neque te tristem reddat, angatuè crucis grauitas. Nam *& ferrũ graue est, & malleus grauis, sed parant vasa vtilia & argentea; & distorta dirigunt, ita vt nisi grauia & dura essent, distortã materiam vtiq; dirigere non possent*: eandem Crucis rationē esse cogita, quæ in præsenti quidem *mœroris* potius *esse videtur*, quàm gaudij. Chrys. hom. 6. in epist. ad Phil.

Chryſ. hom. 30. in epiſt. ad Roman. *Bene dixit, Videtur,* ait Chryſoſtom. *quia non eſt res triſtitiæ diſciplina ſeu Crux, ſed videtur eſſe. Poſtea verò fructum pacatiſſimum adfert exercitatis per eam.* Mœroris eſt, ſi naturam ipſam afflictionum ſpectes; gaudij eſt ſi ſpectes fructum. Chryſ. hom. 3. de Lazaro. *Natura cruciatum, afflictionem doloremq́ ſolet gignere, ſed animus promptus eorum qui flagella patiuntur rerum naturam vincit.*

Hinc Crux dicitur grauis & aſpera, propter innatam ſibi acerbitatem: Leuis verò propter *ſpontaneam voluntatem patientium.*

Illud tamen obſerua, non eſſe illicitum, crucem ferre ea, quæ *ſecundum Deum eſt, triſtitia, quæ per pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur,* 2. Cor. 7. quæq; cum gaudio nobis ad crucem ferendam neceſſario in eadem ſede morari poteſt: tantum hinc excluditur *triſtitia ſeculi, quæ mortem operatur*: quia crucem abiicit. Chryſ. hom. 66. ad Antioch. *Bona eſt prior illa triſtitia,* inquit Chryſoſtomus, *& omni mundana lætitia melior: ita lugentem omnibus hominibus præpono.* Imò & Dominus ita lugentes beatos vocat. Matth. 6.

Triſtabatur quidem Tobias, quando plaga cæcitatis percuſſus eſt. Tob. 5. Nam cùm Angelus ei gaudium precaretur; reſpondit: *quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lucem cœli non video?* ſed tamen ſcriptura diſertis verbis affirmat, *quod non ſit contriſtatus contra Deum.* Tobiæ 2.

Matth. 26. Marc. 14. Chriſtus etiam, propinquante iam paſsionis hora, cœpit *pauere, & tædere, & triſtis eſſe.* Ipſe enim de ſe: *Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem.* Et Apoſtolus Paulus, qui in tribulationibus ſuis ſeſe gaudio ſuperabundare profitetur; alicubi de ſe dicit: Rom. 9. *Triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo*; ſed triſtitia hæc non erat contra Deum, & quod hinc eſt conſequens, neque contra Crucem, ſed ſecundum Deum; Eratque & ipſa crux quædam, quam ſancti animo læto ferebant, & non tam in interiore, quàm exteriore homine conſiſtebat, & verò adhuc conſiſtit, quoties viris ſanctis, crucisque amantibus obtingit.

Rom. 7. Quilibet enim cum Apoſtolo dicit: *Condelector legi Dei,* atq; adeo cruci, quæ & ipſa quædam lex Dei eſt, *ſecundum interiorem hominem: Video autem aliam legem in membris meis*; in appetitu ſcilicet ſenſitiuo, *repugnantem legi mentis meæ.* Et hæc ipſa triſtitia, vtpote Crux ſpiritualis, maximas voluptates tandem creat, ſiue ſit de peccatis propriis, ſiue de alienis, ſiue exiſtat in appetitu ſenſitiuo ex aliqua cruce nobis impoſita, ſiue alio ex fonte manet: Chryſ. hom. 18. ad Antioch. *Admirabile hoc eſt,* inquit Chryſoſtomus, *quod non tantùm triſtitia mundi, ſed & lætitia extremum damnum habet. In ſpiritualibus verò planè contrarium accidit, vbi non tantùm lætitia, ſed & triſtitia ingentem bonorum omnium theſaurum continet.*



CAPVT

## CAPVT IX.

### *Crucem ferendam esse constanter.*



NIHIL emolumenti adfert crucem sustulisse & tulisse, nisi constanter feras. Non enim qui inceperit, sed *qui perseuerauerit vsq; in finem hic saluus erit.* Constantiæ autem, vt & patientiæ & lætitiæ, in cruce ferenda magister nobis existitit Saluator, qui in cruce spiritum exhalauit, vitam potius, quàm crucem deserere paratus. Quam constantiam vt doceret & profiteretur, tribus claui cruci sese affigi passus est, vt vel hac ratione nobis declararet, quàm arctè crux complectenda, quamque constanter & perseueranter retinenda sit. *Matth. 10.*

Acclamabant quidem improbi: *Si Filius Dei es, descende de cruce, sed ideo de cruce non descendit, quia Filius Dei erat.* Et tu, si Filius Dei esse velis, crucem ne relinquas, exemplo Domini tui, constantiæ quasi facem tibi præferentis, eiusque fulgore dispellentis nebulas illorum verborum: *Descende de cruce, si Filius Dei es.* Nam si ea ab impiis naturali Filio Dei suggesta sunt, non certè horrebunt, quo minus eadem tibi in cruce pendenti sæpius ingerant, quibus regeres illud Apostoli: *Christo confixus sum cruci. Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Christus.* *Chrys. hom. de cruce & latrone.* *Galat. 2.*

Non ergo tibi integrum est crucem deserere, tum quia ei affixus es; tum quia cum Christo in ea fixus es, non secus ac ille, qui suam in cruce perseuerantiam mundo publicè testatam fecit his verbis: *Quis nos separabit à charitate Christi?* Quid est aliud charitas Christi, quàm crux Christi, maximum charitatis argumentum? *Tribulatio an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius?* Ecce ne ipsis quidem crucibus à Cruce se depulsum iri sperat: imò & scit. *Certus sum enim quia neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neq; instantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* *Rom. 8.*

En inuictum in cruce animum. Quod si tibi tanta certitudine idem asseuerare non licet, at certè nemo vetabit, quo minus maxima spe idem tibi de diuina bonitate pollicearis. Non est quidem cuiusuis dicere: *Certus sum me in cruce perseueraturum*: At cuiuis ius fasque est dicere: *Spero me, Deo adiuuante, in cruce constanter permansurum. Si enim Deus pro nobis, qui contra nos?*

Quod si quando *multiplicentur qui tribulant te, & multi insurgant aduersum te, multiq; dicant animæ tuæ: Non est salus ipsi in Deo eius,* ac proinde desere crucē. Dic tu cum Dauide; *Tu Domine susceptor meus es, gloria mea,* *Psal. 3.*

*& exaltans caput meum, non timebo millia populi circumdantis me, exurge Domine, saluum me fac Deus meus.*

Nec externi tantùm, sed & domestici & familiares aliquando à constantia in cruce te deturbare molientur: quod sanctißimis viris Iob & Tobiæ olim euenit. Nam *sicut beato Iob insultabant Reges, ita parentes & cognati* Tobiæ iam cæcitate percusſi, *irridebant vitam eius dicentes: Vbi est spes tua, pro qua eleemosynas & sepulturas faciebas?* Et vxor eius: *Manifestè*, inquit, *vana facta est spes tua, & eleemosynæ tuæ modò apparuerunt. Atq; his & aliis huiusmodi verbis exprobrabat ei.*

Tobiæ 2.

Cypr. lib. de mort.

*At ille circa timorem Dei stabilis & firmus, & ad omnem tolerantiam paßionis, fide religionis armatus; tentationi vxoris inualidæ in dolore non ceßit, sed magis Deum patientia maiore promeruit.* Et quod de Tobia dicimus, idem pari ratione de Iob affirmare licet. Vtriusque constantiam imitari debet, quicumque Christi & Sanctorum imitator esse cupit, nosque à cruce reuocare volentibus, respondere decet illud eiusdem viri sancti: *Nolite ita loqui, quoniam filij Sanctorum sumus, & vitam illam exspectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo*; quod fit per constantiam in cruce.

Quam quidem videtur etiam nos docere sanctißima Deipara cum aliis mulieribus, de quibus Euangelista: *Stabat iuxta Crucem Iesu, mater eius & soror matris eius, Maria Cleophe, & Maria Magdalena.* Quid status hic, nisi constantiæ documentum? Constantia enim à *stando* nomen habet. Vt enim stans erecto est corpore, ita constans erecto animo.

Ioan. 19.

Quid quod & ipse Simon Cyrenæus constantiam in Cruce ferenda te docet. Tulit namque Crucem vsque ad præstitutum terminum; Etsi initio coactus. *Angariauerunt enim illum prætereuntem & venientem de villa*, & nihil minus, quàm de Cruce cogitantem: perstitit tamen postea, & durauit in cruce, donec ad finem perueniret: *Tu fac similiter & viues.*

Nam nulla nobis crux venit, à quocunque veniat, imò licet principio inuitis quoque veniat, quam patientia & constantia ornare, & in crucem Christi conuertere nequeamus. Licebit quidem si nimium premat, ad Deum confugere, vtque nos benignus à cruce liberet, postulare: (*Nam & Christus in diebus carnis suæ preces supplicationesq; ad eum, qui posset illum saluum facere à morte cum clamore valido, & lachrymis obtulit*) sed addita semper ista conditione. *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.* Et illa: *Veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat.*

Hebr. 5.

Quem modum petendæ liberationis à cruce, edocti sumus à Christo, cum alibi, tum potißimùm in monte Oliueti. *Æquum enim*

*enim est, vt aduersitatis finiendæ tempus Deo relinquamus, nos verò tantum in sanctitate viuamus, opus enim nostrum est, ad virtutem mutari. Dei verò opus malis vrgentibus finem imponere. Qui enim crucis & tentationis tempus permisit, ipse nouit & tentationis soluendæ tempus.* Chrys. hom. 4. in Antioch.

Et fortè ideo à cruce rogantem te non liberat, quia nondum satis expurgatus es. *Etenim aurifex, donec aurum bene purgatum viderit, de fornace non extrahit, sic & Deus non abducit aliquando crucem, donec nos penitus emundauerit.* Orare quidem licet Deum, *ne intremus in tentationem*; hoc est, ne hanc vel illam crucem nobis mittat: *Inducti verò generosè feramus,* inquit Chrysostomus. *Nam illud quidem est modestorum virorum, se periculis non ingerere, hoc autem generosorum atque sapientum.* Chrys. loc. cit. Matth. 5. Chrys. hom. 67. ad Antioch.

Nec fugiendo crucem fortis & constans efficieris, sed patiendo. Nam tribulatio virum *fortem, fortiorem reddit. Cùm enim infirmior & crucior, tunc potens sum*, aiebat ille: ergo & constans. Nec mirum: Quia Deus *cum tentatione* & cruce *facit prouentum*, nouumq; semper submittit auxilium. *Itaque sicut firmas arbores ventorum impetus irruens, & vndique iactans non euellit, sed solidiores & firmiores his incursibus reddit: Sic & animam sanctam, & piè viuentem tentationum incursus & tribulationum non supplantant, sed ad maiorem patientiam & constantiam præparant.* Chrys. homil. 4. ad Antioch. 2. Cor. 12. Chrys. loc. cit.

Igitur si cruci succumbas, non cruci, sed tibi casum adscribe: *Non enim tentationum natura, sed tentatorum segnities, ruinas efficere solet. Quod enim non grauium incursus casuum, sed mentis nostræ torpor salutem nostram subuertat, perspicuè testatur Dominus cum ait, Quicunque audit verba mea hæc, & facit ea; assimilabitur viro prudenti, qui ædificauit domum suam supra petram, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit; fundata enim erat supra petram.* Chrys. loc. cit.

*Et rursus; omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea similis erit viro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam & cecidit, & fuit ruina eius magna. Vides quod non tentationum inflictus, sed ædificantium stultitia ruinam fecit. Etenim illic pluuia, & hic pluuia; & illic flumina, & hic flumina: & illic ventorum incursus, & hic idem; & ille ædificauit, & hic ædificauit, & eadem ædificatio, & eadem tentationes, sed non idem finis, quoniam non idem fundamentum. Non enim tentationum natura, sed ædificantis imprudentia ruinam fecit, alioqui oportuisset & domum supra petram ædificatam cadere: nunc verò nihil tale passa est.*

Ergo vt olim in lacu leonum Daniel sine vllo nocumento seruatus est: Babylonij verò discerpti & dilaniati: & ille & hi merito suo, non leonum ingenio aut loci natura; ita & iam boni seruantur in cruce; improbi pereunt; Vtrinque eadem cruces sunt; sed illis salutem Daniel. 6.

Rom. 8. pariunt; quia *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*: his afferunt
Sap. 14. exitium; quia vt *creatura Dei*, ita & cruces, *in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominum: & in muscipulam pedibus insipientium.*

Ad extremum, ipsa improborum in malis malè tolerandis pertinax perseuerantia, constantiam in Cruce docere te potest: *quanta patiuntur*, & quam constanter, *pro sua iniquitate latrones? Quanta patiuntur pro suis sceleribus perditi, pro sua nequitia luxuriosi, pro sua auaritia negotiatores, mare transmeantes, ventis tempestatibusq́; corpus & animam committentes, sua negligentes, ignota quærentes, multi multa* constanter *patiuntur propter pecuniam perituram, & tu non vis* constanter *pati* Crucem *propter vitam mansuram?*

Aug. serm. 245. de temp.

## CAPVT X.

### *Crucem ferendam esse cum gratiarum actione, palam, & dextrè seu prudenter.*



SVNT & alij modi crucis ferendæ, quos hoc capite paucis delineabo, vt crucem non modò feramus, sed & rectè & fructuosè feramus. Crux igitur ferenda est cum *gratiarum actione* ad Deum, qui vel eam imposuit, vel vt imponeretur, permisit: Monet Apostolus non semel, vt Deo in omnibus gratias agamus, Ergo & in Cruce.

Chrys. hom. 68. ad Antioch. *Hæc est voluntas Dei*, ait Chrysostomus, *semper gratias agere hoc est, animæ sapienter institutæ. Passus es aliquid mali; sed, si velis, non est malum: gratias*
Chrys. hom. 64. ad Antioch. *age Deo, & malum in bonum fuerit transmutatum. Dic tu quoque quemadmodum & Iob: Sit nomen Domini benedictum in secula. Quamobrem & tu, si fueris malo aliquo correptus, fer generosè, & Deo gratias age, & eandem cum sanctis mercedem accipies.*

Est enim gratiarum actio tempore crucis, iustorum hominumq́; Dei amantium character: *Quoties aliqua tribulatio in mundum venerit*, in-
August. 111. de tempore. quit S. Augustinus, *qui boni sunt veluti sancta vasa gratias agunt Deo, qui eos castigare dignatur: Illi verò, qui sunt superbi, luxuriosi, cupidi, blasphemant & mur-*
Chrys. loc. cit. *murant contra Deum dicentes: O Deus, quid tanti mali fecimus, vt talia patiamur?*

*Quomodo verò in ægritudine positus & doloribus, Deo gratias agere poteris? Si eum legitimè diligas. Nam si tres pueri in caminum proiecti, & alij in carceribus, & in aliis innumeris constituti malis, agere gratias non desinebant; multò magis in ægritudinibus, & in cruce positi hoc facere poterunt. Nihil enim est, quod non superet amor cum desiderio.* Amor igitur Dei causa est gratiarum actionis in cruce, si Chrysostomo credimus.

Sunt

Sunt tamen & aliæ,& in primis exemplum eorum,qui cruces maximas cum gratiarum actione tulerunt: quales multi ex priscis illis, vt Tobias, qui cùm *ab infantia sua semper Deum timuisset, & mandata eius custodisset, non est contristatus contra Deum, quod plaga cæcitatis euenerit ei, sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ.* *Tob. 2.*

Sed plures reperies ex Sanctis noui Testamenti, inter quos primus est ipse sanctus sanctorum Christus,qui si suscitaturus à mortuis Lazarum; si panem fracturus cœlesti patri gratias egit, quis dubitet, quin eidem & in cruce,& ob crucem gratias egerit,nobis relinquens exemplum,vt sequamur itidem in gratiis agendis vestigia eius. *Ioan. 11.* *Matth. 16.*

Secutus est illa, præter cæteros innumeros, Paulus & Silas, qui virgis cæsi,& multis plagis concisi, & in carcerem coniecti media nocte *orantes laudabant Deum.* Et tres pueri in fornace ignis *quasi ex vno ore laudabant,& glorificabant,& benedicebant Deum dicentes: Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, & laudabilis, & gloriosus, & superaltatus in secula.* *Actor. 16.* *Dan. 3.*

Idem ab aliis Dei amicis, inter medias crucis perpetuò factitatum legimus: *Hæc apud te ipsum colligens,Domino gratias age,quod te participem feceris huius portionis,non odio persequens, sed valde diligens.* *Chrys. homil. 1. ad Antioch.*

Crux præterea palàm ferenda est. Nam & illam Christus palam tulit. Cur erubescas de cruce? Verba Domini sunt: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cœlis est. Nemo vestrum,* inquit B.Petrus, *patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem vt Christianus, non erubescat: Glorificet autem Deum in isto nomine.* *Matth. 10.*

Crucem palam ferebat,qui in nulla alia re, nisi in *cruce gloriabatur,* quique *stigmata Domini sui* suo in corpore portabat. *De cetero nemo mihi molestus sit. Ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto. Non dixit habeo, sed porto; tanquam aliquis de trophæis glorians, signisq́; regalibus; quanquam hoc rursus probrosum esse videtur. Verùm hic sua vulnera iactat, neq; secus,quàm solent milites vexilliferi; sic exultat vulnera circumferens.* *Galat. vlt.* *Chrys. in cap. 6. ad Galat.*

Videtur quidem crux *res probrosa,* ac proinde abscondenda, *sed in mundo, & apud infideles. Ceterùm in cœlo, & apud fideles gloria est, & quidem maxima. Nam & paupertas probrosa est, sed nobis gloriosa, & sperni apud vulgus ridiculum est; at nos in eo gloriamur. Ita crux nobis est gloriandi materia.*

Et adeò quidem crux gloriandi materiam præbet; vt initio suarum epistolarum Apostolus Paulus aliquando nomen sibi à cruce imposuerit: *Paulus vinctus Iesu Christi, inquit, & Timotheus frater: Magnifica Pauli appellatio, non principatus & honoris nomen: sed vincula & catenæ. Verè magnum atque splendidum illum multa alia faciunt: in cœlum rapi tertium, in paradisum deferri, verba audire ineffabilia; sed horum nihil posuit: sed pro omnibus* *Chrys. hom. 16. ad Antioch.*

*bus catenam. Hæc enim magis, quàm illa illustrem reddebat & splendidum. Cur tandem? Quoniam illa quidem Domini benignitatis erant gratuita dona, hæc verò serui tolerantiæ atq; patientiæ indicia. Consuetudo autem amantibus est, illis magis affici, quæ pro amatis patiuntur, quàm his quæ ab ipsis beneficia accipiunt.*

Nec refert, quod crucem publicè ferendo *spectaculum* efficeris hominibus. Nam & in hoc similem te præbes Christo, qui cum cruce sua spectaculum fieri non est dedignatus, tui causa, vt tu vicissim ipsius gratia spectaculum fieri cum cruce non erubesceres.

Luc. 23. Spectaculum esse factum, docet S. Lucas, qui totum illum crucifixionis Christi *actum*, appellat *spectaculum*. Nonne & Apostoli *spectaculum* facti sunt *mundo, & Angelis, & hominibus?* (1. Cor. 4.) Vsurpare hîc etiam licet illud D. Augustini: *Grande ludibrium, si spectet impietas; sed grande mysterium, si spectet pietas.* (1. Reg. 9. & 10.) Vilis & in speciem abiecta res erat, quærere amissas asinas: sed Saul dum asinas quærit, regnum reperit. Pari modo vile & ridiculum esse videtur ferre crucem; sed crucis gestatio regnum cœleste parit.

Hebr. 10. Laudat Apostolus Hebræos, quod *opprobriis & tribulationibus spectaculum* partim *ipsi facti*, partim *socij taliter conuersantium* (hoc est, crucem pro Christo ferentium) *effecti essent. Nam etiam vinctis*, inquit, *compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam.*

Neque palam duntaxat, sed & dextrè ferenda crux est; quò leuius & facilius feratur. Dextra pars semper firmior, & ad pondus aptior est, quàm sinistra. Sæpè fit vt duo æquale pondus, æquali robore, non ferant æquè leuiter: quia non ferunt eadem dexteritate. Consistit hæc dexteritas non tam in viribus corporis, quàm animi.


Chrys. hom. 63. ad Antioch. *Quod hic quidem magis gaudet*, dum crucem fert; *hic autem amplius dolet, hoc euenit ex ipso dolente, cùm pusilli sit animi: non ex ipsa negotiorum qualitate.* (Chrys. hom. 16. ad Antioch.) Laboriosa quidem crux est, sed *voluntate nostra leuior efficitur propter spem futurorum. Sicut enim mercator non sentit nauigationis laborem, lucrorum spe releuatus: & pugil generosè fert capitis vulnera, coronam respiciens; ita profectò nos quoque in cœlum & cœlestia intendentes bona; quæcunque inferantur grauia, generosè cuncta feremus, bona futurorum spe roborati.*



CAPVT

# CAPVT XI.

*Neque magnitudine, neque nouitate, neque diuturnitate Crucis à Cruce refugiendum esse.*



CAETERVM non pauci sunt, qui crucem quidem patienter, hilariter, constanter, grata mente, palam & dextrè ferre velint, & in optatis habeant; sed non quamuis, nec à quouis. Non quamuis; quia aut nimis videtur magna, aut inusitata, aut insperata, aut suprà modum diuturna.

Sed quæ post tantam crucium, ab orbe condito, multitudinem, iam noua crux videri potest, aut maior illis, quæ anteactis annis fuere? Memineris oraculi illius, quod hic certè longè est verissimum: *Nihil sub sole nouum, nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est. Iam enim præcessit in seculis, quæ fuerunt ante nos, & quæ futura sunt iam fuerunt, & Deus instaurat quod abiit.* Videntur nobis cruces nostræ nouæ, aut nimis magnæ; & ideo videntur; quia *non est priorum memoria:* sicut & nostrarum crucium recordatio obliterabitur *apud eos qui futuri sunt in nouissimo.* Eccles. 1. Eccles. 3.

Si quis tamen intelligentiam suam explicare, & non tantùm ad ea, quæ ante oculos, sed & ad absentia respicere velit, facilè hanc persuasionem mutabit. Agè enim dispiciamus, quænam crux alicui videri possit noua & inusitata, aut nimis magna.

Proprium quis amisit filium, immaturo funere mersum, & quidem vnigenam, aut amicum fidelissimum, & *alterum se.* Quæso, nulline antea hæc crux obuenit? Tu solus orbitatis malum sustines? si non alium, saltem illum in mentem reduc, qui *omnem patientiæ speciem aduersus omnem Diaboli vim expunxit, cui filij vno ruinæ impetu adempti,* conditi non tam in sepulchro, quàm in conuiuio. Tert. lib. de patient.

*Qui filium* aut amicum *non potes lege & sorte mortalitatis amittere, quid faceres si filium iubereris occidere?* Quin potius si spectasti filium aut amicum præpropera morte ereptum, dicito: *Dominus dedit, Dominus abstulit. cur doleas, si periisse non credis? cur impatienter feras subductum interim, quem credis reuersurum? profectio est, quam putas mortem; non est lugendus, qui antecedit.* Cyprian. lib. de mortalitate. Tert. loc. cit.

Gratulare educto ex tot periculis & laboribus: *Quid enim aliud in mundo; quam pugna aduersus Diabolum quotidie geritur, quàm aduersus iacula eius, & tela conflictationibus assiduis dimicatur, cum auaritia nobis, cum impudicitiis, cum ira, cum ambitione congressio est, cum carnalibus vitiis, cum illecebris secularibus, assidua & molesta luctatio est; obsessa mens hominis, & vndique Diaboli infestatione vallata vix occurrit singulis, vix resistit; si auaritia prostrata est, resurgit libido; si libido compressa est, succedit ambitio; si ambitio contempta est, ira ex-* Cypr. de mort.

*asperat, inflat superbia, vinolentia inuitat, inuidia concordiam rumpit, amicitiam scelus abscindit, tot persecutiones animus quotidie patitur, tot periculis peractus vrgetur, & delectat hic inter Diaboli gladios diu stare; cùm magis concupiscendum sit, & optandum ad Christum, subueniente velocius morte, properare? Lucrum ergo computes tibi charissimum, iam seculi laqueis non teneri, iam nullis peccatis & vitiis carnalibus obnoxium fieri; exemptum pressuris ingentibus, & venenatis Diaboli faucibus liberatum ad lætitiam salutis æternæ Christo vocante proficisci.*

Sed nec noua & inusitata crux est fortunarum vel omnium, vel saltem partis amissio. Nimis quàm ignarus est, qui hoc sæpius euenisse ignorat, & solo nomine Christianus, qui si talis casus eueniat, patientia excidit, crucemque abiicere tentat: *Vidisti rem tuam imminutam*, monitum Chrysostomi est, *illud in ore habeto: Nudus exiui de ventre matris meæ, nudus decedam: totum licet seculum pereat, dum patientiam lucrifaciam.*

*Chrys. hom. de tolerant.*

*Tertull. de patient.*

*Qui damni impatientia concitatur, terrena cœlestibus anteponendo, de proximo in Deum peccat. Gentilium est omnibus detrimentis impatientiam adhibere, qui rem pecuniariam fortassis animo anteponant. Nos verò secundum diuersitatem, qua cum illis sumus, non animam pro pecunia, sed pecuniam pro anima deponere conuenit; seu sponte in largiendo, seu patienter in amittendo; hocque inter nos & ceteros interest, qui Deum nesciunt, quod illi in aduersis queruntur & murmurant, nos aduersa non auocant à virtutis & fidei veritate, sed corroborant in dolore.*

*Cypr. lib. de mortalitate.*

Iam verò morbus vel corporis vel animi, quis tam sæuus & immanis, cuius similem superiori memoria nemo pertulerit? vt proinde inusitatam nouitatem meritò causari nequeas. Neque maior est crux tua, quàm illius, qui *sedens in sterquilinio, immundam vlceris sui redundantiam magna æquanimitate distringebat, cùm erumpentes bestiolas inde in eosdem specus & pastus foraminosæ carnis ludendo reuocaret.*

*Tertull. lib. de patient.*

*Nondum tanta passus es, quanta beatus ille Iob. Imò ne minimam quidem partem malorum illius: siquidem postquam semel interiissent greges, & armenta cum ceteris omnibus, in prædam abductus est, & puerorum totus chorus, eaq; omnia vno die peracta sunt, vt non modò natura calamitatum, verumetiam perpetuitas deiicere posset athletam. Post hæc omnia vulnus accepit lethale, vidit vermes toto vndique corpore scatentes, nudusq; sedit in sterquilinio, publicum iis, qui aderant calamitatis spectaculum, ille iustus, ille pius, ille ab omni malo opere abstinens Athleta.*

*Chrys. homil. 5. contra Iudæos.*

*Ac ne quid omnino remaneret, quod non Iob in suis tentationibus experiretur, armat diabolus & vxorem, illo antiquo nequitiæ suæ vsus ingenio, quasi omnes per mulierem decipere posset & fallere, quod fecit in mundi origine. Omnibus sublatis tentatricem vxorem reliquit. Euam dimisit, sed Adam ille non fuit, & ibi, qualis inuentus est? quomodo respondit vxori blasphemiam suggerenti?*

*Cyprian. de patient.*

*Aug. serm. 105. de tempore.*

*Locuta*

*Locuta es, inquit, quasi vna ex insipientibus mulieribus: Si bona suscepimus de manu Domini, quare mala non sustineamus. O virum putrem & integrum, ô fœdum & pulchrum, ô vulnerarum & sanum, ô in stercore sedentem, & in cœlis regnantem; si amemus, imitemur: vt imitemur, laboremus.*

Facile quicquid crucis tibi, tuisue per morbos venerit, tolerabis, si non te, sed Deum ames, non corpus, sed animam: *Nihil est enim, nihil, inquam, tam horridum, tamq́ tremendum, quod hi, qui vel morbo, aut pœnis discruciantur, non superent, si diuino sint amore incensi; ita vt neque ignis, neque ferrum, neque inopia, neque languor aliquis, neque mors, neq́ aliud quippiam istiusmodi graue, aut molestum appareat ei, qui hunc sit erga Deum amorem consecutus.* *Chrys. hom. de tolerant.*

Denique crux tibi noua videri potest, & inusitata; esse non potest. sed ne succumbas, fulcient te tum prædicta, tum etiam hæc documẽta. Primo, *volenti tibi vel inuito aduersa omnia esse toleranda, ac proinde si animo patiente tuleris, plurimum lucri feceris; si iniquo, contumaci & maledico, calamitate nihil immutata, maiorem in te procellam concitabis; faciamus ergo ex necessitate voluntatem seu virtutem.* *Chrys. loc. cit.*

Secundò, si sub cruce concidas, non crucis id esse vitium, sed animi tui nimis fracti & abiecti: *Nam si quis adeò languenti sit stomacho, vt amaram aliquam medicinam, quæ illum sanare queat, non patiatur, ita vt hausta obfuisse potius, quàm profuisse videatur, non est profectò potio ista culpanda, sed affecti stomachi imbecillitas.* *Chrys. loc. cit.*

Tertiò memineris, te non aurum, sed lutum esse, nisi perstes, & mente inuicta quamcunque crucem sufferas. *Sicut enim aurum siue in aquas coniiciatur, propriam retinet speciem, siue in conflatorium ceciderit, splendidius rursum apparet: Lutum verò & fœnum, siue aquis immisceri accidat, hoc quidem marcescit, illud verò dissoluitur; siue in ignem ceciderit, hoc quidem durescit, illud autem comburitur. Sic certè & iustus, & peccator; ille quidem siue otio fruatur, manet splendidus, sicut aurum aquæ immersum, siue in tentationem ceciderit, splendidior fit sicut aurum igne examinatum. Peccator verò siue sit in otio, dissoluitur & marcescit, sicut fœnum & lutum in aqua, siue tentationem sustineat, comburitur & perditur, sicut lutum & fœnum ab igne.* *Chrys. homil. 4. ad Antioch.*

Leuitati ergo tuæ iacturam adscribe, non cruci: *Arbor quæ alta radice fundata est, ventis incumbentibus non mouetur, & nauis, quæ forti compage solidata est, pulsatur fluctibus, nec foratur, & quando area fruges terit, ventos grana fortia & robusta contemnunt, inanes paleæ flatu portante rapiuntur.* Quapropter *sit licet rei familiaris amissio, sit de infestantibus morbis assidua membrorum & cruenta vexatio, sit de vxore, de liberis, de excedentibus charis funebris & tristis auulsio, non sint tibi scandala ista, sed prælia, nec debilitent aut frangant Christiani fidem, sed potius ostendant in colluctatione virtutem, cùm contemnenda sit omnis iniuria malorum præsentium, fiducia futurorum bonorum.* *Cyprian. lib. de mortal.*

Denique necessarium omnino est, vt amicus crucis sis crucem ferendo, aut inimicus crucem fugiendo. Si hoc, perpende, oro, & in
Philip.3. intimos pectoris recessus admitte hęc D. Pauli verba, non sine lachrymis scripta: *Multi ambulant; quos sæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi, quorum finis interitus: quorum Deus venter est: & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Quid grauius à sanctissimo Apostolo, & ad crucem totis viribus complectendum aptius dici potuisset? Ecce illorum, qui crucem Christi non modò materialem, sed & spiritualem fugiunt & oderunt, finis est interitus, & sempiternum exitium. Et *Deus venter*. En qualem Deum sibi statuant; qui Deum crucifixum habere recusant; eorumq; *gloria in confusione est*. Nam tota gloria, qua nunc fugiendo crucem clarere videntur, desinet in ignominiam, & dedecus æternum: *Terrena insuper sapiunt*, homines animales, & ad pabulum duntaxat facti.

Nulla igitur crux noua est aut inusitata: si sit insperata & improuisa, culpa in te hæret, qui non sæpius repetis, quo in loco degas. Circumspicienti nulla crux inopina venit, cùm sciat se in terra versari, cui tribulos & spinas, hoc est, cruces gignere, tam proprium est, quàm cœlo proferre gaudium, & securissimam voluptatem. Christus om-
Ioan.16. nibus suis cruces prædixit: *In mundo pressuram habebitis*. Cur prædictionem hanc elabi sinis ex animo? *Hæc locutus sum vobis*, ait Christus, *vt cùm venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis.*

Nec diuturnam censebis vllam crucem, si cogites tum vitæ bre-
2.Cor.4. uitatem, & æternitatis immensitatem, tum quod Apostolus omnem tribulationem *momentaneam* appellauit, non dignatus eam designare extensa aliqua duratione; sed minima & indiuisibili, & vnico puncto totam quasi crucis vitam circumscripsit. Quo quid breuius? Apostolus item Petrus cruces huius vitæ modicas nominare consue-
1.Pet.5. uit, tum ob paruitatem, tum ob breuitatem: *Modicum*, inquit, *passos ipse*
1.Pet.2. *perficiet, confirmabit, solidabitq;*. Et alibi Christianos monet, vt perstent & durent, etiamsi *nunc modicum oporteat contristari in variis tentationibus*. Ergo cùm in cruce pendes, audire te existima illud Domini ad latronem: *Hodie mecum eris in Paradiso*. Quid breuius *hoc die*? & tamen neque hoc die toto manebis in cruce, quia *hodie* cum Christo in Paradiso e-
Hebr.3. ris. Postulat cum Dauide beatus quoque Paulus: *Vt hodie tantùm vocem Domini audiamus*, qua nos crucem tollere, & patienter ferre monet, vtque non *obduremus* per impatientiam ferendæ crucis corda nostra: qui & his verbis singulis acclamat: *Videte fratres, ne fortè sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi à Deo viuo. Adhortamini vosmetipsos*

per

*per singulos dies, donec hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati*, crucem Christi deserendo.

Quod si quando istud *hodie*, hoc est, breuissimum istud tempus, quo crucem fers, nimis extendi credis, caue ne Deo crucis finiendæ tempus præstituas: *Quis enim es tu, qui tentes Dominum? Non est iste sermo, qui misericordiam prouocet, sed potius qui iram excitet, & furorem accendat. Ponis tu tempus miserationis Domini, & in arbitrium tuum diem constituis ei?* Iudith. 8.


Quin potius consilium illius sequere, quæ dicebat: *Humiliemus Deo animas nostras, & in spiritu constituti humiliato; seruientes illi, dicamus Domino, vt secundùm voluntatem suam sic faciat nobiscum citò misericordiam suam.* Expectemus humiles consolationem eius: *memores simus quomodo pater noster Abraham tentatus est, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est. Sic Isaac, sic Iacob, sic Moyses, & omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. Illi autem, qui tentationem non susceperunt, cum timore Domini, & impatientiam suam, & improperium murmurationis suæ contra Dominum protulerunt, exterminati sunt ab exterminatore.*

Ad extremum nulla crux diuturna videbitur, si ei dederis *latitudinem, longitudinem, altitudinem* & *profunditatem.* Latitudo *charitas est, quæ sola bene operatur,* efficitque *ne pereat, quicquid boni facis. Quæ est longitudo? Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit, hæc est longitudo crucis, vbi totum corpus porrigitur, vbi quodammodo statur, quo stando perseueratur. Si vis habere crucis longitudinem: habeto perseuerandi longanimitatem. Si autem vis habere crucis altitudinem, nosce quid audias, & vbi audias; Sursum cor. Quid est sursum cor? Ibi spera, ibi ama, inde pete mercedem, ibi exspecta mercedem. Quid est enim habere altitudinem, nisi cogitare Deum, amare Deum, & gratis amare ipsum Deum adiutorem; ipsum spectatorem, ipsum coronatorem, ipsum præmij largitorem; Postremò ipsum præmium deputare, non aliud ab ipso, quàm ipsum exspectare?* Profunda erit crux, si gratia Dei præditus sis, eaque in te non sit vacua. Quemadmodum enim crux materialis profunda *est in ea parte, qua in terram figitur, ibi quippe & occulta est, nec videri potest, sed cuncta eius apparentia & eminentia inde consurgunt, sic bona nostra de profunditate gratiæ Dei, quæ comprehendi ac diiudicari non potest, vniuersa procedunt.* Aug. ser. 7. de Ver. Apostol. Aug. tract. 118. in Ioan.



# CAPVT XII.

## *Non esse cur quis crucem abiiciat, eò quod improbos plerumque secunda fortuna vti videt.*



ALIAM rationem crucis deserendæ præbet nonnullis impiorum continua,& nullis infaustis successibus interrupta felicitas. Vetus hic est scopulus,ad quem multorum nauis impacta,imò & confracta est,quem quidem mirari licet,perscrutari non licet. Miratus est ille qui dixit: *Quare via impiorum prosperatur? Benè est omnibus,qui præuaricantur,& iniquè agunt. Plantasti eos,& radicem miserunt,proficiunt & faciunt fructum.*

Hier.12.

Et alius pari admiratione. *Quare impij viuunt,subleuati sunt,confortatiq; diuitiis? semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba & nepotum in conspectu eorum. Domus eorum securæ sunt & pacatæ, & non est virga Dei super illos.* Et B. Dauid in sua & aliorum persona,testatur se propemodum cogitatione fælicitatis, qua impij in hac vita perfruuntur, de recto tramite excidisse: *Mei autem pænè moti sunt pedes, pænè effusi sunt gressus mei,Quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns. In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate, & impietate sua, & dixerunt* (Dauid & alij prosperitate impiorum propemodum offensi) *Quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso? Ecce ipsi peccatores & abundantes in seculo,obtinuerunt diuitias. Et dixi, Ergo sine causa iustificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas.*

Psal.72.

Aug.ser.236.de tempore.

*Perdidi,inquit,totum,quod benè vixi,iustificaui cor meum, laui in innocentibus manus meas,ad hoc vt mali sint felices,& ego tribulor: Et fui inquit, flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis, gaudent illi, & ego flagellor, gaudent, qui blasphemant Deum, flagellor, qui colo Deum. Quomodo sciuit Deus?*

Miratus est igitur fortunatum cursum improborum Hieremias, Iob,Dauid,& alij viri sancti, sed sine lapsu, offensione & scandalo; tu cur alienam felicitatem facis tibi exitium,& impatientiæ materiam? Cur adiungis te illis, qui summo scandalo & contumelia in Deum dixerunt: *Vanus est,qui seruit Deo: & quod emolumentum; quia custodiuimus præcepta eius, & quia ambulauimus tristes coram Domino exercituum?* Cur beatos dicis *arrogantes, eò quod ædificati sint facientes impietatem, & tentauerint Deum,saluiq; facti sint,* hoc est,ditati & prosperati?

Malach. 3.

Chrys.hom. de toler.

*Si sceleratis videris rem bene succedere, iustos autem infelices esse,multaq; & grauia pati,& eiusmodi infelicitatis causam ignoras,dices cum Dauide: Vt iumentum*

*tum factus sum apud te, & ego semper tecum. Nolle omnia scire, magnum praclara scientia argumentum est.*

Noueris potius admirandum esse si bonis bene sit, & malis malè, quàm si malis bene: *Cùm valde occulta sint iudicia diuina*, inquit S. Gregorius, *cur in hac vita nonnunquam bonis sit malè, & malis bene: tunc occultiora sunt, cùm & bonis hic bene est; & malis malè. Nam cùm bonis hic male est, & malis bene; hoc fortaßis deprehenditur; quia & boni si qua deliquerunt, hic recipiunt, vt ab æterna plenius damnatione liberentur; & mali bona, quæ pro hac vita faciunt, hic inueniunt, vt ad sola in posterum tormenta pertrahantur; vnde & ardenti in inferno diuiti dicitur; Memento fili, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. At cùm bonis hic bene est, & malis malè; incertum valde est, vtrum boni idcirco bona accipiant, vt prouocati ad aliquid melius crescant: an iusto latentiq; iudicio hic suorum operum remunerationem percipiant, vt à præmiis vitæ sequentis inanescant: & vtrum malos idcirco aduersa feriant, vt ab æternis suppliciis corrigendo defendant, an hic eorum pœna incipiat, vt quandoq; complenda eos ad vltima gehennæ tormenta perducat.* Chrysost. hom. 8. 2. in epist. ad Tim. Greg. l. 5. Mor. ca. 1. Matth. 22. Psal. 72.

Illud item à cœlesti patrefamiliâs tibi insusurrari puta: *An non licet mihi, quod volo facere?* & illud sæpius repete: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Dic cum Dauide, quando huiusmodi cogitatio, vel admiratio de diuina prouidentia circa faustos successus impiorum, mentem subit, *Si dicebam, narrabo sic*; si mihi persuadere velim, Deum cum ratione hoc non agere, vel permittere, *Ecce nationem filiorum tuorum reprobaui; Aliud dicturus sum, quam dixit Abraham, quàm dixit Isaac, quàm dixit Iacob, quàm dixerunt Prophetæ*, imò aliud, quàm Christus & Apostoli, Martyres, & tot millia Sanctorum: *isti autem omnes filij tui sunt*, qui omnes firmissima fide crediderunt, Deum non sine causa pios tot crucibus exercere, & permittere, vt impij aliquando prosperiore fortuna, quàm Dei famuli vtantur. Aug. in Psal. 72.

Quid ergo facies? Dauidem & hic imitaberis, qui de se: *Existimabam, vt cognoscerem*, seu, vt legit S. Augustinus, *suscepi cognoscere; sed magnũ est cognoscere, difficile est cognoscere, hoc labor est ante me. Quomodo cognoscam, & iustum Deum esse, & res humanas nosse, & peruersis bene esse, rectis malè aliquando esse? Quomodo sit iustum, suscepi cognoscere, & labor est ante me. Quousq; labor? donec intrem in sanctuarium Dei & intelligam in nouißimis eorum. Intra ergo in sanctuarium Dei, anima fidelis, intra in sanctuarium Dei anima pia, cui non displicet Deus in malis tuis, & in bonis malorum cui non displicet Deus. Et si nescis, qua ratione fiat, crede non iniustè fieri, quod sinit, aut facit Deus: Humana ratione ducebaris, diuina auctoritate reuocare, & crede aliquid ibi esse, quod te latet. Nam Deum peruersum & iniquum esse non posse, fide certißima credendum est.* Aug. ser. 238. de tempore.

Sic

*Sic intrans fide in sanctuarium Dei, intras credendo, discis intelligendo. Sic enim ait, Donec introeam in sanctuarium Dei. Quò intrat fides; & post fidem quid? Et intelligam in nouissima. Venient nouissima, quando nulli bono erit malè: nulli malo erit benè. Venient, inquam, nouissima, quando discernentur pij ab impiis, iusti ab iniustis; Laudatores Dei à blasphematoribus Dei. Venient quando discernentur, vt nulli, sicut dictum est, bono fit malè; nulli malo, fit bene. Quare ergo modo non fit? Fortè & modo fit. Sed quod nunc est in occulto, post erit in manifesto.*

Memineris ergo hos tam beatos & opulentos non tam carere crucibus, quàm videri carere, iudicio illorum, qui suas potissimùm cruces magni pendunt, alienasque parum intenta acie introspiciunt: *Non est pax impiis*, clamat ille: Si nulla pax & quies: Ergo crux. Et alius: *Multa flagella peccatoris*. Et alius: *Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum.*

Isaia 41. Psal. 31. Rom. 2.

Aug. loc. cit.

*Ingredere mecum si potes in sanctuarium Dei, fortè ibi, si possum, docebo te: Imò disce mecum ab eo, qui docet me, etiam nunc malis non esse bene, & melius esse bonis, quàm malis, quamuis nondum venerit bonorum felicitas, nondum venerit malorum pœna nouissima. Fortè intelliges mecum, non esse bene malis. Rogo enim te & quæro abs te, tibi quare malè est? Responsurus es, Egestas angit, premit difficultas, dolor fortasse membrorum, timor ab inimico. Tibi ideo malè est, quia pateris mala, & bene est illi, qui est ipsum malum?*

*Multùm interest inter malum esse, & malum pati. Tu quod pateris, non es. Malum enim pateris, sed tu malus non es. Malum, inquam, pateris, sed tu malus non es. Ille autem malum non patitur, & malus est. Noli ergo falli, noli falli: Non potest fieri, vt tibi malè sit, qui pateris malum: & illi bene sit, qui est malus. Cùm enim est malus, putas, quia non patitur malum, cùm patitur seipsum? Tibi malè est, quia malum alienum pateris in corpore tuo: & illi benè, qui malum se ipsum patitur in corde suo? Tibi malè est, quia malam habes villam, & bene est illi, qui malam habet animam? Esto bonus, qui habes bona. Bonæ sunt diuitiæ, bonum est aurum, bonum argentum, bona familia, bonæ possessiones. Omnia ista bona sunt, sed vnde facias bene, non quæ te faciant bonum. Habeto bona, quæ te faciant bonum. Quæ sunt, inquis, ista? fac iudicium, fac iustitiam, bona sunt, quæ habes, fac iudicium, fac iustitiam, esto & tu bonus inter bona tua. erubesce bonis tuis, esto bonus, mansurus inter bona peritura. Erubesce bonis tuis. Noli esse malus in eis, ne pereas cum eis.*

Absolutè igitur nemo cruce caret, sed comparatè fortassis ad tuam, quæ grandior, vel diuersi modi, & alterius speciei, & ob id sub sensum magis cadit, sensumque plus afficit, cuiusmodi cruces, plerumque magis obueniunt iustis, quàm iniustis; piis, quàm impiis: *Nam ideo hic premuntur iusti, quia peregrini & aduenæ sunt, atque in aliena patria.*

Chrys. hom. 8. in epist. ad Tim.

*tria degunt.* Tamen neque iusti semper in eiusmodi crucibus agunt, *ne malum putes esse laudabile, idq́ loco virtutis accipias.* Neque improbi semper talibus crucibus carent. *Nam si nullus malus supplicio afficeretur, nemo putaret, Deo humanarum rerum curam incumbere. Si omnes punirentur, nullus resurrectionem speraret futuram, quia merces quasi hic omnibus redderetur, idcirco hic punit quosdam, plerosq́ non punit: Non enim hic est retributio malitiæ vel virtutis, & sicubi est, non tamen pro dignitate, sed simpliciter quasi iudicij prælibatio. Ergo cùm malum crescere videmus, ne titubemus: cùm bonum mala videmus patientem, ne tumultuemur. Illic coronæ, vbi pœnæ.* Chrys. loc. cit. Similia habet S. Greg. l. 5. Mor. c. 4. Chrys. hom. 67. ad Antioch.

Quamobrem in his & similibus, *hæc tibi sit norma, hæc regula, & sub ipsa molire quiduis, & periclitari non poteris. Quænam illa? Quod bonum sit virtus, malumq́ vitium, quod media sint morbus, inopia, insidiæ, calumniæ, & cætera huiusmodi, quod iusti hic premantur angustiis, vt ibi coronentur. Si qui verò non patiantur, ideo fit, ne odiosa videatur virtus; quod mali lætentur, vt illi puniantur; si qui verò & hic crucientur, id fit, ne vitium bonum esse videatur, ne impunita quis existimet scelera. Quod si non omnes patiuntur, neq́ exultant omnes, id fit, ne resurrectioni derogetur fides. Nam sunt pleriq́ boni, qui mali aliquid habent admixtum, quod hic deponant, & mali itidem, qui bonorum operum aliquid habent, quorum hic recipiant vices, vt illic in æternum puniantur. Beatus verò qui hic pœnas luit, vt peccatis omnibus depositis, probatus migret & mundus ac insons.* Chrys. hom. 8. in 2 epist. ad Timoth. Chrys. hom. 67. ad Antioch.

Cogita & illud: *Incomprehensibilia esse pleraq́ Dei opera, multumq́ inter illum & nos interesse. Si hæc omnia nobiscum reputauerimus, nihil nos lædere poterit, aut perturbare,* desinemusque conqueri de prospera aliorum fortuna, nostrisque infortuniis: *Noli æmulari in eo, qui prosperatur in via sua,* monet B. Dauid, in homine faciente iniustitias: *Quoniam* tales, quibus omnia ad voluntatem fluere videntur, *tanquam fœnum velociter arescent, & quemadmodum olera herbarum citò decident,* imò *deficientes quemadmodum fumus deficient.* Psal. 36.

Tenent quidem *nunc tympanum & citharam, & gaudent ad sonitum organi: Ducunt in bonis dies suos.* Sed quo exitu? *Et in puncto ad inferna descendunt. Et sunt sicut paleæ ante faciem venti, & sicut fauilla, quam turbo dispergit.* Iob. 21.

Quis clarior & fortunatior illo, quem ille *superexaltatum & eleuatum vidit, sicut Cedros Libani.* Quid paulò pòst euenit? *Transiui, & ecce non erat. quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.* Imò non modò ipsi impij; *sed & reliquiæ impiorum interibunt*, vt ne in radice quidem sua permaneant. Sed, *Tu custodi innocentiam* portando crucem: *& vide æquitatem. Quoniam sunt reliquiæ homini pacifico*; certoque noueris, quod *salus iustorum sit à Domino, qui protector eorum est in tempore tribulationis, qui adiuuabit* Psal. 36.

*& liberabit eos, & eruet eos à peccatoribus, & saluabit eos; quia sperauerunt in eum.* Dic, *Christo sum confixus cruci, mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?*


*Chrys. loc. cit.* Quocirca nihil te perturbet, *si improbi quietè, tu in tentationibus viuis, luctamen sunt præsentia omnia, certamen, bellum, pressura, angustia, stadium. Aliud est quietis tempus, hoc ærumnis deputatum est atq; sudoribus, neque fas est hominem, qui per virtutis viam incedit, à tristitia, pressura, doloribus, & tentationibus immunem esse. Nullus athleta generosus in stadio balnea quærit, aut mensam cibis & vino redundantem: hoc non est athletæ, sed delicati. Athleta namq; pugnat, gaudetq; puluere oleo, solis ardore, sudore, campo, tribulatione & angustia; Hoc est certaminis tempus & pugnæ. Igitur & vulnerum, & cruoris & doloris, omnem vitam certamen esse putemus, & nunquam in tribulationibus insitata nos pati arbitrabimur.* *Chrys. hom. 67. ad Antioch.*

*Chrys. hom. 9. in ca. 5. epist. 1. ad Thess.* *Non putemus felices eos, qui in delitiis agunt, sed eos, qui à delitiis abstinent, isti ad cœlum enituntur; illi ad gehennam. Postquam enim hinc migrauerint, quid aliud illos manet, quàm pœna intolerabilis, tormenta sempiterna, vermis virulentus, ignis inextinguibilis, tenebræ exteriores, vincula indissolubilia, dentiũ stridor, tribulatio & angustia, & æterna damnatio?* Et tunc apparebit, quodnam sit discrimen inter *iustum & impium, & inter seruientem ei. Cùm igitur & bonam, & malam agentes vitam tribulari necesse sit, cur hanc non eligimus, quæ cum tribulatione nobis infinitas coronas accumulat?* *Idem. hom. 5. ad Antioch.* *Malach. 3.*

## CAPVT XIII.

### *Crucem non esse ob id repudiandam, quod sit bonis aliquando cum impiis communis.*

*1. Cor. 1.*



VT olim lignum crucis, in quo Dominus mortuus est, & ipse Christus crucifixus, Iudæis quidem *scandalum* fuit, gentibus autem stultitia: ita & crux spiritualis quibusdam mundi amatoribus scandalo est, partim cùm vident iustos, & pietate præstantes viros tot crucibus subiacere, partim cùm animaduertunt, flagella, vt famem, pestem, bella, & similia, quæ extraordinariè aliquando diuinitus immittuntur, æquè bonos religiososque ac improbos & sceleratos percellere, & vastare, quæ vetustissima iam querela est; nàm & apud Salomonem: *Vniuersa*, inquiunt, *æquè eueniunt iusto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas, & sacrificia contemnenti, sicut bonus sic & peccator, vt periurus, ita & ille, qui verum deierat.* Quin & addunt: *hoc est pessimum inter omnia, quæ sub sole fiunt, quia eadem cunctis eueniunt.* Verum de priore capite infrà agemus. *Eccles. 9.*

Quod

Quod ad posterius attinet, ita isti sentire videntur, *quasi Christianus ad hoc crediderit, vt immunis à contactu malorum, mundo & seculo feliciter perfruatur, & non omnia hic aduersa perpessus ad futuram gloriam reseruetur.* Cypr. lib. de mort.

Mouentur quod pestis, fames, bellum, & cætera miseriarum genera piis cum impiis sint communia: *Sed quid nobis in hoc mundo non commune cum cæteris, quamdiu adhuc secundum legem primæ natiuitatis manet caro ista communis? Donec corruptiuum istud induat incorruptionem, & mortale hoc accipiat immortalitatem, & spiritus nos perducat ad Deum patrem, quæcunque sunt carnis incommoda, sunt nobis cum humano genere communia. Sic cum fœtu sterili terra ieiuna est, neminem fames separat. Sic cum irruptione hostili ciuitas aliqua possessa est, omnes simul captiuitas vastat. & quando imbrem nubila serena suspendunt, omnibus siccitas vna est, & cum nauem scopulosa saxa confringunt, nauigantibus naufragium sine exceptione commune est. Et oculorum dolor, & impetus febrium, & omnium valetudo membrorum, cum cæteris communis est nobis, quamdiu portatur in seculo ista communis.*

*Placuit quippe diuinæ prouidentiæ præparare in posterum bona iustis, quibus non fruentur iniusti: & mala impiis, quibus non excruciabantur boni. Ista verò temporalia bona vtrisq; voluit esse communia, vt nec bona cupidius appetantur, quæ mali quoq; habere cernuntur, nec mala turpiter euitentur, quibus & boni plerumq; afficiuntur.* S. Aug. l. 1. de ciuit. Dei, c. 8. *Bona & mala quæ versantur & miscentur in seculo, nec boni soli habent, nec mali. Quidquid boni in hoc mundo dixeris; habent boni, habent mali: veluti salutem ipsam corporis, & boni habent & mali; diuitias, & apud bonos & malos inuenies. Vitam longam diu viuunt boni, equidem diu viuunt & mali. morbi, dolores, damna, oppreßiones, orbitates, communis hæc est omnium materies lachrymarum. facile est ergo videre, & bona seculi apud bonos & malos; mala seculi, bonos malosq; perferre.* Aug. ser. 245. de temp.

*Interest autem plurimum, qualis sit vsus vel earum rerum, quæ prospera, vel earum, quæ dicuntur aduersæ. Nam bonus temporalibus nec bonis extollitur nec malis frangitur. Malus autem ideo huiuscemodi infelicitate punitur, quia felicitate corrumpitur. Nec ideo boni maliq; pariter afflicti, distincti non sunt, quia distinctum non est, quod vtrique perpeßi sunt; Manet enim dißimilitudo passorum, etiam in similitudine paßionum, & licet sub eodem tormento, non est idem virtus & vitium. Nam sicut sub vno igne aurum rutilat, & palea fumat, & sub eadem tribula stipulæ comminuuntur frumenta purgantur, nec ideo cum oleo amurca confunditur, quod eodem præli pondere exprimitur: Ita vna eademque vis irruens, bonos probat, purificat, eliquat, malos damnat, vastat & exterminat. Vnde in eadem afflictione mali Deum detestantur atque blasphemant, boni autem precantur & laudant. Tantum interest non qualia, sed qualis quisq; patiatur: nam pari motu exagitatum, & exhalat horribiliter cœnum, & suauiter fragrat vnguentum.* Aug. l. 1. de ciu. cap. 8.

Communes ergo cruces sunt tam bonis quàm malis, quod vt nobis non tantùm experientia, sed & viuo exemplo manifestum fieret, Christus cum improbis; hoc est, cum latronibus crucem tulit; & cum *iniquis reputatus est*.

S. Cypr. lib. de mort. *Quinimò si qua conditione, qua lege crediderit Christianus, noscat & teneat, sciet plus sibi, quàm cæteris in seculo laborandum, cui magis sit cum Diaboli impugnatione luctandum. Docet & præmonet scriptura diuina, dicens: Fili accedens* Eccles. 2. *ad seruitutem Dei, sta in Iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem*. Et Dauid clamat: *Multæ tribulationes iustorum*. Et Apostolus: Psalm. 33. 2. Tim. 3. *Omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem*, hoc est, crucem & afflictionem, *patientur*.

Quid igitur miraris cruces bonis & malis esse communes, cùm potius mirari debeas, si non habeas cruces maiores, & frequentiores, quàm improbi; quorum tota spes labentis huius æui terminis circumscribitur. Nec tam doleas ob crucis communionem, quàm gaudeas ob disparem exitum & finem. Cypr. loc. cit. *Nam hoc quod sine vllo discrimine generis humani, cum iniustis* cruciantur, & *iusti*, non est, *quod putes bonis & malis finem esse communem. Ad refrigerium iusti vocantur* per crucem, *ad supplicium rapiuntur iniusti. Datur velocius tutela fidentibus: perfidis pœna.*

## CAPVT XIV.

*Crucem ferendam esse à quocunque nobis imponatur.*



OMNIS crux Deo aut volente aut permittente nobis venit: permissuque Dei, aut homines aut Dæmones nobis crucem imponunt. Quicunque igitur crucis auctor sit, ipsa animo patiente, constante, læto & alacri ferenda est, maximè si iubente & directè volente Deo nobis obueniat. *Cui magis* Tertull. l. de pat. *patientiam, quàm Domino præbeamus?* Quin insuper *gratulari & gaudere nos decet dignatione diuinæ castigationis. Ego, inquit, quos diligo, castigo. O seruum illum beatum, cuius emendationi Dominus instat, cui dignatur irasci, quem admonendi dissimulatione non decipit.*

Obtemperemus admonitioni Apostoli Petri, qui quid nobis faciendum sit his verbis tradit: *Hi qui patiuntur secundum voluntatem Dei,* 1. Pet. 4. *fideli creatori commendent animas suas in benefactis*. Meminisse debemus *voluntatem nos non nostram, sed Dei facere debere:* (non modo Cyprian. lib. de mort. agendo sed & patiendo) *secundum quod nos Dominus quotidie iussit orare.*

Eadem patientia & æquanimitas præstanda est, tum, quando ab

ab improbis crux nobis imponitur. Nam & Christo crux ab impiis imposita est, & tamen patientissimè illam tulit, imò & sanctificauit. Bonæ crucis possunt esse mali auctores, sed quid ad te peruersitas auctorum? *Tu me sequere*, ait Dominus, cum tua cruce, vt & Simon Cyrenæus fecit, quem impiorum turba coëgit crucem *portare post Christum*; tulit, & quidem patienter & constanter. *Ioan. 21.*

*Læsit te quispiam, aut contumelia insectatus est. Deum precare, vti mox illi reconcilietur & parcat. Frater enim est, tuum est membrum. Eodem quo tu partu genitus, ad eandem vocatus est mensam. Si lingua amaritudo, maledicto siue conuitio eruperit, respice dictum: Cùm vos maledixerint, gaudete. Dominus ipse maledictus in lege est, & tamen solus est benedictus. Igitur Dominum serui consequamur, & maledicamur patienter, vt benedicti esse possimus.* *Chrys. hom. de laudibus Dei. Tert. lib. de patientia.*

Cùm Barbari in Insula Melita D. Paulum à vipera morsum, neq; tamen in tumorem conuersum viderent, *conuertentes se dicebant, eum esse Deum*. Pari modo si quando à lingua viperea mordearis, neq; tamen in tumorem vel furorem conuertaris, excussa bestia in ignem diuinæ charitatis, in admirationem vel ipsos Barbaros, virtutisque hostes & osores rapies; & illi ipsi, qui initiò fortassis putabunt, te vt malefactorem mordacis linguæ ictus non iniuria experiri, mutata sententia, te maiorem ceteris mortalibus prædicabunt, si viderint te nihil mali à vipera passum esse. *Actor. 28.*

Quod si non lingua, sed *manu quis tentauerit prouocare, præstò est Dominica medela; Verberanti te, inquit, in faciem, etiam alteram genam obuerte. Fatigetur improbitas patientia tua. Sit tibi eiusmodi homo palæstra, & gymnasium: quomodo namque non absurdum, gymnasia quidem admitti nullum habentia lucrum, vbi corpus atterimus, Domi verò gymnasia non facere, coronam & ante certamina nobis præbentia? Omnis iniuria, seu lingua, seu manu incussa, cùm patientiam offenderit, eodem exitu dispungetur, quo telum aliquod in petra constantissima duritia libratum & obtusum. Concidet enim ibidem irrita opera & infructuosa, & nonnunquam repercussa in eum, qui emisit, reciproco impetu sæuiet. Viros illos, qui miserant Sidrach, Misach & Abdenago* iussu Regis Babylonij in fornacem ignis, *interfecit flamma ignis*. Eadem natura iniuriæ. Non patienti; sed inferenti obest: *Tert. lib. de patientia. Chrys. hom. 62. ad Antioch. Tert. lib. de pat. Daniel. 3.*

Quocirca cogita in hoc negotio vinci, esse vincere, & vincere vinci: *Qui enim in ira magna contumelia alium affecit, is superasse videtur, cùm reuera ipse maximè à turpi hac perturbatione victus, non parum sibi ipsi nocuerit. Qui autem magno animo tulit iniuriam, hic profectò, & quidem cum laude, superauit.* *Chrys. hom. 58. in Matth.*

*Non igitur vbique victoria quærenda est. Qui enim lædit, superare læsum videtur, sed perniciosa sibi victoria superat. Læsus autem si magno animo perfert iniuriam, quanquam victus videatur, coronam tamen splendidam adeptus est. Sepe-*

*numero ergo vinci, quàm vincere præstantius est. Optimus profectò iste victoriæ modus est. Nam siue quis rapiat, siue percutiat, siue inuideat, qui suffert, & non cominus aggreditur, ille pulcherrimus victor est.*

Talem victoriam retulit S.Paulus; qui de se aliisq; Apostolis ait: *Propter te mortificamur tota die; æstimati sumus sicut oues occisionis: sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos.*

Rom. 8.

Illud præterea Dauidis cogita, quotiescunque vel tibi, vel tuis iniuria seu verbo, seu facto irrogatur: *Dimitte eum, vt maledicat* (& malefaciat) *iuxta præceptum Domini, si forte respiciat Dominus afflictionem meam, & reddet mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna die.*

2. Reg 16.

Quanta Regis optimi patientia & æquanimitas in acerbissima Cruce à nequissimo homine profecta: *Mittebat Semei lapides contra Dauid, & contra vniuersos seruos Regis Dauid, clamabatq; Egredere, Egredere vir sanguinum, & vir Belial, reddidit tibi Dominus vniuersum sanguinem domus Saul, quoniam inuasisti regnum pro eo. Et ecce premunt te mala tua; quoniam vir sanguinum es.* Hæc ille maledicentissimè; cumq; nonnulli impudentiam hominis ferro compescere vellent, prohibiti sunt à Rege, qui totam vindictam Domino reseruandam putauit. Et meritò.

Tert. lib. de pat.

*Ipse enim postulat: Vindictam mihi, & ego vindicabo, id est, Patientiam mihi, & ego patientiam remunerabo. Nos putres, vasa fictilia, seruulis nostris assumentibus sibi de conseruis vltionem, grauiter offendimur, eosque, qui nobis patientiam obtulerint suam, vt memores humilitatis, non probamus modò, sed ampliorem, quàm ipsi sibi præsumpsissent, satisfactionem facimus, id nobis in Domino tam iusto ad æstimandum, tam potenti ad perficiendum periclitatur? Quid ergo credimus Iudicem illum, si non & vltorem? Crede mihi, satis idoneus patientiæ sequester Deus est. Si iniuriam deposueris penes eum, vltor est; si damnum, restitutor est; si dolorem, medicus est; si mortem, resuscitator est.*

Hanc rationem si inieris cum illis, qui te vel tuos cruciant verbo vel facto, alium quoque fructum inde percipies: *Idcirco enim quis te lædit, vt doleas: quia fructus lædentis in dolore læsi est. Ergo cùm fructum eius euerteris non dolendo, ipse doleat necesse est amissione fructus sui, tunc tu non modò illæsus ibis quod etiam solum tibi sufficit, sed insuper aduersarij tui, & frustratione oblectatus, & dolore defensus.*

Tert. lib. de pat.

*Aliquis iniuriam intulit, non sensisti, nec doluisti, non es iniuriam passus, sed & magis percussisti quàm percussus es. Cùm enim qui contumeliam intulit, plagam suam ad patientium animam non peruenire viderit; ipse maiorem in modum roditur, & tacentibus iis, qui contumeliam patiuntur, spontè contumeliarum plaga contra mittentem conuersa infertur. Contumelia enim non constituitur à sententia eorum qui contumeliam irrogant, sed à patientium affectu vel constituitur, vel destruitur; verbi gratia, multa quis in te fanda atque nefanda conuitia dixit: Si*

Chrys. hom. 2. ad Antioch.

*contumelias deriseris, si verba non acceperis, & vulnere superior sis, contumeliam non es passus. Et quemadmodum si corpus adamantinum haberemus, licet innumeris vndique telis percuteremur, vulnera tamen non reciperemus: non enim à manu tela torquente, sed à corporibus patientibus vulnera fiunt: Ita & hic non à petulantium insania, sed ab imbecillitate eorum qui contumelias patiuntur, iniuria & contumelia constituuntur.*

Illud denique tecum statue, dum te conculcat homo, & quasi in crucem agit, non hominem id facere, sed dæmonem per hominem, tanquam per instrumentum: *Malos homines diabolus quasi malleos, vel flagella habere consueuit. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus Principes & Potestates, & spiritalia nequitiæ, id est, aduersus Diabolum & Angelos eius quia & quando patimur homines importunos, ille instigat, ille inflammat, ille tanquam vasa sua mouet: Attendamus ergo duos hostes, quem videmus, & quem non videmus. Hominem videmus, diabolum non videmus; hominem diligamus, diabolum caueamus: pro homine oremus, contra diabolum oremus & dicamus Deo. Miserere mei Domine, quoniam conculcauit me homo.* *Aug. serm. 58. de tempore.* *Ephes. 6.* *Aug. in Psal. 55*

Præter hoc D. Augustini saluberrimum consilium, sequere etiam hoc D. Chrysostomi: *Cogita eum, qui te iniuria afficit, non esse mentis compotem sed insanire, & non molestè feres eius contumelias. Nam & dæmoniaci plerumque nos verberant, & non modò non mouemur, verumetiam eos deflemus.* Ita igitur & tu facito. Misereat te eius, qui contumeliam facit. Et quidquid tandem eueniat; mordacis linguæ spicula ne vibra; aut si vibrasti, audire te puta illud Domini: *Mitte gladium tuum in vaginam. Omnes qui acceperint gladium* (linguæ contumeliosæ & iniuriosæ) *gladio peribunt.* *Chrys. homil. in Matth.* *Ioan. 18.* *Matth. 26.*

Cæterùm non modò illa, quæ ab hominibus, sed & illa, quæ à dæmone, sine hominis opera, nobis infliguntur, *certemus sustinere, vt hostis studium æmulatio nostra æquanimitatis eludat.* Nec miremur *quod spiritualibus instantes multa patiamur aduersa: quemadmodum enim latrones, non vbi fœnum & palea & calamus, sed vbi aurum & argentum, ibi fodiunt, & continuò vigilant: sic & Diabolus illis maximè instat, qui spiritalia tractant negotia. Ibi multæ insidiæ, vbi virtus; illic inuidia, vbi misericordia. Diabolus non persequitur nisi bonos; malos enim, luxuriosos, cupidos & superbos persequi Diabolus non consueuit, amici enim sunt sui, & semper voluntatem illius faciunt; & in tantum eos non persequitur, vt etiam per illos alios persequatur.* Sæpe tamen Crux, quam nobis parat, in caput auctoris recidit, vt illa Mardochæo parata in auctorem suum Amanem. *Tert. lib. de pat.* *Chrys. homil. 2. ad Antioch.* *Aug. serm. 85. de tempore.*

Tres prædictas crucium externas causas significat etiam S. Gregorius his verbis: *Alia sunt quæ à Deo: alia quæ ab antiquo aduersario: alia quæ à proximo sustinemus. A proximo namque persecutiones, damna & contumelias: ab antiquo verò aduersario tentamenta: à Deo autem flagella toleramus.* Addit *S. Greg. hom. 35. in Euang.*

dit

dit insuper quomodo in his se homo gerere debeat: *Sed in his omnibus,* inquit, *tribus modis vigilanti oculo semetipsam debet mens circumspicere, ne contra mala proximi pertrahatur ad retributionem mali, ne contra tentamenta aduersarij seducatur ad delectationem, vel consensum delicti: ne contra flagella opificis, ad excessum proruat murmurationis.*

*Si verò quædam ipsi in nos aut imprudentia, aut sponte etiam superducimus; æquè patienter obeamus, quæ nobis imputamus.* Nam & homo sibimet ipse Crucem fabricare potest: sin minus; non dixisset ille: *Factus sum mihimetipsi grauis.* Imò & quasdam Cruces necessariò ipse sibi construere & imponere debet: *Qui enim Christi sunt; carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Quàm magnum hoc bonum est,* inquit S. Augustinus, *nec tamen facit hoc, nisi concupiscens aduersus carnem spiritus bonus, cum illam Crucē Christi fecerit inimicus, id est, spiritus malus. Crucifige teipsum,* monet Chrysostomus; *Etiamsi nemo te crucifigat.*

Chrys. hom 13. in epist. ad Phil.

Consistit hæc crucifixio in edomatione carnis prauarumque cupiditatum, ad quam cohortatur nos Apostolus illis verbis: *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram.* Et Dominus apud Matthæum: *Qui inuenit animam suam perdet illam, & qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam,* vel vt alibi habet Matthæus: *Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam;* vel, vt habet S. Ioannes: *Qui amat animam suam, perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo; in vitam æternam custodit eam.* Quid enim est inuenire animam, vel saluam facere velle animam, vel amare animā; quàm animæ cupiditatibus indulgere & obsequi: easque non crucifigere, nec, vt Apostolus monet, mortificare; quod quidem insipientibus salus animæ, & amor erga illam videtur esse; sed ex Domini sententia, salus hæc perditio est & pernicies; & amor, odium. Nam qui perdiderit & oderit animam suam, hoc est, qui eam cum vitiis & concupiscentiis crucifixerit, & iugem Crucem sibi statuerit, malorumque irritamentis viriliter restiterit, ille inueniet animam suam, & in vitam æternam custodiet. Vocat autem Dominus huiusmodi edomationem vitiorum & illecebrarum, perditionem & odium, quia mortificatio passionum videtur mundi amatoribus perditio & odium, imò & insania: Illorum enim est hæc vox de iustis, qui se cum Christo cruci suffixerunt: *Viam illorum æstimabamus insaniam.*

Matth. 10. Matth. 16. Ioan. 12. Sap. 6.

Crux autem nostra, in qua vitia & concupiscentias crucifigere debemus, *est timor Domini,* inquit Cassianus, *eo ergo habitu ac figura qua pro nobis in patibulo fuit ille suspensus, nos quoque necesse est in hac vita degere; vt scilicet secundùm Dauid, affigentes timore Domini carnes nostras, vniuersas voluntates nostras, ac desideria, non nostræ concupiscentiæ seruientia, sed mortificationi eius habeamus affixa. Quamobrem sicut crucifixus quis iam non pro animi sui motu*

Cass. li. 4. de Instit. c. 35. & 34.


*membra*

*membra suo quoquam mouendi, vel conuertendi, habet potestatem, ita & nos voluntates nostras, ac desideria non secundum id, quod nobis suaue est, ac delectat ad praesens, sed secundùm legem Domini, quò nos illa constrinxerit, applicare debemus; & sicut is, qui patibulo crucis affigitur, non iam praesentia contemplatur, nec de suis affectionibus cogitat; non pro die crastino sollicitudine curáque distenditur, nulla possidendi concupiscentia permouetur, nulla superbia, nulla contentione, nulla aemulatione succenditur, non de praesentibus dolet iniuriis, non praeteritarum iam recordatur, séque cùm adhuc spirat in corpore, cunctis elementis credit esse defunctum: illuc immittens sui cordis intuitum; quo se non dubitat ilico transiturum: ita nos quoque timore Domini crucifixos, oportet his omnibus, id est, non solùm carnalibus vitiis, verumetiam ipsis elementis mortuos esse: illuc habentes oculos animae nostrae defixos, quo nos sperare debemus singulis momentis migraturos.*

Ad extremum; *hoc pro certo habet omnis qui Deum colit, quod vita eius, si in probatione fuerit, coronabitur; si autem in tribulatione fuerit, liberabitur: & si in corruptione fuerit, ad misericordiam Domini venire licebit. Non enim delectatur in perditionibus nostris: quia post tempestatem tranquillum facit, & post lachrymationem & fletum exultationem infundit.* Tob. 3.

## CAPVT XV.

### *Crucem esse ferendam quia est donum Dei, & finis cuiuslibet Christiani.*



MAGNA crucis dignitas & excellentia est, quod sit singulare & eximium donum, diuinitus humano generi concessum. Testatur id Apostolus, cùm ad Philippenses scribens, ait; *ipsis à Deo donatum esse, vt pro ipso patiantur,* non secus atque eis donatum est, vt in ipsum credant. Verba Apostoli haec sunt: *Vobis donatum est pro Christo non solùm, vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini.* Ecce quale donum crux, quod à S. Paulo cum dono fidei confertur. Vt enim credere in Deum, affirmat esse donum Dei, ita & pati pro Deo, ac proinde *accedentem ad Deum oportet non modò credere,* sed & crucem ferre, & sicut *sine fide impossibile est placere Deo*, ita etiam sine cruce. *Pro Christo pati, munus est maioris admirationis*, inquit Chrysostomus, *quàm sit reuera mortuos excitare, & signa miranda patrare. Nam illic quidem debitor sum; hic verò debitorem habeo Christum.* Philip. 1. Hebr. 11. Chrys. hom. 4. in epist. ad Phil.

Porrò Crucem, quam D. Paulus *donum Dei* nominat; Apostolorum Princeps *gratiam Dei vocat*; non semel, sed iterum. *Haec est,* inquit, *gratia Dei, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniustè.* Rursus: *Si benefacientes patienter sustinetis, haec est gratia apud Deum.* 1. Pet. 2.

Imò finem & scopum vocationis nostrae constituit D. Petrus in

cruce, cùm ait: *In hoc enim,* ad Crucem videlicet, *vocati estis.* Et cùm malum pro malo, & maledictum pro maledicto non esse reddendum; sed potius benedictionem rependendam esse dixisset, subiecit: *Quia in hoc vocati estis, vt benedictionem hæreditate possideatis.* Et certè Crucem ferre esse nostram vocationem seu quod idem est, vocationis finem, perspicuè ostenditur ex verbis Domini, qui ad Crucem ferendam vocauit omnes illos, quos ad se vocauit, *si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam.* Et: *Tollite iugum meum super vos.* Quid autem aliud est iugum Christi, quàm Crux Christi?

Matth. 16.
Matth. 11.

Hanc vocationem nostram, vt attentè consideremus, grauissimè nos cohortatur Apostolus: *Videte,* inquiens, *vocationem vestram, quia quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret.* Quid stultius cruce apud eos, qui rebus caducis addicti, totam felicitatem suam in hac vita quærunt?

1. Cor. 11.

Quid illorum opinione infirmius, quid abiectius, & contemptius, & tamen iis, quos ad suam disciplinam Deus vocat, nihil aliud quàm crucem & iugum; hoc est, labores, molestias, afflictiones & calamitates proponit. Cumque omnes homines natura sua à cruce abhorreant, tamen non vnum duntaxat, vel aliquot centenos, vel etiam millenos tantum; sed totum terrarum orbem ad se attraxit, voluptatisque regnum destruxit, vt proinde meritò dicere possimus; in Cruce *absconditos esse omnes thesauros sapientiæ, scientiæ, virtutis, & potestatis diuinæ,* cum tanta ac talia crux perfecerit, & verò hodieque perficiat: non sine euidenti latentis in Cruce diuinitatis indicio.

Chrys hom. 4. in 1. epist. ad Cor.

*Quemadmodum enim si cuipiam eorum, qui iactantur in mari, & de portu percunctanti, alter non portum, sed aliam pelagi partem turbulētiorem ostenderet, & cum gratia persuadere posset, vt eò se sequeretur: & medicus cum saucium hominem, & qui medicinam exposceret, non per medicinam, sed per vstionem rursus sanum facere polliceretur, eique hoc efficaciter persuaderet, magnæ profectò virtutis & energiæ id esset, ita grandis potentiæ argumentum est, quod Crux ex natura sua non lenis, sed aspera; non iucunda, sed amara, homines à variis illecebris, & blandimentis ad se pertraxerit, sibique adhærere persuaserit.*

Ephes. 1.

Et hoc est, quod nos S. Paulus in nostra vocatione attentissimè vult considerare, vt sciamus *quæ sit spes vocationis nostræ, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis Dei in Sanctis:* Et vt in hac ad crucem vocatione perseueremus; grauissimè monet: *Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.* Ad crucem autem quiuis Christianus vocatus est.

1. Cor. 7.

Ephes. 4.


Alibi rogat, vt *dignè ambulemus vocatione, qua vocati sumus cum omni humilitate, & mansuetudine, & cum patientia.* Iure has tres virtutes nominat.

Nam

Nam & Christus eos, quos ad se inuitat, prius à se humilitatem & mansuetudinem discere iubet, vt iugum suum subire & ferre queant. Nam quod sine patientia iugum hac suscipi & ferri non posit, satis iam suprà demonstratum est. Tantum porrò donum hoc vocationis ad crucem est, vt Apostolus profiteatur se pro Thessalonicensibus orasse, vt Deus illos dignaretur vocatione sua, quam & alicubi *vocationem sanctam* nominat. Verè *sanctam*; quia quid homines magis sanctificat, quàm Crux? *Matth.11.* *2. Thess.1.*

# CAPVT XVI.

*Crucem ob id quoque ferendam esse, quia sic est grauis & amara, vt simul quoque sit leuis & suauis.*



NVITAT Dominus omnes ad se suamq; crucem his verbis: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris: Iugum enim meum suaue est & onus meum leue.* *Matth.11.*

*Mirum quibusdam videtur*, inquit S. Augustinus, *cùm audiunt Dominum ista dicẽtem, & considerant eos, qui iugum ipsum intrepida ceruice subierunt, & illam sarcinam mansuetissimis humeris acceperunt, tantis agitari & exerceri difficultatibus huius seculi, vt non à laboribus ad quietem; sed à quiete ad laborem vocati videantur: Cùm & Apostolus dicat: Omnes qui volunt in Christo piè viuere, persecutionem patientur. Quomodo ergo iugum leue est, & sarcina leuis, quandoquidem illud iugum & sarcinam ferre nihil aliud est, quàm piè viuere in Christo? & quomodo dicitur: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos? Cur non potius dicitur: Venite qui vacatis, vt laboretis? Nam & vacantes inuenit, quos conduxit in vineam, vt ferrent æstum diei. Et sub illo iugo leni & sarcina leui aiebat Apostolus; A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi, ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, & cætera pericula, quæ numerari quidem possunt, sed tolerari, nisi Spiritu sancto iuuante, non possunt.* *Aug. serm. 9. de verb. Domini.* *1. Tim. 3.* *Matth. 20.* *2. Cor. 11.*

Quæ ergo causa tantas cruces mollit, lenesque & leues facit? Amor videlicet Dei, & rerum cœlestium, timorque inferni, & cruciatuum æternorum, & *præsentia Spiritus sancti, qui in exterioris hominis corruptione interiorem renouat de die in diem: & gustata requie spiritali in affluentia delitiarum Dei, & in spe beatitudinis futura delinit aspera, & omnia grauia releuat.* *Aug. loc. cit.*

*Omnia sæua & immania prorsus facilia & prope nulla efficit amor, non modo in iis, quæ ad Deum pertinent,* sed & in aliis quibuscunque negotiis. *Immanissimis*

*nißimis bellis miles atteritur; pluribus fortasse annis in laboribus inquietus, quàm in otio quieturus. Quibus tempestatibus & procellis, quam horribili & tremenda sæuitia cœli & maris impleti sunt mercatores, vt diuitias ventosas & perituras adquirant, maioribus, quàm quibus adquisitæ sunt, periculis & tempestatibus plenas? Quos æstus, quæ frigora, quæ pericula ab aquis, à fossis, à præcipitiis, à fluminibus, à feris perferunt venatores: quem laborem esuriendi & sitiendi, quantas vilißimi & sordidißimi cibi & potus angustias, vt bestiam capiant? & interdum nec ipsius bestiæ carnes, propter quam hæc tanta sustinent, sunt epulis necessaria. Quanquam etsi aper, ceruusúe capiatur, magis suaue sit venantis animo, quia captus est, quàm comedentis palato, quia coctus est.*

*Quantis cruciatibus propè quotidianarum plagarum tenera puerorum ætas subditur? Quantis etiam in scholis vigiliarum & abstinentiæ molestiis exercentur, non propter discendam sapientiam, sed propter opus honoresq́; vanitatis, vt numeros, & literas, & disertas fallacias eloqui discant? Sed in his omnibus, qui hæc non amant, eadem grauia patiuntur, & grauia iudicant; Qui verò amant, eadem quidem, sed non grauia pati videntur*, & hoc propter amorem. *Nam quæ dura sunt laborantibus, iisdem ipsis mitescunt amantibus.* Vt enim lignum quondam à Moyse in aquas amaras iniectum, easdem reddidit dulces: ita & amor, asperitatem crucis vertit in dulcedinem.

Aug. loc. cit. *Quantò ergo certius & facilius ad veram beatitudinem charitas facit, quod ad miseriam, quantum potuit, cupiditas facit; quàm facilè toleratur qualibet aduersitas temporalis, vt æterna pœna vitetur, æterna requies comparetur? Secari & vri se homines patiuntur, vt dolores non æterni, sed aliquanto diuturnioris vlceris acriorum dolorum pretio redimantur in languida atque incerta vacationis breuißima atque vltima vita.*

Quid igitur mirum, si timor item gehennæ, & æternorum cruciatuum, leues faciat quoscunque huius vitæ cruciatus; vt interim taceamus alia commoda, quæ crux annexa habet, quæque iugum hoc & onus contra nominis rationem efficiunt leue & suaue, ita, vt quiuis cum Apostolo vitæ huius acerbitates vocet *momentaneas & leues, &* Rom. 8. *non condignas ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.*

Naz. orat. 2. in Pascha. *Quod nouum iugum,* inquit Gregorius Nazianzenus, *benignum est & suaue, atque onus leue, id fit propter spem ac mercedem huius vitæ, molestiis afflictionibusq́; longè vberiorem.* Aug. loc. cit. *Ecce vnde iugum illud suaue est, & onus leue: iugum dixit, & suaue appellauit, onus apposuit, & leue adiecit, ne aut tanquam laboriosa nimium fugeres: aut tanquam nimium facilia contemneres: Quod si post hæc* Chrys. hom. 39. ad Matth. *omnia vehementer ardua, difficiliaq́; tibi virtus videtur: Veniat tibi in mentem, quantò difficilior sit improbitas, quod Dominus insinuat, cùm antequàm de iugo suo aliquid diceret: Venite ad me omnes, exclamauerit, qui laboratis & onerati estis. Hinc enim ostendere voluit, quantum laborem, & quàm intolerabile grauamen*

pecca-

*peccatum hominibus adferat, idcirco non tantùm ait: Qui laboratis, sed etiam, qui onerati estis; quod Psalmista significauit apertius, qui & naturam ipsius peccati descripsit, dicens; Sicut onus graue grauatæ sunt super me. Zacharias quoq; similiter peccatum describens, plumbi talentum esse dixit.* Psal. 37. Zach. 5.

*Sunt tamen, quod pessimum est, multi qui durissimum & amarissimum auaritiæ iugum, cum multis laboribus volunt ferre, & dulce iugum Christi, & onus eius leue dissimulant humeris suis imponere: malunt cum multis peccatis sub sarcina graui succumbere, quàm iugum Christi, quod eos potest in cœlum eleuare, suscipere.* Aug. ser. 111. de tempore.

Requirit autem Dominus nominatim *mansuetudinem & humilitatem*, ad hoc, vt iugum suum suaue, & onus leue iudicemus. *Est enim humilitas sublimioris Philosophiæ mater, atq; origo. Quis verò humilis nisi patiens?* inquit Tertullianus, *& quis mitis, nisi patiens? Nam hoc vocabulo impatientes omnino censeri non licet.* Chrys. loc. cit. Tertull. l. de patient.


Patientiam ergo habe, si iugum Christi tibi vis esse suaue, & onus leue, simulque ea, quæ hîc iam speciatim exequar Crucis commoda & emolumenta ima mente repone. *Magnum enim ex tribulatione & cruce lucrum reportatur.* Quod qui intuetur & sperat, constanter crucem perfert: Qui non intuetur & sperat, is crucem ipse spernit & abiicit, eamque ab aliis hilariter & constanter ferri miratur, vel potius indignatur. Chrys. hom 4. ad Antioch.

*Nam & cum agricola semina cum multo labore collecta seminauerit, ignarus quidem omnia quæ fiunt, cernens, admirabitur, & fortè apud se ipsum dicet: Quid hic homo tandem facit? collecta dissipat, nec dissipat tantum, sed & terræ cum multa cura commiscet, nec commiscet tantum terræ, sed & optat vehementem fieri pluuiam, vt proiecta omnia marcescant, & lutum fiant, & turbabitur cernens fulmina, & coruscationes deferri: Agricola verò non ita, sed lætatur & gaudet tempestatem cernens. Non enim præsentia respicit, sed, futura, non respicit ad fulmina, sed manipulos computat, non marcescentia semina, sed vernantes spicas, non grauem imbrem, sed iucundissimam areæ ventilationem: sic & nos non præsentem spectemus afflictionem, sed orientem ex ipsa vtilitatem, exq; ipsa nascentem fructum: exspectemus aream & manipulos, & non modò nihil graue ex præsenti Cruce patiemur, sed & innumera bona capiemus:* & hoc est colligere de spinis vuas, & de tribulis ficus: Quod num fieri posset, quærebat Dominus apud Matthæum. Chrys. loc. cit. Matth. 7.



## CAPVT XVII.

### De effectibus seu fructibus Crucis, & primò; Cruce hominem reddi beatum, etiam in hac vita.



VIDAM Crucis fructus percipiuntur in hac vita, quidam percipientur in altera. *Nam sicut hi, qui in corporali certamine pugnant, ante coronam & brauium, in meditatione & palastra ipsa, magnam accipiunt mercedem, eò quod corpora sua firmiora & validiora exercitando faciunt, & infirmitatem omnem effugiunt, ita & nos virtutis certamen certantes, priusquam aperiatur cælum, priusquam Filius Dei adsit, priusquam retributiones nobis dentur, magnam mercedem accipimus, eò quod anima sapientiæ sit amantior, & magis pia euadit, & maiore instruitur patientia, fortiorq́, & constantior efficitur.*

Chrys. hom. 1. de Resurrect.

*Similiter sicut qui mare nauigarunt, & innumeras procellas tulerunt, multasq́, hyemes perpessi sunt, & cum multis bestiis certarunt, antequam merces referunt, non paruum peregrinationis suæ lucrum reportant, eò quod aliquantò fidentiores sunt, ac plagi sæuitiam minus horrent; namq́, intrepidè & cum voluptate quadam transmarinas peregrinationes aggrediuntur; ita & qui in præsenti vita propter Christum multas fert afflictiones, multaq́, grauia patitur, etiam antequam regni cælorum magnam illam retributionem assequatur, magna hic potitur fiducia, animamq́, suam ita excelsam efficit, vt posthac grauia omnia, quasi è sublimi derideat.*

Vt igitur incipiamus à fructibus, quibus crux nos in hac vita cumulat, vel præcipuus, vel certè ex præcipuis hic iudicandus est; quod crux in hac quoque vita beatos reddat. *Omnes homines beati esse volunt, idq́, vnum ardentissimo amore appetunt*, inquit S. Augustinus, sed miseri beatitudinem, hoc est, statum omni rerum aggregatione perfectum, non in cruce Christi quærunt, sed in delitiis & voluptatibus carnis. Atqui Christus & Apostoli disertis verbis, vt iam alia exempla taceam, non in huius vitæ iucunditatibus, sed in calamitatibus, ærumnis & cruciatibus beatitudinem collocatam esse demonstrant.

Aug. lib. 13. de Ciuitat. cap. 5.

*Beati*, inquit Dominus, *pauperes, quia vestrum est regnum Dei. Beati, qui nunc esuritis, quia saturabimini. Beati, qui nunc fletis, quia ridebitis. Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati estis cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & cùm separauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum tanquam malum, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes, propter me, gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.*

Matth. 5. Luc. 5.

An non paupertas, fames, sitis, fletus, luctus, persecutio, & id genus

nus

nus alia, cruces sunt, & quidem grandes? At in his & non in eorum contrariis ponit Christus beatitudinem. Nam de contrariis contraria pronunciata protulit. *Væ vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestram. Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis. Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Væ cùm benedixerint vobis omnes homines.*

Idem quod Christus præmium Cruci decretum esse, asserit B. Petrus, ipse etiam tot crucibus in hac vita exercitatus. *Si quid patimini*, inquit, *propter Iustitiam, beati. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis, quoniam quod est honoris, gloriæ & virtutis Dei, & qui est eius spiritus super vos requiescet.* 1. Pet. 4.

Ecce quanta crucis præmia; honor, gloria, virtus & spiritus Dei, quæ non quomodocunque promittuntur, sed stabiliter & constanter, quod *requiescendi* vocabulum significat.

Beatus vir, qui suffert tentationem, hoc est, crucem, ait B. Iacobus, & ante illum Iob; ob varias, quas pertulit cruces, clarissimus: *Beatus homo, qui corripitur à Deo. Increpationem ergo Domini*, quæ nihil aliud est, quàm crux, *ne reprobes.* Crux itaque beatos facit; tum quia reddit homines quietos & contentos, tum quia cœlestis beatitudinis pignus quoddam est & arrha, *quia per hoc, quod homo dolore correptionis premitur, quandoque ad beatitudinem, quæ sine interuentu doloris est, eruditur.* Iacob. 1. Iob. 5. S. Greg. l. 6. mor. cap. 17.

Ad istam beatitudinem inuitauit nos Dominus, cùm nos inuitauit ad suum iugum & onus, cum promissione quietis *inueniendæ.* Cùm enim beatitudo sit delectatio, voluptas & quies, hæcque non alibi reperiatur in hac vita, ipso Christo teste, quàm in iugo Christi, omnino necesse est, vt qui iugum & crucem Christi suscepit, quietem & delectationem, hoc est, beatitudinem inuenerit; vereque sit & nominetur quietus & beatus. Matth. 11.

Alius sensus est plerisque, qui beatum dicunt populum, cui hæc sunt: *Filiæ compositæ, circumornatæ vt similitudo templi, promptuaria plena, eructantia ex hoc in illud, oues fœtosæ, abundantes in egressibus suis, boues crassæ, nulla ruina maceriæ, in quorum plateis neq; transitus est, neq; clamor. Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt.*

*Tu verò quid dicis?* ait Chrysostom. *Beatus*, inquit, *populus, cuius Dominus Deus eius, & erunt qui beatificant populum* illum priorem opibus & voluptatibus affluentem, *seducentes, & qui beatificantur, præcipitati. Non pecuniis affluentem, sed pietate gloriantem, hunc ego beatum puto, etiamsi innumera patiatur mala.* Imò ideò beatum iudico; quia multas ærumnas patitur. Hæc enim est *gratia Dei*, & quod hinc est consequens, beatitudo: *Si enim corpus rectè dicimus beatum, quod potest absq; sui offensione* Chrys. hom. 1. ad Antioch. Esai. 9. Chrys. loc. cit.

*ferre*

*ferre frigus, & calores, & famem, & inopiam, & viæ difficultates, aliasq; ærumnas, quanto magis beatam oportet vocare animam, quæ viriliter & fortiter omnium molestiarum incursus ferre potest, & cor suum per omnia nulli seruituti obnoxium seruare.*

## CAPVT XVIII.

### *Ex Cruce nasci patientiam, probationem & spem.*

Rom. 5. Iacob. 1.



OMMEMORAT hos tres crucis effectus S. Paulus, & ex parte S. Iacobus. Ille his verbis: *Gloriamur in tribulationibus nostris, scientes, quod tribulatio patientiam operatur: Patientia autem probationem, probatio verò spem: spes autem non confundit.* At hic his: *Probatio fidei vestræ patientiam operatur; patientia autem opus perfectum habet, vt sitis perfecti & integri in nullo deficientes.*

Nec refert quod S. Paulus ait; *ex patientia oriri probationem.* S. Iacobus verò, *ex probatione patientiam*: vtrumque enim verissimum est. Nam & patientia facit, vt homo efficiatur probatus, & probatio, vt fiat patiens; suntque sibi inuicem causæ, patientia & probatio, diuerso tamen ordine & respectu.

Sed vt ad institutum reuertamur, magnam oportet esse crucis & afflictionis excellentiam, quæ tam nobiles fructus nobis parit; *patientiam, probationem, spem.* Patientiæ quanta sit dignitas, iam suprà pluribus ostensum est, quam si vel solam ex cruce perciperemus, crux obuiis vlnis amplectenda, & inuicto animo ferenda esset.

S. Greg. hom. 35. in Euang. *Verè enim radix omnium custosq; virtutum est patientia*: cuius proprium munus, aliena mala æquanimiter perpeti, *& contra eum quoque, qui mala irrogat nullo dolore morderi*; &, quod ait Apostolus; *Non vinci à malo; sed vincere in bono malum.* Rom. 12. Greg loc. cit. *Quanto autem culmine virtus patientiæ polleat, Salomon indicat, dicens: Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium: Minor est ergo victoria vrbes expugnare: quia extra sunt, qui vincuntur. Maius autem est, quod per patientiam vincitur; quia ipse à se animus superatur, & semetipsum sibimetipsi subiicit, quando eum patientia in humilitate tolerantiæ sternit.* Prouerb. 16. Gregor. ibid.

Patientiam hanc, crucem ferendo, hoc est, patiendo, adquires. Vt enim fabricando fabri, & cantando cantores efficiuntur, ita patiendo patientes. Cuius & illud officium est, vt non tantùm *eo tempore, quo quis aduersa patitur, vel contumelias audit, nullo dolore pulsetur, sed ne post peractam quidem iniuriam.* S. Greg. loc. cit. *Nam quidam post paululum, cùm hæc ipsa quæ pertulerint, ad memoriam reuocant, igne vehementissimi doloris instigantur, argumenta vltionis inquirunt, & mansuetudinem, quam tolerantes habuerunt in retracta-*

*tractatione sua, semetipsos diiudicantes perdunt. Callidus namque aduersarius bellum contra duos mouet, vnum videlicet inflammans, vt contumelias prior inferat: alterum verò prouocans; vt contumelias læsus reddat. Sed quia eius iam vir exstitit, quem ad proferendas contumelias commouit: contra illum acrius dolet, quem ad reddendas iniurias commouere non potuit. Vnde fit, vt tota se virtute contra eum erigat, quem contumelias fortiter pertulisse considerat. Quem quia commouere in ipsa iniuriarum iaculatione non potuit, ab aperto certamine interim recedens in secreta cogitatione deceptionis tempus inquirit. Et qui in publico bello perdidit, ad exhibendas occultè insidias exardescit.*

*Quietis namq; iam tempore ad victoris animum redit, & vel damna rerum, vel iniuriarum iacula ad memoriam reducit, cunctaq; quæ sibi illata sunt, vehementer exaggerans, fuisse intolerabilia ostendit; & quiescentis animum tanto furore conturbat, vt plerumq; vir patiens illa se æquanimiter tolerasse, etiam post victoriam captiuus erubescat, seq; non reddidisse contumelias doleat, & deteriora rependere, si occasio præbeatur, quærat.*

*Quibus ergo isti sunt similes, nisi his, qui per fortitudinem in campo victores sunt, sed per negligentiam postmodum intra vrbis claustra capiuntur? Quibus isti sunt similes, nisi his, quos irruens grauis languor à vita non subtrahit, sed leuiter veniens recidiua febris occidit. Ille ergo veraciter patientiam seruat qui & ad tempus aliena mala sine dolore tolerat, & hæc eadem retractans, pertulisse se talia exultat, ne bonum patientiæ quietis tempore pereat, quod in perturbationibus custoditur;* Habet enim patientia *opus perfectum*, vt ex sancto Iacobo audiuimus; facitq;, vt qui verè patiens est, in nullo deficiat. Hactenus de patientia, quæ eò maior fieri solet, quo maior est crux, quàm toleras. Quantò magis olim AEgypti Hebræos opprimebant, tantò magis multiplicabantur & crescebant: pari ratione, quo magis Crux te premit, eò patientior efficeris. *Exod. 1.*

De probatione suprà itidem complura diximus: In præsenti satis nobis est, omnia quæ probata sunt, laudari & amari: nihil charius habetur auro probato. Hinc in Scriptura legimus: *Aurum & argentum probatum, & argentum igne examinatum, imò aurum probatissimũ & myrrham probatissimam.* Causa cur ea quæ probata sunt, adeo commendentur, hæc est, quia certam & exploratam bonitatem & præstantiam habent. *Apoc. 3. Psalm. 11. 1. Par. 29. 2. Para. 3. Cant. 5.*

Quanta igitur Crucis dignitas, quæ hominem probatum efficit, sibique, Deo & hominibus perspectum & cognitum, vt dicere posit cum Propheta: *Probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum, & non est inuenta in me iniquitas*, aut si inuenta est, igne tribulationis absterfa est. *Psal. 65. Psal. 16.*

Ex qua probatione hoc etiam emolumenti homo consequitur,

quod indurescit, vt corrumpi nequeat affluentia rerum secundarũ, à quibus interdum, non minus periculi, quàm ab aduersis impendet: non enim probatur homo tantùm, vt aurum & argentum, sed &

Psal. 65. vt vas figuli, vt induretur, ne facilè frangatur: *Transiuimus*, ait Prophe-

Aug. in ta *per ignem & aquam. Ignis & aqua, vtrumq; periculosum est. In hac vita certè*

Psal. 65. *videtur aqua ignem exstinguere, & ignis videtur aquam siccare, ita & ipsa tentationes sunt, quibus abundat hac vita: ignis vrit, aqua corrumpit, vtrumq; metuendum, & vstio tribulationis, & aqua corruptionis.*

*Quando sunt res angusta, & aliqua infelicitates sunt in hoc mundo; quasi ignis est. Quando sunt res prospera & abundantia seculi circumfluit, quasi aqua est. Vide ne te ignis exurat, ne aqua corrumpat, firmus esto aduersus ignem. coqui te oportet; tanquam vas fictum mitteris in caminum ignis, vt firmetur quod formatum est. Vas ergo, quod in igne formatum est, aquam non timet; vas autem si solidatum igne non fuerit, tanquam lutum aqua soluetur. Noli festinare ad aquã, per ignem transi ad aquam, vt transeas & aquam.*

*Accedit prima vice ignis, postea ablato timore, metuendum est, ne felicitas corrumpat mundana. Cùm autem te ignis crepare non suffecerit, & in aquam non merseris, sed enataueris, per disciplinam transis ad requiem, & transiens per ignem & aquam educeris in refrigerium. Iam cùm transierimus ad illud refrigerium, nullum ibi timebimus inimicũ, nullum tentatorem, nullum inuidum, nullum ignem, nullam aquam, perpetuum ibi refrigerium erit.*

Cap. 3. Porrò ex probatione nascitur spes, & quidem *spes immortalitate plena.* Spes enim illorum, *qui coram hominibus tormenta & cruces passi sunt, immortalitate plena est.* Secundò; *spes viua in quam regeneramur*, non

1 Pet. 1. modò per Baptismum sed etiam corroboramur per cruces. Tertiò,

Ad Tit. 2. *spes beata.* Quia beatitudinem exspectat. Imò & beatitudinem quandam in hac vita tribuit: *Spe enim salui facti sumus.*

Rom. 8. Quartò *spes salutis, & vita aterna, & gloria.* Quintò, *spes*, qua in *tribu-*

1. Thess. 5. *lationibus gaudere* iubemur ab Apostolo. Sextò, *spes, qua non confundit,*

Ad Tit. 3. qualem habuit ille, qui dicebat: *In te Domine speraui, non confundar in a-*

Rom. 5. *ternum.* Septimò, *spes*, quæ est initium omnis boni operis & propositi:

Rom. 12. *Quoniam debet in spe qui arat arare, & qui triturat in spe fructus percipiendi.*

Rom 5. 1 Cor. 9. Quare qui non sperat, omni labore supersedet. Octauo, *spes, qua est*

Esai. 30. *fortitudo nostra. In silentio & spe*, ait Propheta, *erit fortitudo vestra.*

Cæterùm spes non modò ex patientia oritur; sed & eadem, vt fir-

Rom. 5. ma sit, nititur. Cùm enim speremus, quæ non videmus, *per patientiam exspectandum est*, donec illud assequamur, quod hic spe præcipimus. Cùm ergo in Cruce talis spes existat, meritò Crux de se dicat illud:

Eccles. 24. *Ego mater pulchra dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sancta spei.* Et; *In me gratia omnis via & veritatis, in me omnis spes vita & virtutis.*

Ita-

Itaque quotiescunque in Cruce hæres,& cruciaris, reputa tecum illud Domini: *Est spes nouissimis tuis*. Etenim spes hæc tota vita hominem crucis amantem consolatur, præcipuè tamen id facit sub nouissimum vitæ tempus. Quocirca *non amuletur cor tuum peccatores, sed in timore* ( & cruce) *Domini esto tota die: quia habebis spem in nouissimo, & præstolatio tua non auferetur*. Hier. 31.

## CAPVT XIX.

### *Ex Cruce oriri consolationem, gaudium, gloriam, auxilium peculiare Dei & Sanctorum.*



LAVDAT Apostolus Deum, *patremq; misericordiarum & Deum totius consolationis nominat*: præter cætera etiam ob hoc, quod eos, qui cum aliqua cruce conflictantur, consolationibus diuinis fulcire & recreare soleat. quod ipsemet Apostolus, tot crucibus excruciatus, non semel expertus est. Addit enim. *Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra: Non dicit, qui non finit affligi, sed qui dum affligimur, consolatur, quòd hoc, vt Dei potentiam declarat, ita eorum, qui affliguntur, auget patientiam. Tribulatio, inquit, patientiam operatur. Idem Propheta dixit: In tribulatione dilatasti mihi. Non dixit: non passus es me incidere in afflictionem, aut effecisti, vt celeriter transiret afflictio: sed ea manente, dilatasti me; hoc est, multam cordis latitudinem ac relaxationem dolorum indulsisti.* 2. Cor. 1. Chrys. hom. 1. in epist. ad Cor. Rom. 5. Psal. 4.

*Idem accidit tribus illis pueris. Nec enim obstitit Deus, quo minus inijcerentur in fornacem, neq; cum essent iniecti flammam exstinxit; sed ardente camino spatium latum præbuit. Quod tunc factum est, idem Deus semper facere consueuit. Quod tacitè Paulus quoque significans ait: Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Quin & aliud quiddam per hoc indicat. Quidnam hoc est? Quod non semel, neq; bis, sed continenter id facit. Neq; enim aliquando consolatur, aliquando deserit, sed semper idem agit, omniq; tempore: ideoq; dixit: Qui consolatur, non qui consolatus est. & addit: in omni tribulatione, non in hac tantum, aut illa, sed in omni.*

Hinc & B. Dauid absolutè dicit: *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt*. Quid aliud virga & baculus Dei, quàm crux; illa minoribus: hic grandioribus competens? subditque: *Impinguasti in oleo caput meum*; hoc est; *lætificasti lætitia spirituali mentem meam*. Et alibi cùm idem Propheta Domino dixisset: *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas & malas*; mox itidem subiecit: *Multiplicasti magnificentiam tuam, & conuersus consolatus es me*. Ergo post tribulationem consolationes accepit. Psal. 22. Aug. in Psal. 22. Psal. 70.

Promisit & Christus lugentibus consolationem: *Beati*, inquit, Matth. 5.

*qui lugent, quoniam consolabuntur.* Quin quò maior est afflictio, eò maior venit consolatio; simul enim crescunt & intenduntur. Testatur id B. Dauid: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meam: Quia sicut abundant passiones Christi in nobis: ita & per Christum abundat consolatio nostra.* Et alibi idem S. Paulus: *Repletus sum*, inquit, *consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.*

Psal. 36.
2. Cor. 1.

Duplici autem fine consolatur Deus illos, qui in aliqua Cruce versantur. Primò, vt ipsimet Crucem constanter & perseueranter ferant. Secundò, vt alios, qui variis ærumnis & calamitatibus exercentur, consolari, & ad meliora speranda excitare norint. Causam hanc indicauit Apostolus, qui cum se in afflictione à Domino consolationibus recreari dixisset, hanc rationem reddidit: *Vt possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem, qua exhortamur & ipsi à Deo.* Nemo enim aptior magister solandi eos, qui in cruce sunt, quàm is qui & ipse in cruce positus cœlestes delitias & iucunditates degustauit.

Et hæc exhortatio & consolatio fit aut verbo simul & exemplo, aut solo exemplo, qualis est cum nobis Christi & veterum Sanctorum exempla ad imitationem proponuntur; & in primis exemplum patientissimi illius Iob: *Cuius vlcera*, vt ait Chrysost. *sunt omnis tristitiæ consolatio. & vt discas, hoc verum esse, si quis filium legitimum, & vnigenitum amittat; ostende infinitas ipsi gemmas & non consolaberis dolorem, neq; angorem lenies: commonefaciens autem illum vulnerum Iob facilè mederi poteris, si dicas: Quid luges homo? tu quidem filium vnum amisisti, beatus autem ille, cùm omnis filiorum cœtus ablatus fuisset, in ipsa quoq; carne plagam accepit, & nudus in fimo sedebat, vndiq; sanie diffluens, dum paulatim ipsius caro consumeretur, iustus, verax, in Deum pius, ab omni re mala abstinens, Deum virtutis testem habens. Si enim hæc verba dixeris, omnem lugentis tristitiam exstinxeris, & omnem dolorem sustuleris, & sic iusti vulnera margaritis viliora fiunt. Non igitur ad vnum tantum redundat consolatio, quæ in cruce ex cruce percipitur, sed ad plures.*

Chrys. hom. 5. ad Antioch.

Porrò sicut Dominus, eò quod det patientiam, Deus patientiæ, ita quod det *solatium* nominatur ab Apostolo *Deus solatij*, qui consolationis suæ diuitias potissimùm tunc explicat, cùm quis est in cruce. *Consolatur enim humiles.* At quid humilius cruce, & eo, qui in cruce? Vbi verò consolatio est, ibi necesse est & gaudium inueniri. Consolationi enim adhæret gaudium, tanquam inseparabilis comes: *Consolationes tuæ lætificauerunt animam meam*, ait B. Dauid. Si igitur in cruce est consolatio, vt hactenus ostendimus, oportet in ea & gaudium & lætitiam esse, quam S. Petrus *inenarrabilem, & glorificatam* vocat.

Rom. 15.
2. Cor. 7.
Psal. 39.
1. Pet. 1.

Quod

Quod si quando, dum in cruce sumus, consolatio & gaudium differri videntur, *exspectemus humiles consolationem Domini, & exquiret sanguinem nostrum de afflictionibus inimicorum nostrorum, & diem consolationis adducet.* Iudith 8. Thren. 1.

Nihil vtilius cùm cruciaris, quàm imitari Prophetam, qui quid egerit, audi. *Tribulatio & angustia inuenerunt me; mandata tua meditatio mea est.* Videlicet tempore crucis exercebat & excitabat se consideratione legis diuinæ. Ex qua non poterat non capere consolationem: cùm diuina eloquia B. Dauidi dulciora essent melle & fauo; vt ipsemet testatur. Quem modum sese gerendi tempore crucis, alibi quoque significat, cùm ait: *In die tribulationis meæ Deum exquisiui, manibus meis nocte contra eum, & non sum deceptus. Memor fui Dei, & delectatus sum. Dic hoc rursus,* inquit S. Augustinus, *videamus, intelligamus, imitemur, si possumus. In die tribulationis tuæ quid exquisisti? Deum. Quomodo exquisisti? manibus meis. Quando exquisisti? nocte. Vbi exquisisti? coram eo. Quo fructu exquisisti? Non sum deceptus. Renuit consolari anima mea,* videlicet ab aliqua re creata, *memor fui Dei, & delectatus sum, non frustrà manus operatæ fuerunt; inuenerunt magnum consolatorem: Non quiescendo memor fui Dei, & delectatus sum prædicandus ergo Deus, cuius iste memor factus, delectatus est, & consolatus in quadam tristitia, & quodammodo salute desperata recreatus.* Et hoc est *mel de petra educere,* eoque *saturare populum.* Quid enim aliud est gaudium, & consolatio ex cruce, quam *mel de petra*, re dura & aspera, & vt carnalis quispiam sibi persuadere posset, ad nihil minus, quàm ad mellificium apta. Psal. 118. Psal. 76.

Forsan & huc alludit problema Sampsonis: *De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* Quid fortius cruce, quæ regit omnia, & quid dulcius *melle* consolationis, quæ ex cruce? Forsan hæc est illa *sicera,* & hoc *vinum,* quod mœrentibus iubet dari Salomon: *Date,* inquit, *siceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro sunt corde, bibant & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.* Ob gaudium enim, quo animus perfunditur, ita afficiuntur iusti, ac si crux natura sua res esset longè gratissima & iucundissima. Iudic. 14. Prouerb. 31.

Quod autem Deus homines cruce magis illustres efficiat, nemo dubitauerit, qui illam Dei promissionem apud Dauidem perpenderit: *Clamauit ad me, & ego exaudiam illum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Verè *glorificabo.* Quis enim nosset Iob, nisi tot crucibus lucem consecutus esset? Quis nosset alios innumeros toto terrarum orbe iam celeberrimos ob solam crucem, & in cruce patientissimam tolerantiam? & certè *fimus in quo sedebat Iob; omni tribunali regio venerabilior est,* inquit S. Chrysostomus; *& multi nunc longam transmarinam peregrinationem à terræ finibus suscipientes in Arabiam abeunt, vt fimum* Psal. 90. Chrys. homil. 5 ad Antioch.

*illum cernant; & conspicati terram deosculentur, quæ illius victoriis certamina, & cruorem omni auro pretiosiorem excepit. Non erat tam illustris Iob, quando ex ouium tonsura nudos vestiuit, quàm fuit clarus & spectatus cùm audiens, quod ignis cecidisset, & greges omnes consumpsisset, gratias egit.* (Idem hom 1. ad Antioch.)

Quin & ipse Christus celebritatem nominis, & famam longè clarissimam per crucem obtinuit: *Factus est enim obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* (Philip. 2.) Et hanc gloriam videtur illis, qui crucem ferunt, polliceri ipsum cognomen Christi in cruce exaratum: *Iesus Nazarenus.* Quid est Nazarenus, nisi floridus? Quis floret, nisi ille, cuius facta illustri gloria celebrantur & decantãtur? Cogita igitur; si te crux terret, crucifixum esse simul *Nazarenum*, Imò priùs hoc, quàm illud specta, & non modò ignominiam, sed & gloriam & honorem in cruce contemplare. Hinc & mulieres illæ *Iesum Nazarenum crucifixum* quærebant. (Marci 16.) Recto ordine: Ad quas proinde Angelus: *Nolite expauescere: Iesum quæritis Nazarenum*, posterior quidem cruce est gloria & famę celebritas, tanquã effectus: at nihil vetat id, quod in executione posterius est, esse prius in animo & intentione crucem adeuntis & expetentis.

Quod verò crux & afflictio conciliet etiam afflicto peculiare Dei auxilium, & quasi specialem assistentiam, satis ex prædicto psalmi loco perspicitur, vbi Dominus de afflicto. *Cum ipso sum in tribulatione.* (Psal. 90.) *Noli timere, quando tribularis, ne quasi non tecum Deus sit. iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde: adiuuat certamen,* inquit S. Augustinus, *qui certamen indixit: non te sic spectat Deus in agone certantem, vt populus aurigam; clamare enim nouit,* (populus) *adiuuare non nouit, coronæ veniam parare potest; vires subministrare non potest. Homo enim, non Deus* (est) *& fortè dum spectat, plus laborat sedendo, quàm ille luctando. Deus, quando spectat certatores suos; adiuuat eos inuocantes: Nam vox Athletæ ipsius est in Psalmo: si dicebam, motus est pes meus, misericordia tua adiuuabat me.* (Aug. in Ps. 90. Aug. serm. 105. de tempore. Psal. 93.)

Huius etiam diuini auxilij in afflictionibus testimonium nobis præbet castissimus ille & iustissimus adolescens Iosephus à fratribus venditus, & ab alienigenis per summam iniuriam in grauissimum carcerem coniectus: Nam in his omnibus crucibus Sapientia diuina, hoc est, ipse Deus, *venditum iustum non dereliquit, sed à peccatoribus liberauit eum: descenditq; cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni, & potentiam aduersus eos, qui eum deprimebant.* (Sap. 10.)

Nec Deus tantùm cum illis est, qui affliguntur, sed & Sancti, & præsertim Deipara Virgo. Nam & ob id iuxta crucem Domini stetisse videtur cum Ioanne Apostolo, vt hinc disceres, sanctissimę Virginis moris esse assistere his, quos aliqua crux exercet, cuius rei & illud (Ioan. 19.) euidens

euidens indicium, quod cùm olim Tobias & Sara, diuersis quidem in locis, sed vno die & simili calumniantium petulantia exagitati, & in crucem dati essent, ipsique, qua erant pietate, ad Dominum, cum affligerentur, confugissent, *missus est Angelus Domini S. Raphaël, vt curaret eos ambos, quorum vno tempore sunt orationes in conspectu Domini recitatæ.* Tob. 3. Quam fidelem autem operam Angelus Domini vtriq; nauauerit, & quomodo Domino mandante, à cruce, quam ferebant, magna omnium gratulatione, liberati sint, satis superque intelliget, qui sacrum Tobiæ librum euoluerit.

Descendit quoq; *Angelus Domini cum Azaria & sociis eius in fornacem: & excußit flammam ignis de fornace: & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contristauit, nec quidquam molestiæ intulit.* Daniel 3. Ecce quantum beneficium ab Angelo acceperint; qui crucem, & quidem horribilem, libenter pro diuini nominis gloria tolerabant. Quod si crux te contristat, & ad impatientiam exsuscitat, hoc ipso significare videris, Angelos tua culpa tibi non adesse; qui ignem tribulationis, quasi ventum roris flantem, hoc est, facilem & iucundum efficiant. Denique cùm Daniel in lacum leonum missus esset, *misit Deus Angelum suum, qui conclusit ora leonum; & non nocuerunt* Danieli. Daniel. 6.

## CAPVT XX.

*Cruce homines effici Ministros & filios Dei, & hac nota ab aliis distingui & internosci.*



EST & alius præclarus crucis fructus, Ministros enim Dei constituit, & tanquam nota quædam & tessera ab aliis distinguit. En quibus notis Apostolus seruum Dei depingat: *In omnibus,* inquit, *exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in castitate, in scientia, &c. per arma iustitiæ, à dextris, & à sinistris, per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam.* 2. Cor. 6. Et cùm S. Paulus sub ipsa conuersionis suę primordia, cœlesti lumine circumfusus, tremens & stupens quæreret: *Domine, quid vis me facere?* Actor. 9. Respondit Dominus? *Surge & ingredere ciuitatem, & dicetur tibi, quid te oporteat facere.*

Sed Ananias, ad quem missus est, Paulum deinceps non tam de faciendo, quàm de patiendo instruxit, iussu Domini, qui dixerat: *Ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati; pati* dixit, non *facere:* vt ostenderet, non tam faciendo, quàm patiendo famulos suos constitui, clarosque & insignes esse debere, imò quod obseruatione dignis-

dignissimum est, adeò crux & tribulatio ministrum Dei efficit & constituit, vt maior crux & tribulatio maiorem itidem ministrum Dei efficiat; A maioribus enim crucibus quas pertulit, S. Paulus ostendit, se etiam magis quàm cæteros seruum Dei esse: *Seipsum enim cum aliis comparans, & per comparationem nobis excellentiam demonstrans, sic inquit: Ministri Christi sunt, vt minus sapiens loquor, plus ego. Et excessum demonstrare volens, non quod mortuos resuscitauerit, dæmonesúe expulerit, neque quod mundauerit leprosos, aliudúe quid huiusmodi fecerit, dixit: Sed quid? Quod innumeras passus est molestias: cùm enim dixisset; plus ego: intulit tentationum multitudinem; sic dicens: In plagis supra modum, in mortibus frequenter, in carceribus abundantius, à Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi: Ter virgis cæsus sum; semel lapidatus, ter naufragium feci, & reliqua omnia.*

*Chrys. hom. 16. ad Antioch.*

Neq; tantùm ministrorum Dei, crux symbolum est & character, sed & filiorum: *Quem enim diligit Dominus, castigat. Flagellat autem omnem filium, quem recipit. Si Deus flagellat omnem filium, quem recipit, sine dubio, quem non flagellat, non recipit. Hinc timere debemus, si aut nullas aut paruas tribulationes in hoc seculo patimur.*

*Aug. serm. 105. de tempore.*

*In disciplina*, hoc est, in cruce, *perseuerate, tanquam filiis vobis offert se Deus* per crucem. *Quis enim filius, quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam*, hoc est, extra crucem, *estis, cuius participes facti sunt omnes. Ergo adulteri & non filij estis. Sicut enim in domibus patrumfamilias, nothos filios negligunt patres; etiamsi nihil doceantur, etiamsi non fiant celebres; pro filiis autem propriis valde verentur, ne eos malum opprimat negligentia, ita & Deus agit. Si igitur non castigari spuriorum est filiorum, oportet nos gaudere cùm castigamur.*

*Hebr 12.*

*Chrys. hom. 29. in ep. ad Hebr.*

*Flagellat Deus omnem filium quem recipit. & tu forte exceptus eris? Si exceptus es à passione flagellorum, exceptus es à numero filiorum. Itáne, inquies, flagellat omnem filium? prorsus ita flagellat omnem filium, vt & vnicum. & vnicus ille de substantia patris natus, æqualis patri in forma Dei, Verbum per quem facta sunt omnia, non habebat vnde flagellaretur, ad hoc carne indutus est, vt sine flagello non esset: Qui ergo flagellat vnicum sine peccato, nunquid relinquit adoptiuum cum peccato?*

*August. lib. de Pastor.*

Audi igitur & in intima præcordia demitte illam admonitionem: *Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neq; fatigeris dum ab eo argueris: Non omnes quidem, qui castigantur, filij sunt; Nam plurimi sunt, qui flagellantur maligni, sicut homicidæ, latrones, malefici, sepulchrorum deprædatores: at non sicut filij flagellantur, sed sicut pessimi puniuntur: Sed tamen omnis filius flagellatur, demonstrari non potest, quòd qui filius est, non patiatur.* Et vsque adeò omnis filius flagellatur, vt Deus nec illi pepercerit, qui peccatum non habuit. Et quò chariores Deo sunt, eò plures cruces ferendas habent, vt eò maius præmium sibi debitum faciant.

*Prouerb. 5. Hebr. 12. Chrys. loc. cit.*

*Aug. in Psal. 37.*

Quia

*Quia acceptus eras Deo*, aiebat Angelus ad Tobiam, *necesse fuit, vt tentatio probaret te*. Quibus verbis indicat Angelus filios Dei non tantùm à Deo castigari, sed & planè necessarium esse, vt varias cruces subeant. Quis charior Deo Patri, quam naturalis illius filius Christus? Quis hoc plures cruces tulit? Quis gratior Deo quàm Apostoli? At quantas ærumnas perpessi sint, norunt omnes, & iam sæpius ex ipso Apostolo Paulo, nomine & vice omnium audiuimus; qui quod S. Paulus pronunciauerat de Deo; hoc ipsi ad crucem meritò transferre poterant: *In ipsa viuimus, & mouemur, & sumus*; quin *ipsius & genus sumus*. Verè genus crucis; quia genus eius; qui *factus est obediens vsque ad mortem; mortem autem crucis*. Tob. 12. Actor. 17.

## CAPVT XXI.

*Cur Deus sanctis & amicis suis tot cruces mittat.*



SVNT tamen non pauci adeò effrontes & degeneres à Dei filiis, vt, quando probos variis crucibus exagitari vident, cum Deo quodammodo expostulent, sibique huius facti rationem exponi velint: *Quid tandem*, inquiunt, *ille modestus & mansuetus homo, ab alio quodam impio & improbo per singulos dies trahitur, & innumeras patitur molestias, & Deus permittit? Quare alter accusatus iniustè, mortuus est, ille submersus est, alius præcipitatus? Sunt iusti, quibus mala proueniunt, quasi opera egerint impiorum, & sunt impij, qui ita securi sunt, quasi iustorum facta habeant.* Chrys. homil. 1. ad Antioch. Eccles. 8.

Reddit autem S. Chrysostomus octo causas, cur Deus filios suos crucibus, & charissimos filios maximis crucibus exerceri sinat: prima causa est, *ne propter meritorum & miraculorum magnitudinem extollantur. Bonum mihi Domine quia humiliasti me*; clamabat ille. Et alius, cùm se in paradisum abductũ fuisse dixisset, subdidit: *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet. Angelus autem Satanæ, non dæmones aliquos dicit, sed homines diabolo ministrantes, infideles tyrannos, gentiles, qui continuò ipsum tribulabant, & semper persequebantur.* Chrys. hom. loc. cit. Psal. 118.

Secunda causa est, ne ceteri maiorẽ habeant de ipsis opinionem, quàm humana patitur natura, & ipsos Deos, non autem homines esse arbitrentur. Propterea & Apostolus Petrus, postquam claudum erexit, omnesq; ipsum admirarentur: *Seipsum corripiens, & persuadens, quòd nihil à se ipso, & de proprio præstitisset, dixit: Quid nos intuemini tanquam propria virtute vel potestate fecerimus hunc ambulare?* Actor. 3.

*Rursus in Lystris non solùm obstupuerunt, sed & tauros coronatos adduxerunt, vt Paulo & Barnabæ sacrificarent.* Ne igitur Sancti in Deorum numerum Actor. 14.

ab imperitis referrentur: *permisit Deus ipsos assiduè cruciari, flagellari, & in varios morbos incidere, vt nimia corporis imbecillitas, & tentationum turba præsentibus persuaderet, homines esse, qui talia edebant miracula, nihilq; de suo afferre, sed gratiam Dei per illos omnia efficere. Si enim illos, qui exigua quadam opera patrarunt, Deos esse putauerunt, multò magis si nihil passi fuissent humanum, Deos esse opinati fuissent illos, qui talia fecerunt, qualia nemo vnquam vel vidit, vel audiuit.*

Tertia causa est, *vt Dei virtus magis elucescat per huiusmodi ægros, & variis calamitatibus implicatos, verbumque Dei latius disseminetur. In ligno erant pedes Pauli, in catenis manus, & carcer sub mediam noctem quatiebatur, ipsis Deum laudantibus. Si fuisset solutus Paulus, & illud habitaculum concussisset, non fuisset tam mirandum, quod fiebat: Hoc ipsum igitur & carceris custodem perculit, quòd cùm tanta teneretur necessitate, per orationẽ solam potuerit fundamenta quidem quassare; fores verò carceris, & omnes vinctos soluere. Non hic autem solùm, sed etiam in Petro, & in aliis quoq; Apostolis videre quispiam posset, hoc perpetuo euenire, vt & in persecutionibus Dei gratia efflorescat, & magis appareat in tribulationibus, eiusq; virtutẽ prædicet. Idcirco dicebat Paulo: sufficit tibi gratia mea. Virtus enim in infirmitate perficitur. Nam hoc est, quod maximè Christi virtutẽ demonstrat, quoniam per talia vicerunt Apostoli, per vincula, tribulationes, flagella & extrema mala.* *Chrys. hom. 6. ad Antioch.*

Quarta causa est, ne propter præsentis vitę felicitatem, videantur Deo seruire: *Quod interdum non modò homines existimant, sed & ipse diabolus hoc ipsum opinatus est. Cùm enim videret sanctissimum virum Iob valde copiosum & opulentum, nihilq; haberet, quod ei accusationis loco obiiceret, ad hanc confugit calumniam. Nunquid gratis, inquit; te colit Iob? circumuallasti interiora & exteriora eius: propter mercedem ille virtutem sequitur, tanta fruens opulentia. Quid igitur fecit Dominus? Volens demonstrare, quòd sancti ipsum non colant propter mercedem; Omnem substantiam abstulit, & paupertati tradidit, & in grauem morbum incidere permisit.*

Quinta causa est, *vt de resurrectione cogitemus. Cùm enim virum iustum, & multa virtute præditum innumera passum mala, & sic hinc digressum, videris: oportet ex hoc omnino aliquid de illo iudicio cogitare. Si enim homo pro se laborantes sine præmiis, & retributione abire non permittit, multò minus Deus illos, qui tantum laborarunt, patietur sine munere esse. Si autem ipsos laborum suorum retributione priuare non elegit; sequitur, quoddam aliud tempus esse post præsentium finem, in quo præsentium ærumnarum mercedem recipiant.*

Sexta causa est, *vt qui in similes cruces & afflictiones incidit, habeat patientiæ exempla & documenta. Hanc tentationem cæcitatis*, inquit Scriptura de *Tob. 2.* Tobia, *ideo permisit Dominus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut & S. Iob.*

Septima causa est, *ne, si quando quis nos exhortaretur ad imitationem Apostolorum, Martyrum, & aliorum, qui Deo tam constanti pectore per tot cruces seruie-*

*seruierunt; alterius ipsos naturæ participes fuisse cogitaremus propter rerum gestarum magnitudinem; & sic ad imitationem torperemus: Quocirca quidam de magno loquens Helia, sic inquit, Helias homo erat similis nobis passibilis. Vides quod ù passionum communione, demonstrat ipsum hominem esse nostri similem?* Iacob. 5.

Octaua causa est, *vt discamus quosnam beatos, quos verò miseros iudicare debeamus. Certum enim est, quòd quando audieris Paulum dicentem, Vsq; in præsentem horam, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cadimur, & laboramus.* Et: *Quem diligit Dominus, castigat: non delitiis & omni rerum copia affluentes beati prædicandi sint, sed illi, qui vitam piè sanctéque instituunt, & virtutis curam gerunt.* 1. Cor 4. Hebr. 10.

*Si verò oportet & nonam causam addere, illam afferre possumus, quod tribulatio tribulatos clariores efficit. Possumus & decimam dicere causam, vt si aliquas habeamus maculas, hic eas deponamus. Præter hanc rursus aliam inueniemus, vt corona & præmia nobis augeantur. Quantum enim tribulationes intenduntur, tantum & retributiones ampliabuntur. Imò & amplius. Non enim condignæ sunt passiones temporis præsentis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Iacob Patriarchę dedit diuina Sapientia *certamen forte vt vinceret:* & post victoriam coronam acciperet: Eodem fine mittit adhuc Deus sanctis sibiq; charis cruces, & quidem graues interdum cruces. Chrys. loc. cit. Rom. 8. Sap. 10.

*Tot igitur causas habentes de Sanctorum afflictionibus, ne in tentationibus indignemur, neque angustiemur, neque tumultuemur, sed & ipsi animos instruamus, & alios hæc doceamus. Et si videris hominem in virtute viuentem, philosophiam sectantem, placentem Deo, postea innumera patientem mala, ne scandalizeris. Et si videris aliquem spiritualibus vacantem operibus, boni & sancti propositi, postea supplantatum, ne perturberis.*

*Etenim noui multos talia sæpe querentes. Ille, aiunt, ad templum peregrinatus est pauperibus pecunias perferens, & in naufragium incidit, & amisit omnia. Alter rursus idem faciens in latrones incidit, & vix animam suam saluauit, nudus inde discedens. Quidam multas eleemosynas elargientes, viduas alentes, omni substantia spoliati sunt. Aliј facto quopiam incendio, omnia amiserunt, aliј calumniis, & id genus aliis tentationibus, post multas eleemosynas, inciderunt in extremam paupertatem, infirmitatem, & ægritudinem, & à nemine vllum adepti sunt auxilium.*

*Quid igitur dicemus? Videlicet ob nullum huiusmodi tristandum esse. Quamuis enim naufragium fecit, sed habet iustitiæ fructum appensum. Sua enim omnia impleuit, collegit pecunias, deposuit, cùm recepisset, abierat, peregrinationem attigerat, naufragium verò de reliquo, non de ipsius sententia fuit. Sed quare hoc Deus concessit? Vt hunc conspicuum & illustrem efficeret.*

*Sed pauperes,* inquiunt, *priuati sunt pecuniis. Non tantā tu pauperum prouidentiam habes, quantā qui fecit eos Deus. Licet enim hi priuati sint, tamen aliunde potest maiorem copiæ occasionem ipsis præbere. Ne igitur gestorum rationem à Deo*

*repetamus, eumue reprehendamus, sed in omnibus eum glorificemus. Non enim imprudenter, & temerè talia quandoque fieri permittit.*

August. lib. 1. de ciuit. cap. 10.

Amiserit quis omnia bona externa, quæ habebat: *Nunquid amisit fidem? nunquid pietatem? nunquid interioris hominis bona, qui est ante Deum diues? Hæ sunt opes Christianorum, quibus opulentus dicebat Apostolus. Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia; nihil enim intulimus in hunc mundum, sed nec auferre quid possumus. Quibus ergo terrenæ diuitiæ perierunt, si eas sic habebant, quemadmodum ab Apostolo foris paupere, intus diuite audierant, id est, si mundo vtebantur, tanquam non vtentes, potuerunt dicere; quod ille grauiter tentatus, & minimè superatus: Nudus, inquit, exiui de vtero matris meæ, nudus in terram reuertar. Dominus dedit, Dominus abstulit, sicuti Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.*

Chrys. hom. 1. ad pop. Antioch.

*Si is, qui omnibus suis fortunis improuiso aliquo casu exutus est, pro hac iactura gratias egerit, multo maiorem à Deo beneuolentiam obtinebit, nec duplum, sicuti Iob, sed centuplum, & vitam æternam accipiet: Si verò hic malum patitur, hoc ipsum maiorem illic Thesaurum ipsi præbebit, quod generosè ferat omnia. Sed in paupertate degis, in fame & periculis. Recordare Apostolorum, qui in fame & siti, & in nuditate viuebant. Recordare Prophetarum & omnium iustorum, & inuenies eos non inter gaudentes & diuites, sed inter afflictos, & multis crucibus exercitatos vixisse.*

August. lib. 1. de ciuit. cap. 11.

Quod si immatura vel mala, vt videtur, morte iustus obierit, infletus & inhumatus; memineris, *neminem vnquam fuisse mortuum, qui non fuerat aliquando moriturus. Finis autem vitæ tam longam quàm breuem vitam idem facit. Neq; enim aliud melius est, aliud deterius, aut aliud maius & aliud breuius est, quod iam pariter non est. Quid autem interest, quo mortis genere vita ista finiatur; quando ille cui finitur, iterum mori non cogitur? Mala mors putanda non est, quàm bona vita præcesserit. Neque enim facit malam mortem, nisi quod sequitur mortem.*

Sapient. 4.

Itaque si quis ex piis præpropero funere abripiatur, crux non est, quam tu crucem intolerandam putas: *Nam placens Deo factus dilectus, & viuens inter peccatores translatus est; raptus est, ne malitia mutaret intellectum, aut ne fictio deciperet animã illius. Consummatus in breui, expleuit tempora multa. Placita enim erat Deo anima illius; propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum.*

*Populi autem videntes, & non intelligentes; nec ponentes in præcordiis talia, quoniam gratia & misericordia in sanctos eius; & respectus in electos illius. Videbunt enim finem sapientis, & non intelligent, quid cogitauerit de illo Deus, & quare muniuerit illum Dominus. Videbunt enim & contemnent eum. Illos autem Dominus irridebit, & erunt post hæc decidentes sine honore, & in contumelia in mortuos in perpetuum, quoniam disrumpet illos inflatos sine voce, & commouebit illos à fundamentis, & vsq; ad supremum desolabuntur, & erunt gementes, & memoria illorum periet.*

Hic

Hinc exitus illorum est, qui, vt est apud Salomonem, *scandalum passi*, dicunt: *Iustus perit in iustitia sua, & impius multo viuit tempore in malitia sua.* Et quibusnam similes dicemus istos, quibus alienæ, præsertim iustorum cruces, ruinam & exitium pariunt, nisi famulis Nabuchodonosoris; qui cùm ipsi non essent in fornace ignis, vt Sidrach, Misach, & Abdenago, sed extra; ab igne tamen consumpti & exusti sunt? *Erupit enim ignis, & incendit quos reperit, iuxta fornacem de Chaldæis*; cùm è contra Sancti, more illorum iuuenum, in medio flammæ & crucis, laudent Deum, & benedicant Domino. Eccles. 7. Dan. 3.

## CAPVT XXII.

*Crucem esse humani generis disciplinam.*



ALIVS, & quidem insignis fructus crucis est eruditio & institutio. Multa discunt homines in cruce, quæ sine cruce nunquam didicissent. Sæpè agnoscitur Christus in cruce, qui extra crucem non fuisset cognitus. Est enim crux, vt fel illud, oculis Tobiæ illitum; natura quidem sua amarum est, sed oculos aperit: *Virga atq; correptio tribuit sapientiam*, inquit Salomon & Isaias, *Domine in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua.* Tob. 11. Prouerb. 29. Isaia 36. Isai. 28.

Vulgò dici solet: *Vexationem dare intellectum.* Idem facit crux. Testis est latro, qui in cruce & Dominum, & se agnouit. Dominum illis verbis: *Memento mei cùm veneris in regnum tuum*, seipsum; illis, quibus socium in scelere & pœna increpauit: *Neq; tu times Deum, quod in eadem damnatione es, & nos quidem iustè, nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali gessit.* Luc. 23.

Quod latroni huic accidit, idem quotidie hominibus euenire solet; præsertim peccatoribus: *Plerumq; enim fit diuini muneris largitate, vt culpam pœna subsequatur, & flagella oculos delinquentis aperiant, quos inter vitia securitas cæcabat, torpens quippe animus percussione tangitur vt excitetur, quatenus qui statum suæ certitudinis perdidit, afflictus consideret quò iacet. Hinc itaq; ipsa asperitas correptionis, origo fit luminis.* S. Greg.

Ob id meritò appellatur crux in scriptura græcè παιδεία, hoc est, *disciplina*, seu *institutio*, seu *instructio*. *In disciplina*, hoc est, in cruce, *perseuerate*, monet Apostolus. & B. Dauid: *Apprehendite disciplinam*, causamq; addit: *Ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.* Quomodo enim non irasceretur, si *disciplinam eius*, hoc est, crucem, negligamus, cùm non semel, sed sæpius amicissimè ad illam nos, vt ad summam quietē & voluptatem, inuitarit? & quomodo neglecta hac disciplina ex numero iustorum non expungeremur, cùm nemo sit vel fuerit iustus, Hebr. 12. Psal. 2.

stus, qui sine disciplina & cruce vitam hanc transegerit? *Quos amo arguo, & castigo*, ait Dominus. At iustos diligit, sequitur ergo quod eosdem etiam castiget, & vt filios erudiat.

Apoc. 3.

Eccles. 30. Monet Deus per Sapientem, vt *filio, quem quis diligit, assiduet flagella, vt laetetur in nouissimo.* An non huic suae admonitioni ipse itidem Deus obtemperet, nobisque, si nos amat, flagella frequentia incutiat? *Si pater, qui parcit virgae, odit filium suum, qui autem diligit illum, instanter erudit*, cur non hoc ipsum de Deo tibi persuades? Rectè Sapiens: *Sapientiam & disciplinam, qui abiicit, infelix est, & vacua est spes illorum, & labores sine fructu, & inutilia opera eorum.* Et: *Qui abiicit disciplinam*, hoc est, crucem, *despicit animam suam.* Nihil ergo speret ille, qui viuit sine cruce.

Prouerb. 13. Sapient. 3. Prouerb. 15.

Chrys. hom. 62. ad Antioch. *Magnum bonum tribulatio*, inquit Chrysostomus, *& hoc ex nostris discimus filiis. Nam absque tribulatione nihil vtile discerent. nos autem plus illis afflictione indigemus, à puerulis enim nunquam magna committuntur peccata, à nobis magna nimis. Paedagogus autem noster tribulatio.* Imitatur Deus, quoad nos, praeceptum, quod ipse parentibus dedit, de filiis castigandis & erudiendis: *Noli*, inquit, *subtrahere à puero disciplinam. Si enim percusseris eum virga, non morietur, tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis.*

Prou. 23.

Chrys. loc. cit. *Quamobrem tribulationi planè nihil par censeri potest. Verè enim Philosophiae mater, in officio homines continet*, ne recti & honesti limites transiliant. *Ita quidem & Iudaei dum luto fuerunt & lateritio operi alligati, mites erant, & assiduè Deum inuocabant. Postquam verò libertate potiti sunt, murmurarunt, & Deum exacerbarunt, & se innumeris malis implicarunt. Imò in vniuersum Hebraei, quando affligebantur, & atterebantur, gemebant & Deum inuocabant, & multum supernè momentum attrahebant: Cùm autem impinguati sunt recalcitrare coeperunt, donec iterum Crucis disciplina eruditi ad Dominum confugerent, tanquam ad adiutorem in opportunitatibus in tribulatione.*

## CAPVT XXIII.

### *Crucem homines à peccatis praeseruare, & ea quae commissa sunt, expiare.*



CRVCEM homines à peccatis praeseruari, ipsa Crucis ratio, & status crucifixi declarat. Crucis enim huius officium & finis est, *carnem cum vitiis & concupiscentiis crucifigere, vt peccatum non regnet in corpore nostro mortali.* Quando autem tutior est homo à peccatis, quam crucifixis vitiis, prauisque cupiditatibus, quae ad flagitia inclinant & pelliciunt?

Potest quidem quiuis in cruce peccare, & per impatientiam & mur-

murmurationem ingenti scelere sese obstringere; sed id contra naturam Crucis est, præterque communem rerum cursum accidit, vt is qui peccatis per crucem iam mortuus est, iustitiæque viuere incepit, rursum peccet, cum Crux sit mortificatio peccati: Ad quam cohortatur nos illis verbis Apostolus: *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem.* Si per Crucem hæc membra mortificantur, & quasi enecantur; oportet omninò crucem præstantem esse aduersus peccata medicinam, cùm ex his velut fontibus omne genus vitiorum existat, quibus proinde per crucem edomitis & oppressis, necesse est, ipsam quasi flagitiorum scaturiginem tolli. Coloss. 3.

Neque tamen hoc duntaxat crucis beneficium est, sed & illud, quod peccata iam commissa eluat & expiet. Hinc ait S. Augustinus: *Pœnam huius vitæ esse, qua nunc vnusquisq; hominum aut exercetur ad purgationem, aut admonetur ad conuersionem, aut, si contempserit vocationem & disciplinam Dei, excæcetur ad damnationem.* Vbi tres Crucis effectus indicat; primum, purgationem peccatorum: alterum, vocationem ad meliorem frugem; tertium, indurationem & excæcationem. August. in Psal. 9.

Primum ex dictis fructum Crucis passim indicat scriptura: *In tempore tribulationis peccata dimittis his, qui inuocant te,* ait ad Deum pia illa Sara. Et Ecclesiasticus: *Pius & misericors est Deus, & remittet in die tribulationis peccata.* Et alibi: *In die tribulationis commemorabitur tui, &, sicut in sereno glacies, soluentur peccata tua.* Tres pueri Sidrach, Misach & Abdenago, vincti missi sunt in fornacem ignis: & exierunt soluti; vinculis ab igne absumptis: eodem modo crux vincula peccatorum soluit & abolet. Qui crucem vinctus subit; solutus abit: *Quodq; ignis est auro, hoc animis est afflictio; sordes abstergens faciens mundos, reddens claros & splendidos.* Et S. Paulus ait: *Veterem hominem simul cum Christo crucifixum esse,* & verò adhuc crucifigi, per crucem videlicet spiritualem, *vt destruatur corpus peccati, vt vltra non seruiemus peccato.* Tobiæ 3. Eccles. 2. Eccles. 3. Dan. 3. Chrys. hom. 66. ad pop. Antioch. Rom. 6.

*Peccatum,* inquit Chrysostom. *sanies est: pœna, ferrum medicinale. Sicut igitur saniem habens, & si non secatur, malè habet: & cùm non secatur, tunc est in maioribus malis: ita peccans, etiamsi non puniatur, omnium est miserrimus: & tunc maximè miser est, cùm non punitur, & graue nihil patitur: & sicut splene & intercute laborantes, cum largis vtuntur epulis, & frigida potione, & delicatis ferculis & condimentis, tunc præcipuè omnium sunt miserrimi, deliciis morbum augentes: si verò siti & fame secundum medicorum leges crucientur, aliquam salutis spem habent: Sic & in iniquitate viuentes, si puniantur quidem bonam spem habent:* Chrys. hom. 6. ad pop. Antioch.

*habent: si verò cum iniquitate licentia & deliciis fruantur, & hydrope laborantibus simul & comessantibus sunt multò miseriores, & tanto magis, quanto corpore melior est anima.*

Destruit ergo Crux peccatum & expiat, qua de causa etiam sanctis in hac vita mittit Deus varias Cruces. Aurum enim sunt & argentum, quapropter vt magis niteant, à maculis eos expurgat: *Vnusquisque enim quamlibet laudabiliter viuens, cedit in quibusdam carnali concupiscentiæ, & si non ad facinorum immanitatem, & gurgitem flagitiorum, atque impietatis abominationem, ad aliqua tamen peccata vel rara, vel tanto crebriora, quanto minora.*

S. Aug. l. 1. de ciuit. Dei, c. 8.

Hinc sancti, quibus ignotum non est, *iustum quoque septies in die cadere, & in multis cunctos offendere, cùm sibi suppetere prospera huius mundi conspiciunt, pauida suspicione turbantur. Timent enim, ne hic laborum suorum fructus recipiant, & à præmiis vitæ sequentis inanescant. Timent, ne quod diuina iustitia latens in iis vulnus aspiciat, & exterioribus eos muneribus cumulans, ab intimis repellat. ob id tentari appetunt, flagellari concupiscunt, quatenus incautam mentem metus & dolor erudiat: ne in hac peregrinationis via, hoste ex insidiis erumpente, sua eam deterius securitas sternat. Hinc Psalmista ait: Proba me Domine, & tenta me. Hinc iterum dicit: Ego ad flagella paratus sum, quia enim viri sancti, mentis suæ corruptionis vulnus, sine putredine non esse considerant, libenter se sub manum medici ad sectiones parant, vt aperto vulnere virus peccati exeat, quod sana cute intus occidebat.*

S. Greg. l. 5. Mor. cap. 1.
Greg. lib. 7. Moral cap. 8.

Quare magnus ille Dei amicus: *Hæc mihi sit*, inquit, *consolatio, vt affligens me dolore non parcat. Electi quippe cùm perpetrasse se illicita nouerunt, sed perscrutantes inueniunt, quia nulla pro illis aduersa perpessi sunt, in immensa formidinis terrore tabescunt, pauore æstuant, sinistris agitati suspicionibus laborant: ne in æternum se gratia deserat, quos in præsenti vita mali sui retributio nulla castigat: Timent ne vltio, quæ suspenditur, grauior in fine seruetur, feriri paterna correptione desiderant, & dolorem vulneris medicamina salutis putant. Nam vt electus quisque æterna supplicia euadat, & ad perennem gloriam pauper adscendat, debet hic assiduis flagellis atteri, quatenus in iudicio valeat purgatus inueniri.* Ipso namque *infirmitatis nostræ pondere deorsum quotidie ducimur, nisi mira manu artificis per subuenientia flagella releuemur*, sanemurque à peccati vulneribus; & quidem per Crucem, hoc est, per alia vulnera: Vulnerando enim DEVS sanat. Quamobrem rectè ille de Deo: *Vulnerat, & medetur; percutit, & manus eius sanabunt.*

*Duobus autem modis omnipotens Deus vulnerat, quos reducere ad salutem curat. Aliquando enim carnem percutit, & mentis duritiam suo pauore tabefacit. Vulnerando ergo ad salutem reuocat, cum electos suos affligit exterius, vt interius viuant. Vnde per Moysen quoque loquitur dicens: Ego occidam, & ego viuere faciam: percutiam, & ego sanabo. Occidit enim vt viuificet, percutit vt sanet. Quia idcir-*

Greg. lib. 6. Moral. cap. 18.
Deut. 32.

*idcirco foris verbera admonet, vt intus vulnera delictorum curet. Aliquando autem etiamsi flagella exterius cessare videantur, intus vulnera infligit, quia mentis nostræ duritiam suo desiderio percutit, sed percutiendo sanat; quia terroris sui iaculo transfixos ad sensum rectitudinis nos reuocat.*

Quod si quando Crux sanctis non imponitur *pro purgatione criminis*, at certè imponitur pro *fortitudinis probatione*, meritorumque incremento, quo fine Crux à Deo venit innocentissimo illi Iob, & aliis nō rarò sanctitate præstantibus viris. *S. Greg. li. 6. Mor. c. 17.*

Expiat prętereà Crux peccata quasi antecedenter: quia vt ex beato Augustino audiuimus, ad conuersionem excitat & inducit: *Nihil sic peccata in memoriam reuocare consueuit, vt pœna & castigatio. Et hoc manifestum est ex fratribus Ioseph, cùm enim illi iustum vendidissent, & tredecim anni præteriissent, puniri metuentes, & de vita timentes, peccati recordati sunt, & inter se dicebant: Meritò hæc patimur: in peccatis enim sumus propter fratrem nostrum Ioseph. Vides quomodo timor ille ipsos peccati sui commonefecit, & quando peccabant quidem, non sentiebant; quando verò puniri metuebant, tunc recordati sunt.* Etsi nonnulli similes sunt Pharaoni, quem grauissima flagella indurarunt potius, quàm emendarunt. Huic similes sunt illi: *Qui sæpe supernos ictus accipiunt, & tamen nulla disciplinæ percussione mollescunt.* Quam reproborum inter verbera duritiam sibi non inesse, docuit ille, qui dixit: *Nec fortitudo lapidum, fortitudo mea, nec caro mea ænea est.* *Chrys. hom 3. ad Antioch.* *S. Greg. l. 7. Mor. cap. 10. Iob. 6.*

*Quid hoc loco ære ac lapidibus, nisi insensibilium hominum corda signantur? Scimus autem, quoniam percussi lapides clarum sonum reddere nequeunt; æs verò cùm percutitur, canorus valde sonitus ex eius percussione formatur; quod, quia vt lapides vita carent, sensum in sonitu non habent. Nec non sunt nonulli, qui lapidibus similes, ita ad pietatis præcepta duruerunt, vt cùm eos percussio superna animaduersionis examinat, nequaquam sonitum humilis confessionis reddant: quidam verò à metallo æris in nullo discrepantes, cum flagella supernæ percussionis accipiunt, piæ confessionis sonitum emittunt: sed quia humilitatis voces ex corde non proferunt, ad statum salutis reducti, nesciunt quod promiserunt. Illi ergo more lapidum percussi, nec voces habent: isti autem in nullo æris imitationem fugiunt, qui in percussione positi, bona quæ non sentiunt, loquuntur. Illi venerationem ferientis & verbera denegant: Isti pollicentes, quod non implent, sine vita clamant.* *S. Greg. l. 7. Mor. cap. 10.*

Porrò dum Crux peccata expiat, simul etiam pœnas peccatis debitas, atque adeò in altera vita luendas, tollit. Nam & istæ ad peccatum, vt quiddam ex illo consequens, pertinent: *A Domino corripimur*, inquit Apostolus, *vt non cum hoc mundo damnemur.* Et ille apud Iob: *In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum.* *1. Cor. 11. Iob 5.*


*Quid enim senario numero, quem septimus sequitur, nisi præsentis vitæ operatio, decursusq́; signatur? Sexto quippe die omnia perficiens hominem condidit, & septimo die Deus requieuit, qui scilicet septimus vesperam non habet, quia subse-* *S. Greg. l. 7. Mor. cap. 18.*

*quentem requiem nullus iam terminus claudit. Perfectis ergo omnibus requies sequitur: quia post bona vitæ præsentis opera, retributio æternæ quietis inuenitur. In sex itaq; nos tribulationibus Dominus liberat, ne nos in septima malum tangat: quia per paternæ pietatis eruditionem, præsentis vitæ labore nos atterit, sed in aduentu iudicij à verbere abscondit, vt tanto tunc ad salutem certiores exhibeat quanto nunc flagella durius secant.*

*Chrys. hom. 66. ad Antioch.* Vt autem vno aspectu plures crucis fructus intuearis, crux, inquit Chrysostomus, *fastum conterit, & omnem excidit torporem: Ad patientiam vngit, & humanarum rerum vilitatem reuelat, & multam ingenerat sapientiam. Omnes enim motus illi cedunt, inuidia, æmulatio, concupiscentia, potentia, pecuniarum amor, arrogantia, fastus, ira, & omne reliquum vitiorum examen.*

## CAPVT XXIV.

### *Cruce hominem perfici & corroborari.*

*1. Pet. 5.* INDICAVIT hunc Crucis effectum B. Petrus, cùm Christianos ad crucis tolerantiam cohortans, ait fore, *vt modicum passos* Deus ipse *perficiat, confirmet & solidet.* His enim verbis vtitur, vt hunc crucis effectum clarè omnium oculis & animis subiiciat, at verò tum maximè quis robustus, & inuictus efficitur, cùm perficitur, firmatur, & solidatur: Nam ex perfectione, confirmatione & solidatione rei, existit fortitudo rei. Quod & Deus S. Paulo à cruce quadam liberari volenti, contestatus est, cùm dixit;
*2. Cor. 12.* *virtutem*, hoc est, robur & fortitudinem, *perfici in infirmitate,* & afflictione, quo Domini dicto, ita ad crucem ferendam inflammatus est sanctissimus Apostolus, vt diceret, se non tantùm libenter crucem ferre, sed & quod mirabilius est, se etiam libenter *in cruce gloriari velle. Libenter,* inquit, *gloriabor in infirmitatibus meis: causamq;* addit: *vt inhabitet in me virtus Christi.* Corroborabatur enim à Christo per huiusmodi cruces, crescebatque virtute & potentia, sicut & olim populus Israëliticus inter grauissimas afflictiones & calamitates, quibus ab AEgy-
*Exod. 1.* ptiis exagitabatur; *creuit confortatusq́; est nimis.* quin ob hoc ipsum roboris & fortitudinis suæ incrementum, ait se etiam sibi placere *in in-*
*2. Cor. 12.* *firmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus & angustiis, pro Christo. Cùm enim infirmor,* inquit, *tunc potens sum;* idemque testatur, sanctos *fortes factos in bello*, hoc est, in cruce & afflictionibus.

*Rom. 8.* Adeò autem fortem & potentem crux reddidit S. Paulum, vt diceret, se, licet tota die *mortificaretur, & tanquam ouis occisionis æstimaretur, in omnibus tamen superare,* & velut victoriæ signum extollere. *Nec defici-*
*2. Cor. 4.* *mus,* inquit. Cur, nisi ob insigne robur, quod in ipsis crucibus donabatur? Quod ipse indicat his verbis: *Licet is, qui foris est noster homo, corrũpitur,*

*pitur tamen is qui intus est renouatur de die in diē.* Quamuis enim per varias carnis afflictiones debilitetur corpus, spiritus tamen semper magis atque magis corroboratur.

*Quomodo corrumpitur, qui foris est homo?* inquit Chrysostomus, *dum flagellatur, affligitur, & innumera fert mala. Quomodo renouatur? fide, spe, alacritate, vt audeat se opponere malis. Nam quò plura tulerit corpus, hoc maiorem spem habet anima & fulgidior euadit, velut aurum quod multo igne examinatur.* *Chrys. hom. 9. in 2. epist. ad Cor.*

Et quid mirum in infirmitatibus robur crescere? *Eo enim tempore potissimùm gratia accedit. Nam vbi afflictio, ibi & consolatio, vbi consolatio, ibi & gratia.* *Chrys. hom. 26. in epist. ad Cor.*

Si miles & athleta labore fortior fit, durat enim labor, & mollitiem ex animo eiicit, cur non & crux hominibus fortitudinem præberet? & quidem fortitudinem iustorum, *cuius est carnem vincere, propriis voluntatibus contraire, delectationem vitæ præsentis exstinguere, huius mundi aspera pro æternis præmiis amare, prosperitatis blandimenta contemnere, aduersitatis metum in corde superare.* *S. Greg. l. 7. Mor. cap. 9.*

Habent quidem & improbi quandam fortitudinem, sed diuersi ordinis & muneris: Eius quippè proprium est. *transitoria sine cessatione diligere, contra flagella conditoris insensibiliter perdurare, ab amore rerum temporalium, nec aduersitate quiescere, ad inanem gloriam etiam cum vitæ detrimento peruenire, malitiæ augmenta exquirere, bonorum vitam non solùm verbis ac moribus, sed etiam gladiis impugnare, in semetipsis spem ponere, iniquitatem quotidie, sine vllo desiderij defectu, perpetrare.*

An non & reprobi fortes sunt? *qui ad præsentis vitæ concupiscentiam tot laboribus currunt, periculis se audenter obiiciunt, pro lucris contumelias libenter ferunt, ab appetitus sui libidine nulla victi contrarietate, resiliunt, percussionibus durescunt, & mala mundi tolerant pro mundo, eiusq; vt ita dixerim, gaudia quærentes perdunt. Nec tamen perdendo fatigantur.*

Verùm hæc fortitudo longè abest à crucis amatoribus. *Vir enim iustus ad mundi pericula pro mundo toleranda debilis esse solet, & pro vita præsenti labores exterius perpeti renuit, cuius intrinsecus delectationes vicit.*

## CAPVT XXV.

*Cruce hominem conformari Christo, imo & in Christum quodammodo transformari; & Martyrem effici.*



EXIMIVS inter cæteros Crucis fructus est & iste, quod crux Christo nos conformat, & similes efficit. Exemplar enim nostrū est in patiendo: *Nam exemplū dedit nobis, vt sequamur vestigia eius.* *1. Pet. 2.* & Deus pater, *quos p̄sciuit, hos & prædestinauit cōformes fieri imagines Filij sui,* *Rom. 8.* vtiq; nō tantū in gloria, sed & in via ad gloriā

quæ via, præter alias, est etiam crux & patientia, patiendo igitur, si nos, vt oportet, ad hoc exemplar velut ad prototypum conformemus, necesse est, vt eidem similes efficiamur.

Philip. 3. Ad quam similitudinem peruenire optabat Apostolus, cum diceret; in id vnum se incumbere, vt perfectè cognosceret Christum, & *virtutem resurrectionis eius, & societatem passionum illius; Configuratus morti eius.* Non vtique cupiebat scientiam huius rei theoreticam duntaxat, & quę in sola cognitione consistit, sed practicam, & quasi experimentalem; & cuius non tam est *scire*, quam *pati*; non tam *contemplari*, quã *cruciari*: per hoc enim similis erat futurus, & configurandus passioni, cruci & morti Domini, quarum communicatio non modò hunc similitudinis fructum nobis conciliat, sed hunc, vt iam Christus nos non modò amet, sed & animet, factus nobis quasi anima & vita.

Galat. 2. Philip. 2. Testatur id Apostolus: *Christo confixus sum cruci. Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus.* Et alibi: *Mihi viuere Christus est.* Quantus crucis fructus est, quæ Christum quasi nobis incorporat, vt det nobis vitam & operationem, sicut anima largitur corpori vitam, & operationes? Quam autem omnia composita esse oportet in intellectu, voluntate, potentiisque cæteris eius hominis, cui viuere Christus est? Neque interna duntaxat, sed & externa omnia optimo & decentissimo ordine peragentur & disponentur, cùm ab vno eodemque vitæ fonte proficiscantur tam interna, quàm externa.

Et hanc vitæ huius cælestis ab anima ad corpus quasi deriuationem, significauit Apostolus: in quo non ipse, sed Christus viuebat;

2. Cor. 4. cum ait: se & alios in corpore suo *circumferre mortificationem Iesu*, hoc est crucem, *vt & vita Iesu*, inquit, *manifestetur in corporibus nostris*, hoc est, vt etiam in externis actionibus appareat, omnibusque perspicuum fiat, Iesum in nobis viuere, nosque non tam nostram, quàm illius vitam agere. Ergò à tali, in quo Christus viuit, nihil geretur, quod Christus nolit. Vt enim ipse Christus nihil agit, quod ipse nolit, ita & iste, cui viuere Christus; nihil aget, quod Christus nolit, atque adeò ipse quasi mortuus erit, magno sanè lucro. Nam *mihi mori lucrum est*,


Philip. 1. ait Apostolus, & tota quam viuit vita, Christi erit, vt proinde verissimè dicere queat: *Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Christus.*

Chrys. in cap. 2. Epist. ad Gal. *Quis ausit in hanc vocem erumpere?* inquit Chrysostomus, *quoniã enim se ipsum Paulus Christo Domino ac cruci præbuerat, cunctaq; reiecerat temporalia, & ad illius voluntatem faciebat omnia, non dixit; viuo Christo, sed quod longè maius erat; viuit in me Christus; Quemadmodum enim peccatum, si vicerit, ipsum est, quod viuit in homine; animum ad quæ vult pertrahens: ita si illo mortuo quæ Christo sunt placita fiant, nec humana deinceps est eiusmodi vita, videlicet ipso Christo viuente in nobis, hoc est, agente & dominante.*

Ob id etiam dixit Apoſtolus: *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis: crucifixerunt*, hoc eſt, peremerunt, ita vt vitia & concupiſcentiæ amplius non viuant, crucifigere enim eſt interimere; Si vitia & concupiſcentiæ amplius non viuunt, ergo neque ipſe vetus homo amplius viuit, ſed Chriſtus. & hoc eſt etiam *Chriſtum induere*, ad quod toties nos cohortatur Apoſtolus. Quis enim Chriſtum magis induit, quàm ille cui viuere Chriſtus eſt? Inſignes iſti crucis fructus ſunt, vt & hic quod crux Martyres facit. *Duo enim ſunt genera Martyrij: vnum in mente: aliud in mente ſimul & actione. Itaque eſſe Martyres poſſumus, etiamſi nullo perſequentium ferro trucidemur. Mori quippe à perſequente, Martyrium eſt in aperto opere; ferre verò contumelias, odientes diligere, Martyrium eſt in occulta cogitatione. Non enim in ligno ſuſpendi; ſolum hoc martyrem facit: nam ſi ſic eſſet, extra tales coronatos Iob poneretur: Nec enim ante tribunal fuit conſtitutus, nec iudicis vocem audiuit, non vidit carnificem, neq; ſuſpenſus in ligno, vel ſublimis poſitus circa latera laniatus eſt: attamen multis Martyribus grauiora paſſus eſt; Et illorum ſuccedentium ſibi voces omni plaga ſæuius percutiebant, & eum vndiq; pungebant: & innumeris tortoribus acerbius vermium illorum ora eum vndique corrodebant, cui non itaq; dignus hic ſit Martyri comparari? Innumeris equidem. Etenim per omnia pugnabat, & per omnia coronabatur, per pecunias, per filios, per corpus, per vxorem, per amicos, per inimicos, per ſeruos, per famem, per cibos, per dolores, per fœtorem; per hæc, inquam, non vni, vel duobus, vel tribus, ſed infinitis erat Martyribus comparabilis.* Galat.5. Greg.hom.35.in Euang. Chryſ.hom.63. ad Antioch.

## CAPVT XXVI.

### *Cruci decretam eſſe æternam beatitudinem.*



QVod crux tandem nobis vitam æternam pariat, non vno, ſed pluribus locis teſtatur Apoſtolus; inter cętera hoc, vbi ait: *Quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis, quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt; Quæ autem non videntur, æterna ſunt.* 2.Reg.4.

*Et ſi dixeris quomodo poſſum (ſecundum exemplum Apoſtoli) videre ea, quæ non videntur, & ea quæ præſentia ſunt, non videre? Age, conabor, quomodo tibi horum fidem faciam, idq; à ſecularibus negotiis. Nam in rebus huius mundi, nemo ſtatim aliquid agit, niſi prius videat viſibilia, ſpectet inuiſibilia. Dicam autem exemplũ Negotiator multas fert tempeſtates, fluctuum inſultus, naufragia, multaq; alia incommoda. Verùm non niſi cum negotiationem aliquandiu exercuerit, & merces comportarit, diuitiis partis fruitur: & præcedunt quidẽ tempeſtates; ſequuntur autem merces: & videt quidem pelagus ac fluctus, cum è littore ſoluit, merces autem non videntur, tantum autem ſperantur: At niſi ad ea reſpiciat, quæ non apparent, ſed abſentia ſunt: nec in manu, ſed ſpe: nunquam etiam præſentia, & quæ apparent attentabit.* Chryſ.hom.1.de Reſurrect.

 Simi-

*Similiter & agricola iungit bouem, aptat aratrum, profundos facit sulcos, seminaq; spargit, & omnia quæ sibi sunt; insumit, & frigora, & glacies, & imbres, & alias fert ærumnas, quamuis multas: tandemque post labores exspectat, vt videat campos virentes, & impletam aream. En & hic prior est labor, posterior verò merces: & merces incerta, labor verò certus & difficilis: & illa quidem tantum in spe, labor autem in manibus. Veruntamen & ipse nisi primū hanc spectet, quæ dubia & non apparens; & corporeis oculis inconspicua: non solùm non iunget bouē, sed & neq; aratrum trahet, neq; semina sparget, neq; vnquam ad id operis vel domo egredietur.*

*Sicut igitur in rebus vitæ huius magis spectatur ad inuisibilia, quàm ad visibilia: & antea fertur labor, quàm videatur merces, & primùm difficilia quæq; sustinentur, & sic inde exspectantur fructus, sicq; spes inuisibilium primum adducit, & tunc visibilia quoq; attinguntur: Ita in hac* itidem crucis palæstra *faciendum est: dubitare autem, hæsitare, & poscere mercedem ante labores, videtur esse animi abiectioris, quam sint agricolæ & nautæ. Nec enim in hoc solo ipsis videmur esse deteriores; quòd ægrè futura exspectamus, sed etiam in alio quodam non minore illis. quodnam est hoc? Illi enim non satis fidere possunt fini suo, & incerti sunt, quātum mercedis habituri sint, attamen nec sic à laboribus deterrentur. At tu fideiussorem coronarum habes fide dignissimū: & neq; sic imitaris illorū studium ac strenuitatē.*

*Etenim nonnunquam agricola postquam sementem fecerit, agrum coluerit, iam segetem increscere viderit, spe tamen & retributione laborum excidit, si vel grando, vel erucæ, vel locustæ, vel alia quadā talia acciderint, & post multos labores vacuis manibus domum regreditur. Mercator quoq; post longam nauigationem afferens oneratam nauim, sæpe in ipso portus ostio irruentibus ventis, impingit in scopulum, & vix nudo corpore seruatus egreditur; In summa, in secularibus negotiis omnibus sæpe sub finem eiusmodi calamitates eueniunt.*

*Cæterùm non idem in tuis contingit certaminibus: sed necesse omnino est, vt qui certauerit, & pietatem seminauerit, multosq; labores tulerit, finem ipsum assequatur. Neq; enim aëris intemperie, neq; ventorum tempestate, laborum mercedes subuerti sinit Deus, sed reposita sunt illa in cœlestibus & indeprædabilib⁹ thesauris.*

Nec mirare, quod tibi non det prius mercedem, quàm labores:

*August. serm. 245. de temp.*

*Si quem enim & tu ipse mercenarium conduxisses, non ante mercedem numerares, quam in opere exerceres. Diceres ei; fac & accipe, non tibi diceret: da & facio. Sic ergo & dominus: tu non fallis mercenarium tuum timens Deum; & te ipse Deus fallet, qui iussit ne fallas mercenarium? tamen tu, quod promiseris potes & non dare. Etsi non est in corde tuo dolus falsitatis, est tamen in fragilitate humana inopia difficultatis. Quid de Deo timeamus, qui nec fallere potest, quia veritas est, & abundat omnibus, qui fecit omnia.*

*Chrys. hom. 16. ad Antioch.*

*Denunciauit Christus Christianis hæc duo, tribulationem & remissionem, labores & coronas, sudores & retributiones: suauia & tristia. Sed tristia quidem vitæ dedit præsenti: suauia verò in futurum distulit, pariter demonstrans quod non decipit homines, & ipsum grauium pondus ordine diminui volens. Decipiens enim*

suauia

*suauia prius proponit: & mox infert tristia. Nam plagiarij, qui puerulos abducunt & furantur, non plagas & verbera, neq; aliud huiusmodi pollicentur; sed placentas & bellaria, & alia huiusmodi, quibus puerilis ætas gaudet; vt his illi allecti in extremum periculum delabantur: At Patres contrarium faciunt; cum ad ludum literarium pueros mittunt, pædagogos præponũt, flagella minantur, timorem incutiunt: & cum priorem sic ætatem transegerint, tunc ipsis in habitu virili constitutis, honores, potentiasq; & delicias, & omnes suas diuitias tradunt, sic Deus quoque facit non plagiariorum, sed Patrum more curã nostri gerens, prius iniecit tristibus tanquam pædagogis & præceptoribus præsenti tradens tribulationi; vt per hæc correcti & instituti postquam tolerantiam omnem, omnemq; disciplinam didicerimus, mox ad perfectionem deducti, regnum cœlorum hæreditate consequamur.*

Oportet ergo oculos in altum tollere, & à rebus præsentibus abducere, vt crucis mercedem intueri possimus. Qua semel visa, facilis fit crux omnis & leuis, imò & *momentanea.* Quam enim crucem non libenter ferat is, qui videt, quantum pręmium cruci sit promissum & propositum? *Si commortui sumus, & conuiuemus, si sustinebimus, & conregnabimus. Quid est sustinebimus? Si tribulationes ferimus & persecutiones: si viam ambulemus angustam. Ergo in vita corruptibili nos ipsos affligamus, vt in immortali requiem assequamur. Sustine tribulationem & dolorem spe futurorũ te pascens: Si vis ad cœlestem peruenire ciuitatem, ingredere viam illuc ferentem, non illuc perducit remissionis via, sed tribulationis; illa lata, hæc angusta, hanc perambulemus, vt vitam assequamur æternam.* *Chrys. hom. 63. ad Antioch.* *Idem hom. 66. ad Antioch.*

*Flagellas & saluas*, ait ad Dominum Tobias. Si amas posterius, cur oderis prius? Et si intueris illud, cur non & hoc? Crucifixis tegebantur oculi, ne aspicerent vulnera, & ex vulneribus vbertim manantem sanguinem: Tege, & claude tu quoque tuos ad præsentia, & aperi ad futura; & eo leuiora videbuntur tibi præsentia. *Tob. 13.*

*Si oporutit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam;* Christum, inquã naturalem Dei filium, beatum secundum animam à primo conceptionis momento, quomodo tu tibi cœli sedem & honorem absque cruce & afflictione promittis? Carcer, vincula, & id genus alia cruciamenta pepererunt Iosepho principatum Aegypti, & tu cœleste regnũ sine ærumnis exspectas? Quid refugis crucem; si cupis cœli sedem & quietem? *Dic, oro, si quis te ad regnum terrestre & imperium vocaret; atque ante ingressum eius ciuitatis, in qua coronandus esses, in stabulum diuertere necesse esset, vbi luti ac fimi plurimũ, viatorumq; tumultus esset: & latronum perturbatio, summaq; pressura & angustia: num ad illa tristia cogitatione conuerteteris? an non illa omnia, quasi nihil essent, gaudio & spe regni contemneres? Perquã igitur ineptum & indignum est, terrenis mortalibusq; rebus potiturum, nihil his quæ interim inciderint contrahi; æterni autem regni spe elatum & erectum, atque ad cœlos accersitum per singula, quæ in diuersorio contingunt tristia, decidere atque perturbari.* *Luc. 24.* *Chrys. lib. 3. de prouid.*

Quam

Naz. orat. 2. in Pascha.

Quam ob rem cùm tanti fructus Cruci sint propositi, *sanguinem sanguine ornemus, Crucem alacres conscendamus. dulces sunt claui, tametsi grauem doloris sensum adferant. præstat cum Christo & pro Christo pati, quàm delitiis voluptatibusq; cum aliis indulgere. Si Simon Cyreneus sis, crucem tolle & sequere. Si vt latro simul cruci affixus fueris, probo & candido animo Deum agnosce; cumq; ille propter te tuumq; peccatum cum iniquis reputatus fuerit; tu propter illum iustus efficere: adora tua causa pendentem, pendens & ipse. Lucri aliquid ex ipso quoq; scelere collige, morte salutem eme: cum Iesu paradisum ingredere, vt intelligas quibus bonis excideris, bona illa intuere, murmuratorem cum sua blasphemia foris mori sine.*

Phil. 1.

Deniq; in cruce crebrò repete illud Apostoli: *Scio quia hoc mihi proueniet ad salutem, secundum exspectationem & spem meam, quia in nullo confundar, sed in omni fiducia, sicut semper & nunc magnificabitur Christus in corpore meo, siue per vitam, siue per mortem.* Quiq; iam *seminas in lachrymis, in exultatione messurum* te spera, & multò quidem copiosius, quàm seminaueris. *Nam plus nos accipere in passionis & crucis mercede, quàm quod hic sustinemus in ipsa passione, probat Apostolus Paulus, qui dignatione diuina, vsque in tertium cœlum, atque in paradisum raptus, audisse se inenarrabilia verba testatur, qui oculata fide Iesum Dominum vidisse se gloriatur, qui id, quod & didicit, & vidit, maiori conscientiæ veritate profitetur. Non sunt, inquit, condignæ passiones huius temporis ad superuenturam claritatem, quæ reuelabitur in nobis.*

Cypr. lib. de exhort. Martyr. cap. 12.

*Quis ergo non omnibus viribus elaboret ad tantam claritatem peruenire, vt amicus Dei fiat, vt cum Christo statim gaudeat, vt post tormenta & supplicia terrena, præmia diuina percipiat? Si militibus sæcularibus gloriosum est, vt hoste deuicto redeant in patriam triumphantes: quantò potior & maior est gloria, victo diabolo ad paradisum triumphantem redire, & vnde Adam peccator eiectus est, illuc prostrato eo, qui antè deiecerat, trophæa victricia reportare; offerre Deo acceptissimum munus; incorruptam fidem & virtutem mentis incolumem; laudem deuotionis illustrem: comitari eum, cùm venire cœperit vindictam de inimicis recepturus; lateri eius assistere, cum sederit iudicaturus; cohæredem Christi fieri, Angelis adæquari, cum Patriarchis, cum Apostolis, cum Prophetis, cœlestis regni possessione lætari? Has cogitationes* quæ crux, *quæ persecutio potest vincere; quæ possunt tormenta superare? Durat fortis & stabilis religiosis meditationibus fundata mens: & aduersus omnes Diaboli terrores, & minas mundi, animus immobilis perstat; quem futurorum fides certa & solida corroborat.*

FINIS LIBRI QVINTI.

IACOBI

# IACOBI DE VITRIACO S. R. E. CARDINALIS, EPISCOPI ACCONENSIS, ET SEDIS APOSTOLICÆ IN TERRA SANCTA LEGATI

## Liber Tertius


# HISTORIAE ORIENTALIS, QVI EST DE CAPTA A CHRISTIANO EXERCITV MVNITISSIMA VRBE DAMIATA IN ÆGYPTO.

*Nunc primùm*

EX BIBLIOTHECA BAVARICA IN LVCEM EDITVS.

# LECTORI.

EDITI *sunt, amice Lector, Duaci in Belgio, anno Redemptoris* M. D. XCVII. *Studio & opera* D. FRANCISCI MOSCHI, *libri duo* IACOBI DE VITRIACO *primùm Acconensis, deinde Tusculani Episcopi, S* R. E. *Cardinalis, sedisq; Apostolicæ in terra sancta, in Imperio, in Francia olim legati; quorum prior orientalis siue Hierosolymitanæ; Alter occidentalis historiæ nomine inscribitur. Sed Vitriacum tres huius Historiæ libros confecisse, patet ex præfatione Vitriaci, quam reperit in Exemplari quodam antiquo* V. C. D. HENRICVS CANISIVS: *nec reperit solùm, sed & ad calcem sexti Tomi Antiquæ lectionis publicauit. Eandem & nos postea in manu scripto Codice Bibliothecæ Bauariæ inuenimus, vnà cum tertio historiæ libro, quem statim exscribendum, & hoc loco euulgandum curauimus, tum vt aliquando siue à* FRANCISCO MOSCHO, *siue ab alio quopiam Vitriaci historia integra & omnibus partibus consummata edi queat, nam & luce & lectione per quam digna est; tum vt illustraremus ea, quæ Tomo tertio de S. Cruce lib. 2. c. 29. de expeditione Cruciata aduersus Damiatam, munitissimum Ægypti propugnaculum, scripsimus. Accipe ergo beneuole lector, hoc operis nostri de sancta Cruce additamentum, & in eo etiam vim & virtutem sanctæ Crucis agnosce, & agnitam religiosè venerare. Codex quo vsus sum, vtcunque mendosus fuit. Qui in emendatiorem inciderit, menda emendet ac eliminet.*




# IACOBI DE VITRIACO

## HISTORIÆ ORIENTALIS Liber Tertius:

## QVI POTISSIMVM DE CAPTA A CRVCE SIGNATIS Damiata agit.



OMINVS Papa Innocentius bonæ memoriæ, volens ſcire mores Turcarum & vires Sarracenorum, contra quos Chriſtiani exercitus præparabant: mãdauit Patriarchæ Hieroſolymitano, vt inquiſita diligentius veritate, tam detentores nominatim, quàm terras eorum, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſcriptis ſuis fideliter exponere procuraret. Quod quidam in diebus iſtis per quaſdam naues redeuntes de partibus terræ ſanctæ, Domino Papæ detentores & fines eorum expoſuerunt certiſsimè in hunc modum. *Innocent. III.*

Duo fuerunt fratres, Saladinus & Saffadinus. Mortuo Saladino, qui vndecim habuit filios, regnauit Saffadinus dictus, qui occidit omnes nepotes ſuos, præter vnum, qui vocatur Naradinus, qui tenet terram illam videlicet Halapiam, cum omnibus confinibus ſuis, ciuitatibus, villis, caſtris & aliis munitionibus, quæ ſunt plures ducentis.

Saffadinus habuit filios quindecim, de quibus hæredauit ſeptem: videlicet Malealim, qui primus eſt & maior natu omnibus, & tenet Alexandriam, Babyloniam & Kayron, Damiatam & totam terram Aegypti in meridie & ſeptentrione. Mortuo autem patre ſuo Saffadino, de generali conſtitutione patris & fratrum fuit, quod ipſe eſſet Dominus omnium & totius terræ.

Secundus est filius nomine Coradinus, qui habet Damascum & sanctam Hierusalem, & totam terram quæ fuit Christianorum, quæ sunt inter ciuitates, munitiones & castra, plures trecentis, præter villas, qui modo in mense Ianuario fecit treugas, vsque ad magnum Passagium, cum Patriarcha, & aliis magistris de Hospitali & Templo.

Tertius filius est nomine Melchiphais, id est, grandis; qui tenet terram quæ dicitur *Gemella*, cum tota illa prouincia in qua sunt CCCC. inter ciuitates, castra, villas & munitiones.

Quartus filius est nomine Melchisenaphat, id est, *magnus Dominus*. qui tenet terram Asiæ cum omni potentatu suo, in quo sunt plures sexcentis inter ciuitates, munitiones & castra.

Quintus filius est nomine Melchisaphat, qui tenet regnum terræ de Sarco, vbi interfectus fuit Abel à Cayn fratre suo. In quo regno sunt octingentæ inter ciuitates & munitiones & castra plana.

Sextus filius est nomine Machomet, qui tenet regnum de Baudas, vbi est Papa Sarracenorum, qui vocatur Kabatus siue Caliphas; qui colitur, adoratur, & tenetur in lege eorum tanquam Romanus Episcopus apud nos, qui non potest videri nisi bis in mense, quando hic cum suis vadit ad Machomet Deum Sarracenorum. Et inclinato capite & facta oratione in lege eorum antequam exeant de templo, splendidè comedunt & bibunt, & sic reuertitur Caliphas coronatus ad palatium suum. Iste Deus Machomet visitatur quotidie & adoratur, sicut visitatur & adoratur Dominus Papa. In ista ciuitate de Baudas iste Machomet est Deus, & Caliphas est Papa, quæ ciuitas est caput totius gentis & legis Sarracenorum, vt Roma est in populo Christiano.

Septimus filius est nomine Saluphat: qui non habet specialem terram, sed hic est cum patre suo Saffadino. Iste portat vexillum coram eo, quando equitat in expeditione. Cui vnusquisque fratrum singulis annis pro certo redditu dignitatis suæ transmittit mille Sarracenos & duos * dextrarios bene præparatos. Saffadinus pater quādo equitat & visitat filios suos prædictos, incedit velato capite vno * samito rubeo, cui omnes filij inclinato capite ad terram exeunt ei obuiam per septem milliaria, & osculantur pedes ipsius, & tunc ipse super equum recipit eos ad osculum & ad manum, & cum vnoquoque moratur per triduum semel in anno, & sic à primo vnumquemque vsque ad septimum filium visitat memoratos, & quilibet omni anno pro certo tributo soluit ei viginti mille * Sarracenos in fisco patris, & pater dat omni anno vnicuique filiorum tantum auri, vnde

* equos

* samet

* Sarracenatos genus moneta.

vnde posit fieri vnus anulus, in quo sculpitur imago ipsius. Isti volunt libenter reddere terram sanctam in manus Domini Papæ ad opus Christianorum, ita vt certi sint & securi de tota alia quam detinet à populo Christiano, singulis annis sub certo tributo Patriarchę Hierosolymitano persoluendo, & dabunt cautelam Romanæ Ecclesiæ. Deinde non amplius impedient terram sanctam, in qua Dominus noster suis pedibus ambulauit.

Prædictus Saffadinus de more prædecessorum suorum faciem suam non ostendit omnibus, nisi decies in anno, quia semper est velatus cum nuncios recipit Christianorum, Veneticorum & aliorum regum vel Principum totius orbis. Primo die recipit ipsos in prima scala de Cayron, vbi semper est status eius. Tunc recipit litteras, & non audit nuncios. In secundo die audiuntur in secunda scala, astantibus centum Turcis, seruis suis benè armatis. Tertio die per Turquigentem, id est, Interpretem, dat responsum nunciis secundum modum causæ, & post triduum possunt ad ipsum accessum habere. Saffadinus quindecim vxores habet in lege sua, quæ omnes sunt in vno palatio simul, & cum singulis dormit. Si verò aliqua illarum cōcipit & ex eo filium habet, ipse vadit & dormit cum ea aliis videntibus. Illam, quæ non habet ex eo filium, ad se, quando vult, per nuncios suos in * vesperis horis facit vocari, & detinet eam per noctem & diem, & sic de singulis facit, & statim quando aliqua istarum quindecim moritur, introducit aliam inter alias de consuetudine legis suæ. Quinquagenarius est Saffadinus, potens in armis & gente, eloquens valde in lingua sua. Muniuit ipse totam terram suam, & filiorum suorum, & exercitus congregat infinitos: sed in omnibus vult cum suis in prædictum modum obedire Apostolicæ sedi.

* Vespertinis.

Octo filij Saffadini de constitutione sic viuunt. Duo ex ipsis custodiunt sepulchrum Domini cum quinque Latinis. Quibus duobus fratribus quicquid datur vel offertur sepulchro, peruenit, & ipsi diuidunt inter se ęqualiter. & valet illud frequenter viginti mille Sarracenatos. Quatuor habent redditus de calice, qui omni anno in mense Augusto irrigat totam terrā AEgypti. Et plus valent isti redditus, quàm quadraginta mille Sarracenati. Duo alij fratres minores, quotidiè sunt ante Deū suum Machomet pro Castitate, & totū quod datur ad pedes, habent ipsi, & isti redditus valent plus quàm triginta mille Sarracenati.

Hierusalem gloriosa metropolis Iudæę in medio mundi sita est. Cui ab oriente adiacet Arabia; à Meridie, AEgyptus; à Septentrione, mare Cyprium; ab occidente, mare magnum. Ab Hierusalem

vſque Acchon, ſunt tres diętæ, & ab Acchon vſque ad Damaſcum ſunt quatuor diętæ. Damaſcus eſt optima ciuitas in Idumea, duplici muro, & turribus pluribus decorata, viridariis & pomeriis exornata, ex omni latere habens irriguum intra & extra pro voluntate inhabitantium, & ſunt in ea plures Chriſtianorum Eccleſiæ.

*Eadem Arnoldus Lubecenſis in ſuo Chronico & ex illo Card. Baronius Tom. X Annal. anno 870. licet recentiores quidam peregrini Hieroſolymitani hoc in dubium vocent.*

A Damaſco ad quatuor milliaria eſt quidam locus in montibus ſitus, in quo eſt Eccleſia Beatę Virginis Mariæ in rupe ædificata, in qua ſunt duodecim moniales & octo monachi. Hic locus Sardinia appellatur. In hac Eccleſia tabula eſt lapidea ad menſuram vnius vlnæ longa, & lata ad modum dimidiæ vlnæ. In hac tabula eſt depicta imago Virginis Mariæ. Hæc imago ſuper lignum fuit incarnata, effundens oleum odoriferum ſuper odorem Libani; quo liniti diuerſis languoribus curati ſunt, & oleum nunquam minuitur quantumcunque inde accipitur. Oleum hoc à religioſo quodam Chriſtiano ſeruatur, augmentatur pro quacunque infirmitate vel re ipſe voluerit: ſi cum deuotione & fide ſincera ſumptum fuerit, pro honore Virginis perpetuæ cum miſſarum ſolennitatibus, impetratur indubitanter. Ad hunc locum in Aſſumptione & natiuitate Beatæ Virginis Mariæ omnes Sarraceni illius prouinciæ cauſa orandi confluunt, & ſuas cerimonias & oblationes offerunt cum magna deuotione. Hæc tabula Conſtantinopoli facta fuit, & depicta, & à quodam Patriarcha Hieroſolymitano in Hieruſalem tranſlata. Hanc tabulam petiit quædam Abbatiſſa prædicti loci, & impetrauit, & ſecum detulit.

Et nota quod in terminis Damaſci & Antiochiæ eſt quoddam genus Sarracenorum, quod vulgari nomine *Hereſim* appellant, & alio nomine *Veteres montani* vocantur. Hoc genus hominum ſine lege viuit, carnibus porcinis veſcitur contra legem Sarracenorum, & qualibet muliere vtitur indifferenter, ſcilicet ſua ſorore ſiue alia. In montibus habitat & in firmiſsimis locis recipitur. Terra ipſius nõ eſt multum fertilis: De peculio non habet. Non niſi vnum ſolum Dominum habet, qui ab omnibus Sarracenis & etiam Chriſtianis propinquis & remotis multum timetur, quia miro modo facit illos occidere. Habet dictus Dominus plura palatia altis muris clauſa, ita quod non niſi per paruum oſtium hominibus diligentiſsimè pateat introitus. In his palatiis filios ruſticorum ſuorum facit nutriri à primis cunabulis, & diuerſis linguis inſtrui à magiſtris ſibi deputatis. A primæua ætate eis hoc prædicatur, & docetur, vt Domino illius terræ obediant, quod ſi fecerint, gaudia Paradiſi con-

conferantur eis. Et nota quod ex quo in Palatiis includuntur, præter Doctores & magistros suos, neminem vident, quousque à principe ad aliquem interficiendum euocantur. Tunc in præsentia principis constituti interrogantur, si velint ei obedire, vt conferat eis paradisum. Illi qui sunt instructi, dat vnicuique cultellum vnum acutum, & eas emittit ad interficiendum quemcunque velit.

Nota quod Damascum habitauit Edom. Vnde Propheta: *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosza?* &c. Hinc Abel interfectus est à Cain fratre suo. *Isaia 63.*

Prope Idumeam est quædam terra quæ Phœnicia appellatur, id est, Baruth. In Phœnicia est Tyrus, Acchon, Sarepta, Berythus, Biblium & Agaby, mons Libani. In Berytho fuit quædam imago Domini, quæ non multum post passionem eius ad ignominiam ipsius Domini nostri IESV Christi à quibusdam Iudæis ridiculosè est crucifixa; ex cuius latere statim exiuit sanguis & aqua. Vnde & multi Iudæorum in vero crucifixo crediderunt. Quicunque sanguine illo liniebatur, quacunque grauabatur infirmitate sanus fiebat. *Lege cap. 92. lib. 1. de S. Cruce.*

In Sydone nata est Dido. Tyrus nobilissima est Phœnicis Metropolis, quæ celat originem * tumultum. Hæc Christum maritima perambulantem noluit recipere. Hæc vt diuina testatur * propagina multos martyres Deo reddidit. Apud Sareptam Helias filium viduæ suscitauit. Libanus mons est Phœnicis, ad cuius radices Farfar & Albana fluuij oriuntur. Montes Libani & planities Archados transfluit Albana, copulans se mari magno, in illis partibus, in quibus beatus Eustatius vxore priuatus & filiis recessit desolatus. Farfar per Syriam tendit in Antiochiam labens secus muros ciuitatis, decem milliariis ab eo mari mediterraneo se commendat. In Antiochia sedit Beatus Petrus Apostolus septem annis infula decoratus. ** forte tumultuum. * forte, pagina. * Abana. 4. Reg. 5.*

Ad radices Libani oriuntur duo fontes *Ior* & *Dan*, ex quibus sub montibus Gelboë Iordanis conficitur. In quo Christus à Ioanne Baptista tribus miliaribus à Hiericho baptizari voluit: & vox Patris super eum intonuit dicens: *Hic est filius meus dilectus.* Etenim hic Iordanis diuidit Idumæam, & Galilæam, & terram Hierusalem. Ab Acchon vsque Nazareth sunt septem milliaria, & septem vsque ad montem Thabor, & quatuor vsque ad montem Carmeli, qui & Cayphas dicitur, & septem vsque ad Castellum filij DEI, quod prius & nunc *districtum* vocabatur. A di- *Matth. 3.*

A districto vsque ad Cæsaream sunt septem miliaria. A Cæsarea vsque Ioppen est vna dięta. A Ioppe vsque Ascalonam sunt septem miliaria.

Est autem alia ciuitas iuxta mare sita nomine Gaza, vbi Sampson confregit portas & secum detulit. Istæ tres ciuitates supra mare sunt, nulli inhabitant eas, neque Christiani, neque Pagani, nisi Cæsaream, vbi modo Christiani de nouo ædificauerunt optimum Castrum. Item, à Hierusalem vsque ad montem Synai sunt duodecim dietę per desertum. Est autem desertum terra sabulosa & inculta, nil germinans, præter arbusta humillima, & terra illa est distemperata, quia in hyeme est nimis frigida, & in æstate nimis calida. Transitus eius difficilis est & incognitus, & vix ab aliquo scitur nisi ab Idumæis, qui sæpius illum locum frequentant. Nota quod desertum illud nutrit Leones, struthiones, porcos, boues siluestres & lepores: aqua inuenitur ibi rarissima, nisi in quartum vel quintum diem. Item mare tangit desertum in vno latere, & ex alio mare rubrum. Item in deserto sunt septuagintę duæ palmæ, vbi Moyses percusso silice eduxit aquas. Syna mons in Arabia, & terminat AEgyptum.

AEgyptus terra plana est & calidissima, raro habens pluuiam; sed irrigatur à Gyon, qui & Nilus dicitur, septem habens brachia per AEgyptum decurrentia. Est iste fluuius maior Rheno; in Paradiso oritur, & abundat piscibus non multum valentibus. Hic fluuius feras nutrit indomitas sub aqua latitantes. Attamen sæpe egrediuntur ad Solem, & mordent & deuorant omnia animalia, quæ incauta sunt iuxta mare. Alit enim Crocodilos infinitos. Hoc genus animalis ad modum lacertę formatum est, habens quatuor pedes, crura curta, & grossa, & caput quasi crose, magnos habet dentes. Ad solem egreditur quandoque, & si qua animalia vel homines inuenerit, mactat si potest, & comedit in momento. Incipit autem Nilus excrescere in medio Iunio vsque ad festum Exaltationis Sanctæ Crucis, & exinde decrescit vsque ad Epiphaniam Domini. Et nota quod quando diu in crescendo est, vbicunque post recessum aquæ terra apparet, rusticus semen proiicit, & in Martio metit. Terra ista non producit alium bladum, nisi hordeum & triticum pulcherrimum.

* intra.

In hac terra vbi maior pars Nili recipitur * infra mare, ibi inter ripas Nili & littus maris est sita Damiata ciuitas. Hæc est pulcherrima & firmissima valde, & infinitis turribus exterius & interius decorata, habens versus fluuium duplicem murum, versus siccum triplicem murum. Nota quod ante Damiatam in medio Nilo erecta est turris fortissima. In qua erant septuaginta Cameræ factæ ad arcum

cum

cum volutum, & in vnaquaque earum erant tres archeriæ. A cuius turris pede maximæ cathenæ protenduntur ad muros ciuitatis, ne pateat aditus nauigio intrantibus vel egredientibus AEgyptum, nisi de licentia Soldani. Hac enim via exeunt naues oneratæ ab India venientes Syriam, Armeniam, Antiochiam, Græciam & Cyprum. Ab hoc transitu Rex Babyloniæ recipit infinitos redditus. Hæc ciuitas quasi caput & clauis est totius AEgypti, præcellit enim in munitione Babyloniam, Alexandriam, Thanasium, & cunctas ciuitates AEgypti.

Ab hac ciuitate sunt octo diętæ vsque ad montem Syna, vbi requiescit corpus beatæ Catharinæ Virginis. In magna veneratione tenent Sarraceni locum illum, & monachos eiusdem loci. Item à Damiata sunt septem miliaria vsque Thanasium, & aliud brachium Nili intrat mare ante Thanasium. Item à Damiata ad tres diętas est maxima ciuitas super Nilum, quæ noua Babylonia dicitur. Et notandum est quod ad tertiam partem miliarij ab hac ciuitate, fuit quondam egregia ciuitas & munitissima, quæ *Cayer* vocatur, in qua adhuc sedes est regalis & palatia principum. Hæc & noua Babylonia ad mandatum Soldani vno muro clausæ sunt, & sunt factæ vna eademque ciuitas. In hoc loco Sarraceni habitant, Iudæi, Christiani; & quælibet natio suam legem colit. Circa hanc ciuitatem sunt optima pomeria & viridaria multa. Est etiam ab hac ciuitate ad vnum miliarium hortus Balsami: habens in quantitate ferè dimidium mansum. Et est lignum Balsami, vt lignum vitis triennium, folium paruum sicuti trifolium, tempore maturitatis circa finem Maij scinditur cortex ligni Balsami secundũ quod in vasis vitreis colligitur, & per sex menses in stercore columbino reconditur & decoquitur, & desiccatur, postea liquor à fece separatur.

Hic hortus habet fontem vnde irrigatur, quia ab aqua alia non potest irrigari. Et nota quod nusquam terrarum nisi in hoc loco Balsamus crescit. Vsque ad hunc fontem Beata Virgo MARIA cum Saluatore nostro, Herode persequente fugit, & ibi per aliquot tempus latuit, lauans in hunc fontem pannos pueri, & vsque in hodiernum diem fons iste à Sarracenis in maxima veneratione habetur. In Epiphania Domini maxima multitudo Sarracenorum de omni confinio illic confluit, & se lauat in prædicta aqua fontis.

Item apud Cayer est arbor palmæ antiquissima & alta, quæ se Beatæ Mariæ Virgini inclinauit, quando cum Saluatore illic transiuit; & ab ea dactylos collegit, & iterum erigebatur. Quam Sarra-

ceni inuidentes tunc temporis ſucciderunt. Quæ proxima nocte ſequenti conſolidata eſt & erecta, & vſque ad hodiernum diem ſucciſiones apparent. Hanc quoque arborem Sarraceni venerantur & honorant.

Et nota quod tres fuerint Babyloniæ. Prima fuit ſuper fluuium Cobar, vbi regnauit Nabuchodonoſer Rex Babyloniæ, in qua fuit turris Babel, & hæc deſerta dicitur, & diſtat à Babylonia per triginta diætas. Fuit & alia in AEgypto, ſita ſuper Nilum, in qua regnauit Pharao, diſtans à noua Babylonia per quinque miliaria, & hæc quoque deſtructa eſt, & eſt noua Babylonia, de qua ſupra dictum eſt. Et nota, quod à noua Babylonia vſque ad Alexandriam ſunt tres diætæ per terram & ſex per aquam. Nilus tamen non deſcendit in Alexandriam ſecus muros ciuitatis, ſed aliquantulum eſt remotus. Alexandria eſt egregia ciuitas, muris & ædificiis & vniuerſa hominum multitudine decorata, ſub Rege Babyloniæ conſtituta. In eius porta turris altiſsima eſt erecta, vt nauigantibus portum indicet, quia AEgyptus terra plana eſt, vnde de nocte ignis in ea ponitur. Aquam dulcem hæc ciuitas non habet, niſi per conductum ſumptam. Nilus vno tempore anni in ciſternis ſuis colligitur. In hac vrbe ſunt plures Eccleſiæ Chriſtianorum : inter quas eſt Eccleſia ſancti Marci Euangeliſtæ extra muros nouæ ciuitatis ſupra mare ſita. Antiquitus enim hæc vrbs vſque ad mare protendebatur, ſed modo non ſic eſt.

Eſt etiam ibi quędam Capella, in qua Marcus Euangeliſta Euangelium ſcripſit, & martyrium ſumpſit & locum ſepulturæ. Poſtea à Venetis ibidem eſt furatum corpus eius. In hac Eccleſia Patriarcha eligitur & conſecratur.

Et nota quod per totam AEgyptum omne genus leguminum à feſto ſancti Martini vſque ad Martium recens colligitur. Similiter fructus hortorum & herbarum. Oues & capræ bis pariunt in anno, & ad minus geminum fructum proferunt, certum datur pro eis tributum. Item in AEgypto nutriuntur pulli in furno ſimul mille, vel duo millia per ignem abſque gallina, & vſus iſte Regis eſt. Et notandum quod Sarraceni credunt in DEVM Saluatorem. Credunt & Beatam Mariam virginem fuiſſe ante partum, & filium eius Prophetam eſſe dicunt, & à Deo cum corpore & anima aſſumptum fuiſſe in cælum. Sed negant eum fuiſſe Filium Dei, & baptizatum, & ſepultum, & mortuum. Machomet Prophetam eſſe dicunt, & eorum legiſlatorem, quem etiam frequentare ſolent in peregrinationibus ſuis. Dicunt etiam quod vnicuique Sarraceno liceat ſeptem vxores duce-

ducere simul, & vnicuique earum speciales expensas à contractu nuptiarum prouidere. Similiter quotquot habere poterit sclauas vel seruas, cum eis licenter peccat. Quarum seruarum, si qua conceperit, libera erit, & vnumquemque filiorum suorum siue de libera, siue de ancilla hæredem sibi elegerit, facere potest. Multi tamen Sarraceni adeo religiosi sunt, qui non nisi vnam habent vxorem.

*Lætetur mons Syon & exultent filiæ Iudæ, propter Iudicia tua Domine. Confiteantur Domino quoniam magnificè fecit*, scribentes & prædicantes mirabilia Domini; qui mandauit sanctificatis suis. & vocauit seruos suos in ira sua, exultantes non in propriis viribus, non in operibus Iustitiæ quæ fecerunt ipsi, sed in gloria Maiestatis eius, qui est in omnibus benedictus in sæcula, Amen. *Psal. 47.* *Isaia 12.* *Tit. 3.* *Rom. 1.*

Terra de qua oriebatur panis, qui de cælo descendit, in loco Natiuitatis suæ ferro succisa est in munitionibus multis, quas inhabitant perfidi. Locus Saphiri lapides terræ, quia fuit possessio Patriarcharum, alumna Prophetarum, doctrinæ Apostolorum, mater fidei. Glebæ illius aurum in his, qui sibi charitate adhæserunt, & religionis custodes nunquam in ea defuerunt. Quæ quondam de libera, post multos gemitus & longa suspiria iam exultat in spe, & de bonitate liberatoris sui confisa, gaudens gaudebit remota virga peccatorum de sorte iustorum. Sanè quæ vidimus, & audiuimus, & veraciter intelleximus, scribimus omnibus orthodoxis absque falsitatis ammistione, vt quicquid est vsque ad virtutis fastigium assurgat in laudem Dei & in gratiarum actiones.

Anno gratiæ Millesimo ducentesimo decimo septimo: Expirante treuga Christianorum & Agarenorum in primo passagio generali post Concilium Lateranense: congregatus est exercitus Domini in Acchon copiosus cum tribus regibus, Hierusalem, Hungariæ, Cypri. Qui mystica munera secum non deferentes, parum egerunt memoria dignum. Affuit Dux Austriæ vulgariter *Ostriche*, & Dux Bauariæ cum multis comitibus & viris Generosis, ac militia magna regni Theutonici. Aderant etiam Episcopi peregrini, Archiepiscopus Nicosiensis,Ioriensis, Hungariæ, Baiocensis, Sicensis, Monasteriensis, & Traiectensis, & cum eis vir potens & nobilis Dominus Gualterus de Auesnes, qui reuersus in passagio vernali quadraginta milites reliquit in seruitio terræ sanctæ, quibus prouidit sumptus per annum. Bauari insolenter & contra legem Christianorum se habuerunt, hortos & pomeria Christianorum destruendo. Nec his cõtenti Christianos occiderunt: eiicientes de domibus religiosos. Dux Austriæ sicut princeps Catholicus per omnia Christo laudabiliter

militauit. Patriarcha Hierosolymitanus cum magna humilitate Cleri & populi tollens reuerenter mirificæ sanctæ Crucis lignum sexta feria post festum omnium Sanctorum profectus est ab Acchon in castra Domini, quæ præcesserunt ad Recordanam. Hic autem dulce lignum post terram sanctam perditam reseruatum fuit ad hæc tempora.

Imminente siquidem conflictu Sarracenorum cum Christianis, tempore Saladini, sicut à senioribus accepimus: Crux secta fuit, pars ad prælium delata, & ibidem perdita, pars reseruata, quæ nunc exhibetur. Cum tali vexillo ordinatis aciebus processimus per planum Fabæ ad fontem Trebaniæ, multum eodem die laborantes, & præmissis exploratoribus, videntes puluerem ab aduersariis concitari: incerti fuimus, an contra nos, an fugiendo properarent. Sequenti igitur die per montes Gelboë, quos habuimus ad dextram, & paludem ad sinistram, profecti sumus Bethaniam, vbi castra fixerat aduersarius. Sed metuens tam ordinatè procedentis & tam copiosi Dei viuentis exercitus aduentum, tentoria tollens & fugiens, terram vastandam militibus Christi reliquit. Inde transeuntes Iordanem in vigilia sancti Martini corpora nostra lauimus pacificè in eo, & quieuimus per biduum ibidem copiam victualium & pabuli reperientes. Deinde super littus maris Galilæi tres mansiones fecimus, peragrantes loca in quibus Saluator noster mirabilia dignatus operari corporali præsentia cum hominibus conuersatus est. Aspeximus Bethsaidam ciuitatem Andreæ & Petri, tunc ad Casale modicum redactam. Demonstrata sunt loca, vbi Christus discipulos vocauit, & vbi supra mare siccis pedibus ambulauit, turbas pauit in deserto, montem ascendit orare, & locus, vbi cum discipulis suis post resurrectionem manducauit, & tunc per Caphernaum infirmos nostros pauperes in iumentis portantes, reuersi sumus in Acchon.

In secundo equitatu adiuimus pedem montis Thabor. Primo aquarum inopiam, postmodum per defossionem copiam inuenientes, desperabant capitanei nostri de montis ascensu, donec puero Sarracenico * mitti ante castrum fore comprehensibile, consilium inierunt.

* *fortè, misso.*

Prima verò Dominica Aduentus cum legeretur Euangelium, *ite in castellũ quod contra vos est*, Patriarcha præcessit cum signo Crucis, Episcopis & Clero per decliuum montis orantibus & psallentibus, licet mons præruptus sit vndiq; & excelsus, & quasi impossibilis ad ascendendũ extra semitam strictam: milites tamen & satellites, equites & pedi-

*Matth. 21.*

pedites viriliter ascenderunt. Ioannes Rex Hierusalem cum militia Domini strauit castellanum vnum,& admiraldum vnum primo impetu. Defensores castri qui intrepidi extra portas ad defendendum montem nostris occurrerant, in fugam conuersi sunt & stuporem. Sed Rex vt imponitur ei, quantum meruit ascendendo, tantum demeruit descendendo. Inclusis enim hostibus infra castrum, turpiter reges Hierusalem & Cypri, Magister Hospitalis, & alij Barones in partem montis deliberaturi, quid facerent secesserunt. Nobilis Dux Austriæ non interfuit huic deliberationi, quia ex altera parte montis incredulos impugnabat, & ad nos, qui in summitate montis eramus, ascendere de facili non valebat, nec Magister Templi, qui remanserat infirmus in Acchon. Cum verò Magistro Hospitalis fratre G. de Monte acuto consulenti, quæ pars exercitus ad custodienda castra rediret, & quæ pars in monte castrum obsideret, ad quod libens & paratus erat,quia de facili videbatur comprehensibile & reddibile breui tempore cum sine offendiculo ad insultum necessaria possent erigere: contradixerunt alij & maximè comes Tripolis; dicens esse in periculo exercitum diuisum. Qua verò fide hoc consuluerit comes, & alij assenserunt: Deus nouit,& sic impedita obsidione, ipsa Dominica Rex & Comes descendentes, & alios descendere facientes per indultum animaduerterunt incredulos. Sed quo Dei iudicio vel principum consilio exercitus Dei descenderit & in glorius recesserit, ignoramus: hoc tamen scientes quod diuinorum iudiciorum abyssum humanæ mentis oculus penetrare non potest. Multi autem Templarij,& Hospitalarij,& quidam seculares in secundo montis ascẽsu, quando castrẽses vires receperunt, vulnerati sunt, & pauci mortui. Credimus autem Christum Dominum sibi soli reseruasse huius triumphum, qui cum paucis discipulis ipsum ascendit, gloriam suæ resurrectionis ibidem demonstrando.

Porro in primo & secundo equitatu maximam multitudinem virorum captiuorum, & mulierum, & paruulorum secum adduxerunt. Episcopus autem Acchon paruulos, quos potuit obtinere prece,vel pretio baptizauit,& distribuens inter religiosas mulieres,literis applicare disposuit.

In tertio equitatu, cui Patriarcha cum signo Crucis & sacri Pontifices prædicti non interfuerunt, multa damna & incommoda tum per latrunculos,tum hyemis asperitate sustinuimus,præsertim in Vigilia Natiuitatis Domini per viam, vbi multi pauperes & iumẽta frigore perierunt. Ac ipsa nocte tempestatẽ terrestrem ventis & pluuiis commotam experti sumus grauissimam in finibus Tyri & Sidonis iuxta Sareptam. p 3 Post-

Posthæc exercitus Domini quadrifariam diuisus est. Reges Hungariæ & Cypri Tripolim profecti sunt, vbi Rex Cypri adolescentulus diem clausit extremum. Rex Hungariæ breui tempore commoratus cum magno damno terræ sanctæ recessit. Peregrinos & galeas, dextrarios & iumenta cum armis secum traxit, multum admonitus ne sic recederet, tandē excommunicatus cum sua sequela contumax abiit. Alia pars peregrinorum & timidorum, & eorum, qui procumbentes ad terram ore pleno de abundantia temporalium biberunt, remansit in Acchon. Rex verò Dei Hierusalem & Dux Austriæ cum Hospitali S. Ioannis & Episcopis supradictis & quibusdam aliis castrum in Cæsarea Palestinæ breui tempore viriliter & constanter firmauerunt, licet hostis aduentus frequenter nunciaretur, per hoc castrum, Deo dante, ciuitas ipsa recuperabitur. In Basilica Principis Apostolorum festum Purificationis cum sex Episcopis solenniter celebrauit. Templarij verò cum Gualtero de Auesnes & paucis auxiliatoribus peregrinis, & Hospitali de domo Theutonicorum, castrum peregrinorum, quod olim *destrictum* appellabatur, firmare cœperunt: quod situm est in diœcesi Cæsariensi inter Cayphas & Cæsaream, promontorium amplum & latum mari imminet, munitum naturaliter scopulis.

Situs loci talis est. Ad Aquilonem, Occidentem & Austrum. Versus Orientem est turris firma & dudum à Templariis ædificata & possessa tam guerræ, quàm teugarum tempore. Turris autem ibidem posita fuit olim propter latrunculos, qui in via stricta peregrinis ascendentibus in Hierusalem & descendentibus ab ea insidiabantur. Hanc longè distantem à mari, quæ propter viam strictam *districtum* appellatur, toto ferè tempore, quo Cæsariense castrum firmatum est, & consummatū: Templarij ex aduerso promontorij fodientes & deportantes, laborantes per septem hebdomadas, tandem ad fundamentum primum peruenerunt, vbi murus antiquus, longus & spissus apparuit. Inuenta est pecunia in moneta modernis ignota, collata beneficio Dei filiis patris militibus suis, ad alleuiandos sumptus & labores. Deinde in anteriori parte arenam effodientes & deportantes, alius murus breuior inuentus est, & inter commurorum planitiem fontes aquæ dulcis largiter ebullierant, lapidum etiam & cæmenti copiam dominus ministrauit. Duæ turres ædificantur ante frontem castri, lapidibus quadratis & dolatis, tantæ quantitatis, vt lapis vnus vix à duobus bubalis in curru trahatur. Vtraq; turris centenos habet pedes in longitudinem, septuaginta quatuor in latitudinem. Spissitudo binas includit testudines, altitudo plurimum ascendens

dens

dens promontorij celsitudinem transgreditur. Inter duas turres murus nouus & altus cum propugnaculis consummatus est,& miro artificio intrinsecus milites armati per gradus ascendere possunt & descendere.

Iterum murus paulò distans à turribus extenditur ab vno latere maris ad aliud,puteum habens aquæ viuæ inclusum. Promontorium ab vtroque latere muro cingitur alto & nouo vsque ad rupes. Et inter murum Australem & mare duo sunt putei aquæ dulcis copiam habentes aquam castro exhibentes. Oratorium cum palatio & domibus plurimis castrum includit.

Huius ædificij prima est vtilitas,quod conuentus Templariorum eductus de peccatrice, & omni spurcitia plena ciuitate Acchon in huius castri præsidio residebit, vsq; ad reparationem murorum Hierusalem. Territorium munitionis huius piscariis, salinis, lignis, pascuis, & herbis abundat, vineis plantatis, & plantandis, pomeriis, hortis habitatores delectat.

Inter Acchon & Hierusalem nulla est munitio quam teneant Agareni. Vnde de hoc castro nouo plurimum damnificantur Sarraceni, & terrore diuino ipsos fugante loca inclyta deserere coguntur. Habet hæc structura portum naturaliter bonum,cum artificio adiutus poterit esse melior. Sex miliaribus distat à monte Thabor. Vnde huius castri constructio præsumitur causa fuisse munitionis illius: quia in campo longo lato,qui interiacet montanis castri huius montis Thabor,nec arare,nec seminare,nec metere securè poterant, propter metum habitantium in eo. Monasteriensis Episcopus apud Cæsariam obdormiuit in Domino. Magister Thomas Theologus Doctor bonus & opinionis claræ,apud castrum filij Dei diem clausit supremum.

Posthæc exercitus rediit in Acchon. Episcopi Alemāniæ & multi alij se * properabant ad transfretandum,breui tempore in terra promissionis commorati. Exspectabatur passagium secundum & nouum,& maximè classis ab Aquilone veniens, quæ per angustum mare Carthaginis nauigatura sperabatur. A principio prædicationis Crucis Christi prouinciæ Coloniensis studio magno in sumptibus plurimis ferè trecentas naues præparauit. Quarum quædam remanserunt, quædam vi tempestatis perierunt, sed maior pars venit Vlisbonæ ciuitatis Hispaniæ. Ibi orta est discordia,quibusdam procedere volentibus,aliis hyemare cupientibus in obsidione castri fortissimi,quod Alcatia dicitur, & sic classis diuisa est,pars apud Gaetam & Cornetum hyemauit, & pars alia obsedit Alcatiam: duos habens capita-

*forté, præparabant.

pitaneos, comitem Guilielmum de Hunsadia, & comitem Georgium de VVite. Captum est hoc castrum per Theutonicos, & cum essent adhuc in obsidione, congregata est contra eos maxima multitudo Sarracenorum, contra quam viriliter pugnauerunt Templarij & Hospitalarij cum militia Reginæ Portugalliæ. Victi sunt virtute diuina Sarraceni. Rex eorum vnus occisus est, & cum eo plurimi trucidati & in captiuitatem ducti.

** Hac alij referunt ad annum Christi M.CC.XLVIII. Vide lib. 3. de Cruce cap. 7. sed potius habenda fides Vitriaco, quàm posterioribus, quia Vitriacus dicit, se tertiam Crucis apparitionem vidisse.*

Excitata fuit prouincia Coloniensis ad obsequium Saluatoris mundi, per signa quæ apparuerunt in cœlo. Nam in prouincia Coloniensi, & diœcesi Monasteriensi in villa Frisiæ Bendui, mense Maio, sexta feria ante Pentecosten, cum prædicaretur crux ibidem, triplex forma Crucis apparuit in aëre. Vna candida versus Aquilonem. Alia versus Meridiem eiusdem coloris & schematis. Tertia medio colore colorata, habens crucis patibulum & figuram hominis suspensam, eleuatis brachiis & extensis, cum infixione clauorum in manibus & pedibus & capite inclinato: hęc media fuit inter alias duas, in quibus non erant effigies humani corporis.

Alia vice & alio loco in villa Frisiæ Sutehuysem, tempore prædicationis Crucis, apparuit iuxta Solem crux cærulei coloris, hanc viderunt plusquam priorem.

** fortè studiosè.*

Tertia fuit apparitio in diœcesi Traiectensi in villa quadam, vbi Bonifacius coronatus est martyrio; vbi in die eiusdem martyris cum magna militia conuenisset ad indictum * statiose, apparuit Crux alba & magna, ac si trabs ex transuerso trabis artificialiter composita fuisset. hoc signum vidimus. Mouebatur autem paulatim ab Aquilone ad Meridiem. Credimus autem duas apparitiones fuisse demonstratas, vt omnis ambiguitas primæ visionis tolleretur, sicut dicit Apostolus de Resurrectione Christi: *Quod visus est Cephæ, postea vndecim Apostolis, deinde plus quam quingentis fratribus.* *1. Cor. 15.*

** fortè Tertio. vel deest aliquid.*

** Templariorũ, Theutonicorũ, & Hospitaliorum.*

Anno igitur gratię M.CC.XVIII. mense Maio, applicare cœperunt ad portum Acchon *Cogones* de prouincia Coloniensi cum aliis paucis de Bremensi & Treuirensi prouinciis. Confirmatum fuit consilium in Concilio Lateranensi cum Domino Papa Innocentio bonę recordationis * Henricum Romæ de introducenda militia Christiana in terra Aegypti. Mense ergo Maij post Ascensionem Domini, pręparatis Cogonibus, armatis, galeis & aliis nauibus oneratis de Acchon profecti sunt: Ioannes Rex de Hierusalem, Patriarcha cum Episcopis Nicosiensi, Acchonensi; Gyrmideno, Duce Austriæ, * tribus domibus & copiosa multitudine Christianorum.

Indicta

Indicta fuit collectio nauigantium apud castrum filij Dei, quod Peregrinorum dicitur, sed flante Borea, Rege, Duce, & Magistris domorum ad indictum locum venientibus, exercitus Domini prosperis velis processit, vbi peruenit ad portum Damiatæ tertio die non descendens, sed biduo capitaneos expectans. Maiores congregati sunt ad calandram Templi, quid facerent deliberaturi. Quibusdam reditum suadentibus, tandem ad consilium Archiepiscopi Nicosiensis, & omnibus ei consentientibus, capitaneo capite de Sareponte, applicuimus ad portum Damiatæ, hostilem terram cepimus sine sanguinis impensa, priusquam capitanei in Galeis sequerentur, qui eodem die circa horam nonam applicuerunt gratulantes & mirantes nos figere tentoria conspicientes. Illi autem, qui modicam moram fecerunt in prædicto castro, nos vsque ad sextum diem ab exitu de Acchon subsequendo portum Damiatæ tenere non potuerunt. Multi etiam & nondum præparati post primos nauigantes, aut omnino remanserunt vi ventorum repulsi, aut per mare quatuor vel pluribus hebdomadibus iactati, vix applicuerunt. Archiepiscopus Rhemensis, & Episcopus Lemouicensis graues annis remanserunt in Acchon. Lemouicensis debita naturæ ibi soluit, Rhemensis verò in passagio sanctæ Crucis reuersus obiit in via.

Nobis igitur, vt dictum est, applicantibus: Frisus quidam dextro genu in terram fixo, & sinistra manu circumferente ancillæ speculum ferreum, vibrauit illud, & intuitus Sarracenum vnum, dum luderet, percusit. Pauci autem de Sarracenis nobis occurrerunt ad portum. Sed isto cadente subito cum equo, aliisque fugientibus, sine impedimento castra metati fuimus, intus littus maris & ripam fluminis Nili.

Hoc etiam mirabile Dominus fecit, quod in primo aduentu aqua fluminis iuncta mari dulcis hauriebatur, quæ postmodum multis vicibus salsa fuit vsque ad casale, quod distat à Damiata ferè per milliare. Modico autem tempore post aduentum Christianorum facta fuit Eclipsis ferè generalis. Quæ licet ex causis naturalibus in plenilunio plerumque proueniat, quia tamen Saluator dicit: *Erunt signa in Sole & Luna, &c.* hanc Eclipsim contra Sarracenos interpretati sumus, quasi prætendentem ipsorum defectum, qui sibi Lunam attribuunt, in cremento vel decremento Lunæ vim magnam ponentes. *Luc. 21.*

Legitur autem in Quinto Curtio, quod cum Alexander Macedo, totius malleus orbis, contra Darium & Porum de Græcia

profectus esset in Asiam, & acies hominum subsisterent ordinatæ: facta est Eclipsis Lunæ, quam Alexander pro Græcis contra Persas interpretatus, suos animauit, & pugnans contra Darium vicit eum.

Turris in medio Nili capienda fuit ante transitum ipsius. Frisones autem impatientes more suo Nilum transeuntes, iumenta Sarracenorum tulerunt, & cupientes in vlteriori ripa castra metari stabant pugnantes contra Sarracenos, qui obuiam ipsis de ciuitate processerunt. Reuocati sunt per obedientiam, quia non videbatur Principibus nostris expedire, quod turris paganis repleta post tergum relinqueretur Agarenorum.

Interim Dux Austriæ & Hospitale sancti Ioannis duas scalas præparauerunt super duos cogones. Theutonici verò & Frisones tertiam nauem propugnaculis muniuerunt castellulo in summitate mali composito, absque scalæ suspensione. Caput eorum, Dux, & iudex eorum fuit comes Adolphus de Monte vir nobilis & potens, frater Coloniensis Archiepiscopi, qui ante turrem captam mortuus fuit apud Damiatam. Scalæ Ducis & Hospitalis directæ sunt circa festum sancti Ioannis Baptistæ die Dominica prima subsequenti Sarracenis * eam defendentibus viriliter; Scala Hospitalariorum fracta cum malo cecidit, bellatores suos præcipitans. Scala Ducis simili modo confracta eadem ferè hora milites strenuos & armatos corpore deciduos, secundum animas leuauit ad cœlum glorioso martyrio coronatos. Aegyptij lætati vehementer subsannantes leuauerunt voces, tympanizantes & buccinis perstrepentes, mœror & tristitia Christianos inuasit. Nauis autem Theutonicorum inter turrem & ciuitatem, anchoram habebat fixam, damna multa per Balistarios qui intus locati fuerant, inferens Aegyptiis, præsertim illis, qui stabant in ponte inter ciuitatem & turrim porrecto. Ipsa verò nauis à bellatoribus ciuitatis, & turris, & pontis igne græco impetebatur vehementius. Tandem igne græco correpta fuit, & cum timerent Christiani ne consumeretur omnino, defensores illius ignem viriliter extinxerunt, & sic tandem sagittis tam intus quàm foris, quàm in castellulo in summitate mali collocato, in funibus tensis repleta, cum magno Christianitatis honore ad locum suæ stationis fuit reducta.

* turrim

Non modica etiam damna intulit & sustinuit nauis vna Templariorum propugnaculis munita, quæ huius assultus tempore iuxta turrim hærebat. Nos verò considerantes turrim capi non posse

ſe petrariarum vel tribulorum ictibus, hoc etiam multis diebus attentatum fuerat: neq; applicatione castri propter fluminis profunditatem; nec fame, propter ciuitatis vicinitatem; neque suffosſione, propter aquæ circumfluentis vicinitatem: Domino demonſtrante, & architecto prouidente, sumptibus Theutonicorum & Friſonum, eodemque labore duos cogones coniunximus, trabibus & funibus fortiſsimè cohærentes, & ſocia compaginatione vacillandi periculum prohibentes, quatuor malos & totidem antennas in eis ereximus. In ſummitate caſtellum vnum firmiter aſſeribus, & opere reticulato contextum collocantes contra machinarum importunitatem, coriis veſtiuimus illud per circuitum & ſuper tectum propter ignem græcum: ſub caſtello fabricata fuit ſcala funibus fortiſsimis ſuſpenſa, & triginta cubitis vltra proram protenſa. Opere breui tempore feliciter conſummato, inuitati ſunt ad illud videndum maiores de exercitu, vt ſi quid deeſſet, quod ſumptibus vel humano ingenio ſuppleri deberet, indicarent. Et accepto reſponſo quod tale opus ligneum nunquam ante ſuper aquam compoſitum fuiſſet, probandum eſſe conſiderauimus, quia crebris machinarum ictibus pons pro magna parte deſtructus fuit, qui de ciuitate ducebat ad turrim hoſtes fidei.

Sexta igitur feria ante feſtum ſancti Bartholomæi nudis pedibus cum deuotione noſtrę gentis ad ſanctam Crucem proceſsionem fecimus. Vbi implorato humiliter auxilio diuino, vt res Dei careret inuidia & iactantia, de qualibet gente, quæ tunc erat in exercitu aliquos ad huius negocij executionem inuitauimus: licet gens Theutonicorum & Friſonum ad naues implendas ſufficeret & regendas. Die ſancti Bartholomæi ſexta feria cum Nilus excreuiſſet, & aquarum impetus negotium plurimum impediret, cum multa difficultate & periculo hoc inſtrumentum contra torrentem à loco, in quo fabricatum fuerat, trahebatur ad turrim. Nauis vna minori machinæ ſocia præceſsit veliſicando. Clerici nudis pedibus per littus ambulabant ſupplicantes. Cum ad turrim ventum eſt: illa duplex compoſitio ad latus occidentale non potuit conuerti, ſed aſcendendo directè ad plagam aquilonarem applicabatur: Funibus & anchoris tandem fixis, licet vis aquarum inundantium illud repellere moliretur: Machinæ ſex vel plures directæ fuerunt ſuper turres ciuitatis & collocatæ ad illud concutiendum, ſed vna in initio, aliis poſt paucos ictus confracta quieuit. Aliæ verò ſine intermiſsione ad inſtar grandinis lapides emiſerunt.

Nec minori periculo prior nauis ad pedem turris collocata substitit. Ignis græcus cominus de turri fluminis & eminus de ciuitate fulminis instar veniens pauorem incutere potuit. Sed per liquorem acetosum & sabulum, subuentum est ignem extinguere laborãtibus. Iacuit Patriarcha ante lignum Crucis prostratus in puluere, stans Clerus nudis pedibus indutus stolis clamauit in cœlum. Defensores turris extensis lanceis anteriorem partem scalæ subterunxerunt oleo, deinde ignem Græcum apposuerunt, qui erupit in flammas: Cumque Christiani, qui in ea erant concurrerent ad ignis suffocationem, suo pondere caput scalæ depresserunt in tantum, vt pons tornatilis fronti appositus inclinaretur. Signifer Ducis Austriæ de scala corruit, Sarraceni vexillum tulerunt. Babylonij se vicisse putantes vociferati sunt, aërem clamore vexando. Christiani de equis descendentes ad supplicationes se prostrauerunt, complosis manibus, rigatis vultibus dolorem, quem pro illis habuerunt, qui discrimen in fluminis profundo * & totius Christianitatis protestando. Ad hanc populi deuotionem & eleuationem manuum in cœlum, leuauit scalam diuina pietas, extinxerunt ignem fidelium lachrymæ, & sic nostri resumptis viribus cum defensoribus turris gladiis, sarissis, clauis & aliis instrumentis viriliter pugnauerunt cominus.

* *deest, subibãt, vel aliquid simile.*

Miles quidam iuuenis Leodiensis diœcesis primus turrem ascendit. Friso quidam iuuenculus flagellum, quo granum excuti solet tenens, & ad pugnandum connexione cathenarum præparatum ad dextram & sinistram fortissimè percussit, & quendam tenentem signum Soldani croceum strauit, vexillum abstulit. Alij post alios successerunt superatis hostibus, quos resistentes duros senserant & crudeles. O ineffabilis Dei pietas, ô inexplicabilis Christianorum hilaritas, post planctum & luctum, post fletum & gemitum, gaudium vidimus & triumphum. *Te Deum laudamus, Benedictus Dominus Deus Israël, &c.* & alia cantica gratiarum altis, & præ gaudio cum lachrymis vocibus mixtis repetitis laudibus decantauimus. Interim Sarraceni, qui in inferiori parte turris se receperant, igne supposito superficiem turris combusserunt, victores nostri calorem sustinere non valentes, regressi sunt super scalam. Pons verò qui in inferiore parte operis præparatus erat, diuulsus est, ad pedem turris aquis profundis & vndiq; circumfluentibus, angustam malleis ferreis ianuam * congressi sunt victores, defendentibus eam Sarracenis, qui erant intrinsecus. Stabat vtrumque opus immobile. Asseres scalæ pro parte discussi sunt, & ambitus operis fortissimis funibus compositus,

* *fortè aggressi.*

&

& multis locis perforatus & machinarum ictibus. Ab hora nona feria sexta vsque ad horam decimam sequentis Sabbathi durauit hoc periculum. Opus autem reticulatum, quod scalam protegebat integrum permansit cum castellulo, in quo stabant balistrarij & lapidum iactatores, qui tuebantur eos. Tandem inclusi in turri colloquium petebant & se sub pactione vitæ dederunt, Duci Austriæ, præter illos, qui præcipites nocte per fenestras euaserunt turris angustias, quorũ plures in flumine submersi sunt & interfecti. Captiui verò numerati sunt ad centum viros.

Ab illo die cum confusi essent Babylonij & territi, &, vt putabatur ad fugam parati, principes nostri ad desidiam & inertiam deuoluti more suo differendi negocium causas prætendebant, nec imitati sunt Iudam Machabęum, qui videns, quod tempus iuuabat eum, hostibus non dabat requiem. Cogones se præparabant ad recessum Frisonum & Theutonum. Abiit multitudo maxima in passagio sanctæ Crucis instanti. Ad illud passagium venerunt quidam Romani, & post hoc Albanensis Episcopus Apostolicæ sedis legatus, & cum eo quidam princeps Romanorum. Deinde Magister Robertus de Corteon in Ecclesia sancti Stephani in monte Cælio presbyter Cardinalis, Parisiensis, Gyrundensis, Hungariensis Episcopi mortui sunt in sabulo Damiatæ. Cardinalis Robertus similiter. Venit postmodum Burdegalensis archiepiscopus, qui vtilem moram fecit. Andegauensis, Mantuanus, Hunianensis, Salpensis Episcopi. Venit & Comes Niuerniensis, qui imminente periculo cum Christianorum recessit scandalo. Comes de Marcha & Comes de Bar, & filius eius frater Guilielmus de Carnoto. Magister militię Templi Heruæus de visione. Iterius de Tacci, Oliuerius filius Regis Angliæ, & multi alij equestris ordinis & plebei apud Damiatam, rebus humanis exempti migrauerunt ad Dominum. Sapiens corde & fortis robore qui facit mirabilia, magnalia & inscrutabilia, quorum non est numerus. Qui excelsos iudicat, qui ponit humiles in sublimi; ipse magnificatus est solus in obsidione Damiatæ. Non enim, vt in aliis expeditionibus contra Sarracenos, diuersis temporibus ordinatis, per humanum consilium aut bellatorum ministerium: sed per semetipsum quod petere non præsumpsit homo; per suæ diuinitatis potentiam mirabiliter operatus est: non Regibus nec aliis principibus & nationibus; sed suo nomini, dans gloriam & honorem, vt in omnibus peccatoribus completa sit promissio Prophetica: *Vos tacebitis, & Dominus pugnabit pro vobis.* Exod. 14.

Post captam siquidem turrim in profundo Nili sitam: Saphadinus

nus inueteratus dierum malorum, dolore nimio, ficut afferitur, tactus, exhæreditator fratruelium fuorum & vfurpator regnorum Afię, mortuus eft & fepultus eft in inferno.

Poftmodum in fefto fancti Demetrij, qui frater vterinus beati Dionyfij legitur, fummo diluculo caftra Templariorum inuaferunt hoftes, & modicum damnum nobis inferentes, per expeditos equites noftros, fugati funt ad pontem, quem procul à nobis in fuperiori parte fluminis conftruxerant: & ibidem interempti funt ad numerum D. ficut à transfugis intelleximus.

In craftino autem, ipfo die fancti Dionyfij, Sarraceni iterum cum galeis armatis improuifi venientes, vbi tentoria Romani fixerant inuadentes, modica manu Chriftianorum repulfi funt: Rege Ioanne Hierufalem viriliter ibidem pugnante, ad exhortationem Epifcopi Bethleem, cum perfequeretur ipfe Epifcopus illos recurrentes ad galeas, qui gladios perfequentium ac fluminis voraginem euadere potuerunt. Sicut autem olim AEgyptij in aquis vehementibus maris rubri, fic in Nilo fubmerfi funt circiter ad M. D. numerum, ficut à Sarracenis poftea didicimus.

Exod. 15.

Porrò quia multi de populo Chriftiano placuerunt Domino, neceffe fuit, vt tentatio probaret illos. Ionas per angufta tempeftatis in mare miffus eft, & ventre pifcis conclufus probatus rediit ad aridam. Apoftolus triplici naufragio tribulatus euafit. Populus Domini præmiffo triduano ieiunio, quod Clerus in pane & aqua feruauit obedienter, & multis procefsionibus ordinatis à venerabili Albanenfi Epifcopo. P. Apoftolicæ fedis Legato, tentari meruit.

Iona 2.

2. Cor. 11.

Nam in vigilia fancti Andreæ Apoftoli media nocte, intumuerunt fluctus maris crefcentes, & excurfum terribilem facientes vfque ad caftra fidelium, alia parte fluuius nos occupauit, in campos natabant tentoria, perierunt cibaria, pifces fluuiales & marini fe quafi nihil timentes cubiculis ingerebant, quos manibus cepimus, quibus tamen deliciis carere voluimus, & nifi confilio Spiritus fancti ante prouifum effet in foffato, quod in alios vfus factum fuerat, mare coniunctum flumini, homines cum iumentis, naues cum armis & victualibus detraxiffet ad hoftes.

Nec tamen hoc periculum euaferunt quatuor cogones fuper quos præparata fuerant propugnacula ad capiendam ciuitatem, qui vno impetu cum quinta naui quæ inter eas hærebat, ad oppofitam ripam vi ventorum præcipitati, ante noftros oculos funt igne Græco combufti. Pepercit Dominus operibus Frifonum & Theutonicorum, quibus turris capta fuerat. Naues oneratæ, quæ in portu maris

maris ſtabant, ruptis repentè funibus perierunt. Durauit hæc tempeſtas per triduum continuum. Quo elapſo Dominus, qui conſolatus eſt *nos in omni tribulatione noſtra*, imperauit ventis & mari, ſtare faciens ipſum à furore ſuo. 2. Cor. 1. Matth. 8.

Inuaſit præterea multos de exercitu quædam peſtis, contra quam phyſici nullum ex arte ſua remedium inuenire poterant; dolor repentinus pedes inuaſit & crura, & coniunctim caro corrupta gingiuas & dentes obduxit, maſticandi poteſtatem aufferens. tibias horribilis nigredo obfuſcauit, & ſic longo tractu doloris afflicti, cum patientia multa migrauerunt ad Dominum plurimi; quidam vſque ad tempus vernale durantes, beneficio caloris euaſerunt liberati.

Poſt dictam tempeſtatem naues parabantur ad tranſitum fluminis. Quæ magno periculo ſurſum aſcendentes, inter ciuitatem & turrim captam machinis & igne Græco cum iaculis plurimis ſunt* impediti. * impeditæ. Vnde accidit vt vnus cogo Templariorum raptus prope ripam ciuitatis præcipitaretur ad hoſtes, qui cum barbotis & * vectis ferreis ipſum præpugnauerunt diutius, ignem Græcum cum lapidibus deſuper de turribus proiicientes, & cum ſic præualere non valerent, propter defenſorum audaciam, certatim nauim aſcendentes præcipites in eam aſcenderunt ad Templarios, vbi cum diutius pugnaretur, tandem nauis perforata fuit ab hoſtibus, ſiue à noſtris, incertum habuimus; ſed à noſtris credendum eſt, profundum petiit, ſubmergens AEgyptios cum Chriſtianis adeo vt vix ſummitas mali appareret ſuper aquam. Et ſic Sampſon plures ſtrauit moriens quàm viuens. Sic & iſti martyres plures ſecum traxerunt in aquæ voraginem, quam gladiis interficere potuiſſent. Ciues autem Damiatæ cruentam victoriam ſuam ferè ſeptem diebus planxerunt. * Vectibus. Iudic. 16.

Exinde pontem reparantes aperturam reliquerunt anguſtam vt naues noſtræ ſine periculo aſcendere non poſſent. Theutonici verò & Friſones zelo iuſtæ indignationis accincti, cum minore naui, cuius miniſterio turris capta fuerat, quam Gallici *ſanctam martyrem* appellant, pontem viriliter inuaſerunt, auxilium non habentes niſi de cælo. Pauciores autem viri, quam decem de gente prædicta, contra omnem fortitudinem Babyloniorum pontem aſcendentes, ſpectante multitudine Chriſtianorum, * ad hanc audaciam plurimum extollentes, fregerunt eundem, & ſic cum quatuor nauibus, ſuper quas pons erat fundatus, reuerſi ſunt cum triumpho, liberam viam & apertam ſurſum velificantibus relinquentes. * fort. & hanc aud. plur. extollente.

His

His itaque gestis, Sarraceni, periculum, quod eis imminebat attendentes, ripam nobis oppositam fossatis & argillosa materia cum ꝓpugnaculis ligneis & altis munierunt, machinas & petrarias ibidẽ locantes, nobis spem aufferentes ibidem transeundi. In casale verò, quod ferè per milliare distat à ciuitate, vbi hæc noua munitio terminabatur, per transitum fluminis nauium immersiones fecerunt cum palis infixis gurgiti.

Nihilominus Apostolicæ sedis Legatus desiderium bonum habens obsidendi ciuitatem, naues superius congregatas vrgebat ad transitum. Vnde Cogones propugnaculis & castellulis, viris etiam armatis muniti cum galeis & aliis nauibus, Christo duce, prædictas immersiones euaserunt. Hostes autem, dissimulato metu, tres ordines armatorum stationi nauium nostrarum contraposuerunt,* vnā per cliuum super ripam cum clypeis, quos *targias* appellant, linealiter ordinatam. Secundam post dorsum eorum similem priori. Tertiam equitum longam & terribilem ictibus lapidum & telorum plurimũ vexando stationem Christianorum. Sanè nocte sanctæ Agathæ Virginis & martyris, cum coadunatus esset populus fidelium qui sequenti die transiturus erat, pluuiç & venti multum discriminis & difficultatis addiderunt nostris. Sed fidelis DEVS, qui non patitur suos tentari supra id quod possunt, respiciens ad castra seruorum suorum, quod secundum inferiores causas difficile fuerat vel impossibile, conuertit in facilitatem & gaudium, suæ virtutis innouans miracula.

* *Non habetur hic ratio generis, vel respexit Auctor ad nomen generale aliud, vt est statio, idem supra factum in vocabulis* Cogo *&* nauis.

*1. Cor. 10.*

Post mediam siquidem noctem tantum pauorem Soldano Babyloniæ & satrapis suis incussit, vt relictis castris, ignorantibus nobis & AEgyptiis, quos ad resistendum ordinauerat, in sola fuga spem posuit. Quidam apostata, qui multo tempore legem Christianorum transgressus cum Soldano militauerat; stans à ripa Gallicè clamabat. *Quid moramini? quid statis? Soldanus abiit.* hoc dicto in nauicula Christianorum se recipi postulauit, vt in potestate ipsorum positus fidem dictis faceret.

Summo igitur diluculo cum inchoatum esset officium missæ dicti festi per oratoria Christianorum: *Gaudeamus omnes in Domino*, nunciata sunt hæc Legato, Regi & aliis. Itaque fugientibus AEgyptiis, nostri certatim & alacriter absque omni impedimento hostium & sanguinis impensa transierunt. Sed adeo limosa & profundioribus aquis difficilis fuit ad applicandum terra hostilis, vt vix equi sine ascensoribus & sellis eiectis possent ascendere. Templarij verò inter primos ascendentes equos, erectis signis cum quibusdam Hospitalis

sancti

sancti Ioannis fratribus, & paucis aliis secularibus militibus, versus ciuitatem cursu propero festinantes, in partibus illis, vbi castra paganorum sederant, quos ibi inuenerunt ad centum viginti trucidantes instanter.

Strenuissimus autem Rex Hierusalem postquam cum Magistro & fratribus Hospitalis, cum comite Niuernensi de fuga exercitus infidelis rediit, vbi primos cursus incassum expenderant, quosdam de maledicta familia ante portam ciuitatis adhuc renitentes, adiit intrepidè: quamuis cum modico comitatu: *Hos fugat & sternit, alios omnesq; potentes vertere terga fuga claudit in vrbe fugans*, vsque ad introitum portarum victorioso gladio non cessante. Verùm Hospitalis sancti Ioannis fratres cum prædicto Niuernensi comite, non quiescunt, qui cum quibusdam ex nostris immanem multitudinem hostium in via, quæ ducit Thaneos, nudatis mucronibus consequentes, occidentes alios, & alios submergentes: non gloriabatur securis contra eum, qui secat in ea, neque serra contra trahentem in ea. Miraculum istud cui comparabimus, vel cui æquabimus, nisi ei, quod legimus de Benadab rege Syriæ, qui obsederat Samariam arctans eam plurimum? Cui Dominus contulit tantum terrorem, vt relictis castris fugeret: Et sicut per leprosum qui erat in introitu portæ, illis fuga Syrorum fuit nunciata Samaritanis: ita per leprosum in animæ, præfati videlicet apostatæ, nunciata fuit AEgyptiorum fuga. Et sicut ille populus Samaritanorum spolia in castris Syrorum collegit: Sic noster exercitus tentoria & manubria fugientium diripuit, *targias* plures & omnes galeas cum barbotis & aliis nauibus, quæ infra casale inueniebantur, cum aliis Hospitalis fratres victores occupauerunt. Multi bellatores relictis vxoribus & paruulis territi propter inopinatum transitũ de Damiata fugerunt, ac sic per gyrum ac firmiter obsessa est ciuitas.

*Isaia 10.*

*4 Reg. 7.*

Igitur diuiso exercitu nostro in duas partes, vna videlicet in sabulo ad custodiam tam fluuij, quàm Portus, altera ad obsidendam munitam vrbem necessariò deputata; super impetuosas & inuadabiles Nili vndas pontem cõstruere nobis necessitas imperauit. Qui quanto necessarior, tanto fortior in sumptu & labore plurimo. Super robustas naues in transuerso fluminis ordinatas, fauente Domino, cõstructus est, periculosam diuisionem exercitus vniens & ipsum flumen reddens inimicis immeabile. Et sic per gyrum firmiter obsessa ciuitate, exercitu continuato per pontem vtramque ripam fluminis contingentem: per desidiam autem & inertiam quorundam, quorum nomina nouit Dominus, factum est vt hostes resumptis viribus

& animis, adueniente etiam Coradino cum Halapinis & magna multitudine, locum illum occuparent, à quo nostri miraculosum transitum fecerant: & sic nos obsidentes ciuitatem, ipsi periculosius obsederunt: & nisi per diuinum consilium castra, quæ erant inter mare & fluuium, retenta fuissent; maximè per Theutonicos & Frisones, portus nobis ablatus fuisset, & negocium plurimum periclitatum vacillaret. Vt autem transitus miraculum magis clarescceret, & soli Deo asscriberetur firmiter, ad tantam Sarraceni peruenerunt temeritatem, vt diluculo Sabbathi ante Dominicam, *Oculi mei semper ad Dominum*, nobis tale periculum non prouidentibus; sed diuino auxilio cum damno equitum & peditum sunt repulsi: cum multitudine graui propius accederent, & in fossatum se præcipitarent.

Anno gratiæ millesimo ducentesimo decimo nono: Regina ciuitatum Hierusalem, quæ videbatur inexpugnabiliter munita, destructa est à Coradino, filio Saphadini & foris & intus. Muri enim cum turribus redacti sunt in aceruos lapidum præter Templum Domini & turrim Dauid. De sepulchro glorioso destruendo habuerunt Sarraceni consilium, & per litteras comminati sunt, quas ciuibus Damiatæ transmiserunt ad ipsorum solatium. Sed huic temeritati nemo manus apponere præsumpsit propter loci reuerentiam.

Sicut enim in Alchorano libro legis eorum scriptum habent: IESVM Christum Dominum nostrum credunt de Maria Virgine conceptum & natum. Quem sine peccato vixisse Prophetam & plus quam Prophetam protestantur, cæcos illuminasse, leprosos mundasse, mortuos suscitasse, firmiter asserunt. Verbum & spiritum Dei, & nuncium ad cælos ascendisse, non discredunt. Sed passionem & mortem, diuinam etiam naturam vnitam humanæ naturæ in Christo ac Trinitatem personarum, negant. Vnde verius hæretici, quam Sarraceni nominari deberent. Sed vsus similis nominis præualuit. Vnde quando tempore Treugarum sapientes ipsorum Hierosolymam ascendebant, codices Euangeliorum sibi postulabant, & osculabantur propter munditiam legis, quam Christus docuit, & maximè propter Euangelium Lucæ. *Missus est Gabriel Angelus*, quod litterati inter eos sæpius repetunt & retractant. Lex autem eorum quam dictante Diabolo, ministerio Sergij monachi & Apostatæ ac hæretici, Machometus Sarracenis dedit Arabicè scriptam: à gladio cœpit, & per gladium tenet, & in gladio terminabitur. Machometus iste illiteratus fuit, sicut ipse protestatur in Alchorano suo, & prænominatus

Luc. 1.

tus hæreticus dictauit, ipse promulgauit, & per comminationes obseruari statuit. Luxuriosus & bellicosus fuit: ideoque de immunditia & vanitate legem tulit: quam carnaliter viuentes in parte voluptatis firmiter obseruant; Et sicut legem nostram veritas & munditia vniunt: ita errorem ipsorum timor mundanus & humanus ac voluptas carnalis firmissimè custodiunt.

In die Palmarum anni præscripti, inimici nostri multa comminatione præmissa, quod seipsos vel nos omnes perderent; vna die collectione terribili & innumerabili exercitu equitum & peditum irruerunt super nos, vndique fossatum nostrum inuadentes, & maximè pontem Templariorum & Ducis Austriæ, quem ipse cum Theutonicis defendere studuit. Hostes cum electis militibus suis de equis suis descendentes cum Christianis atrociter pugnauerunt, ceciderunt hinc inde mortui & vulnerati. Tandem pontem ascendentes partem eius combusserunt. Dux Austriæ præcepit suis, vt ponte relicto, aditum darent instantibus & introitum, sed intrare non præsumpserunt propter militiam nostram, quæ acies suas ordinauerat subsidium munitiones defendentium. Mulieres aquam & lapides, vinum & panes bellatoribus ministrabant intrepidè. Orationi Sacerdotes insistebant, vulnera sauciatorum ligabant, Deum benedicebant. Eadem die non est datum spatium gerendi alias palmas quam balistas & arcus cum sagittis, lanceas & gladios cum clypeis, adeo instabant & vexabant atrociter, qui venerant ad perdendum nos studio liberandi ciuitatem, ab ortu solis vsq; ad horam ferè duodecimam; Tandem fugati retraxerunt se cum damno maximo.

Instabat iam passagium vernale. Recessurus erat Dux Austriæ, qui per annum & dimidium Christo fideliter militauerat, plenus deuotione, humilitate, obedientia, largitate; qui præter alios sumptus, innumerabiles equos in negociis bellicis & priuatis Clericis domum fecerat Theutonicorum. Ducentas marcas vel amplius ad comparandum prædium creditur contulisse, & castro Templariorum nouo, quinquaginta marcas auri. Cui etiam Comes Austriæ quingentas marcas argenti donauit ad murorum & turrium fundamentum.

In Calendis Maij magna multitudo peregrinorum cœpit recedere nobis in summo periculo relictis. Sed Pater noster misericors & benignus, Dux & pugnator noster, defensor & protector sperantium in se, sibi facilè in paucis, sicut & multis vincere, Christus Iesus, non Psal. 17. 1. Reg. 14.

 per-

permisit incredulos simul in nos irruere, donec noui recentesq; peregrini cum copioso succursu superuenirent. Copia victualium, & equorum nutu diuino transmissa, collectionem fidelium lætificauit.

Isti igitur, rapto fidelium agonistarum numero, in festo Ascensionis Domini, more suo, per terram & per aquam irruerunt perfidi. Et multoties sic attentantes præualere non potuerunt. Particulariter etiam prope castra nostros prouocabant, damnificantes & damnificati. Vnde quadam die pedites nostri cadauer perfidi armatum, ad modum autem viui appodiantes, erexerunt, caput abscissum contortis crinibus super cadauer colligantes, & ad iactum iaculi extra licias Sarracenis equitantibus relictum exposuerunt. Quod videntes Sarraceni septem, primò tres, secundò quinque, tertiò septem simul irruerunt in cadauer mortuum, quasi in audaciam Christia-
*Locus mend. norum tot cedere* volentes, & à nostris inde coadunantibus fugerunt infideles viso capite truncato, cum crine torto. Pridie verò calendas Augusti omnem, quam adducere poterant copiam, post diuturnos assultus tandem fossatum contra militiam Templi transeuntes, & licias nostras viriliter rumpentes, pedites nostros verterunt in fugam, adeo vt totus exercitus Christianorum iam periclitaretur. Milites de Francia, seculares equites ter conati sunt ipsos repellere longius extra fossatum; sed non potuerunt. Sarraceni siquidem iuxta mœnia nostra fractis munitionibus ligneis, equitum ac peditum acies ordinauerunt. Clamor ortus est insultantium, omnis multitudo eorum properauit sequelam, timiditas aucta est Christianis.

Iudic. 7. Sed spiritus qui induit Gedeonem, Templarios animauit. Magister Templi cum Marescallo, cæterisque fratribus, qui cum eo tunc aderant, per exitum angustum, impetu facto, viriliter in fugam conuertit incredulos. Domus Theutonicorum & comites, & alij milites de diuersis nationibus, videntes militiam Templi in periculo constitutam, festinanter per exitus sibi compositos tulerunt auxilium. Sed pedites Sarraceni, abiectis clypeis, interficiebantur, præter eos, quos fuga præcipites percussoribus abstulit.

Post equites nostros egressi sunt pedites nostri, & per modicum spatium se retraxerunt hostes. Acies hinc inde substiterunt armatæ, donec crepusculũ vespertinum prælium interemit: Sarraceni priores abierunt. Occisorum corpora perfidorum strata iacebant iuxta fossatum plurima: præter eos, qui sauciati grauiter vel leuiter reducti sunt ad castra.

Sic saluauit Dominus sperantes in se in die illa, per virtutem Templariorum, & domus Theutonicorum, & eorum qui ipsis coopera-

operati, discrimini se commiserunt. De nostris pauci interempti sunt & capti. Instrumenta contra ciuitatem parata multiplici conatu defensorum Damiatæ fere omnia combusta sunt.

Ianuenses, Pisani, Venetiani firmiter asserebant, se ciuitatem expugnaturos, per quatuor naues super quas scalæ pendebant. Sed ipsi non erant de genere illorum virorũ, per quos salus facta est in Israël. Volebant enim sibi facere nomen cum tubis & calamellis & signis multis progressi. Legatus Apostolicæ sedis sumptus eis præbuit copiosos de communi. Rex & alij chordas & anchoras, prout requirebant, exhibuerunt abundanter. Aggredientes itaque ciuitatem, primo die multos interfecerunt & vulnerauerunt. Et quanto postmodum sæpius assultum fecerunt, tanto magis muri firmati sunt ligneis castellulis & liciis. Defensores etiam robustius & * ædificatius contra se venientibus opposuerunt, & sic scalæ mutilatæ per ignem ac pluries reparatæ, tandem infecto negotio reductæ sunt ad ripam. Et sic deprehensum est & intellectum veraciter, sola virtute diuina Damiatam in manu Christianorum fore tradendam. *efficacius

Nos verò insensati & immemores beneficiorum Dei, ac mirabilium quæ fecit, prouocabamus oculos diuinæ maiestatis contra nos per desidiam & desideria maiorum, & murmurationes minorum. Pedites equitibus improperabant ignauiam; equites pericula peditum, quando contra Sarracenos egrediebantur, dissimulabant. Vnde factum est vt * conuincti sunt, culpis exigentibus, in decollatione S. Ioannis Baptistæ, licet vix inuenirentur, qui in custodia castrorum remanerent: naualem & terrestrem exercitum educentes, ad castra Babyloniorum tenderemus inter mare & fluuium, vbi dulcis aqua reperiri non poterat ad potandum. Ipsi verò sublatis tentoriis fugam simulabant. Et cum processum fuisset à nostris, adeo vt appareret aduersarios diuersa fronte * nolle confugere: Capitanei nostri longum inierunt consilium, vtrum procederent an redirent. discordia inter eos facta fuit. Interim solutę sunt acies pręter ordinem illorum, quos in disciplina militari legauit obedientia. Equites Cypri in dextro cornu, Sarracenis incursum facientibus à latere timiditatem suam ostenderunt. Italici pedites primo fugerunt, post eos equites de diuersis nationibus, & quidam Hospitalis S. Ioannis, Legato Romanæ sedis, & Patriarcha, qui crucem baiulabat, multum, sed frustra supplicantibus, vt subsisterent. Aestus solis erat vehemens, pedites pondere armorum premebantur: calorem auxit labor viæ, & qui secum vinum detulerunt, in angustia sitis illud biberunt purum, propter defectum aquæ. His occurrentibus qui subsistentes se defenderunt,

*conuicti sunt.

*forte, velle confligere.

& post primitiuos fugientes anhelo cursu terga dederunt, extincti sunt sine vulneribus corruentes.

Rex verò cum Templariis & domo Theutonicorum, & Hospitali S. Ioannis, & de Hollandia, & VVithe, & Cestriæ & Sansbrigiæ comitibus: Gualtero & Bartholomæo Francigenis, Pisanis, aliisque militibus impetus persequentium sustinuit. Rex verò igne græco fere combustus fuit. Hi omnes pro muro fuerunt fugientibus, quoties facies suas ostenderunt, totiens Sarraceni fugerunt. Quando verò gradatim reuertebantur, ictus & tela sustinuerunt inimicorum.

Capti sunt in illa defensione Christianitatis Beluacensis Electus, & frater eius Andreas de Nantolio, Dominus Galterus Camerarius Regis Franciæ, & filius eius frater Andegauensis Episcopi vicecomes cum domino Ioanne de Arcies viro venerabili & valde strenuo: Henricus de Vlmo & alij multi, qui trucidati sunt, & in captiuitatem ducti. Templarij triginta tres capti vel occisi sunt cum Marescallo S. Ioannis & quibusdam aliis fratribus eiusdem domus. Nec euasit sine damno domus Theutonicorum. Militia templi, quæ prima solet esse in congressu, vltima fuit in regressu. Vnde cum ad fossatum nostrum nouissimi redirent, foris subsistit, vt anteriores intra mœnia, quantum possibile fuit, reduceret. Persecutores ad captiuos deducendos & spolia colligenda tandem redierunt. Sicut à Sarraceno postmodum intelleximus, quingenta capita Christianorum Soldano præsentantes. Mæror & tristitia nostros occupauit, sed nulla desperatio. Pro certo habemus quod pœna peccati fuit hæc castigatio; & minus erat in pœna, quàm exigeret culpa, ipso temperante vindictam, qui

Hierem.3. dicit animæ peccatrici: *Fornicata es cum multis amatoribus, tamen reuertere ad me, & ego suscipiam te.* Constat autem nobis, quod in præcipua sua militia luctuosa damna sustinuerunt increduli.

Psal.76. Mane miserator Dominus, qui non obliuiscitur misereri, nec continebat in ira sua misericordias suas, qui in tribulatione peccata

2.Cor.4. dimittit, qui facit de tenebris lucem splendescere; luctum nostrum conuertit in gaudium, mœrorem in lætitiam. Nam Soldanus vnum de captiuis nostris mittens de pace vel treuga nobiscum tractare cœpit. In quo tractatu fossatum nostrum & munitiones nostras reparauimus alacriter.

Interea nautæ Christianitatis proditores, & cum eis peregrini plurimi, magis seipsos amantes, quam fratribus compatientes, ante tempus consueti passagij agonistas Christi in summo periculo relinquentes eleuatis velis ab arrepto portu, nobis tristitiam, Babyloniis audaciam contulerunt. Qui tractatum pacis intermittentes: in

vigilia.

vigilia sanctorum Cosmæ & Damiani, & sequenti die proximo in Sabbato cum galeis & barbotis per flumen; cum magonellis & targiis & fustibus pro implendo fossato, per terram feritate Barbarica & impetu consueto nos impetierunt. Sed durus bellator triumphator in Israël, solita vsus gratia, castra sua defendit misso per mare Saluarico de Malleon cum galeis armatis, & bellatoribus multis in ipso necessitatis articulo. Et nos clamantes in cœlum, nec trepidantes ad prælium, sed viriliter resistentes; illos interfectos, sauciatos & confusos ab insultu triduano recedere coëgimus ipsius virtute, qui saluat sperantes in se. 1.Reg.19

Interea ciuitas obsidione longa, ferro, fame, pestilentia grauiter, & vltra quam credi potest, vel scribi, afflicta, in sola pace, quam Soldanus ciuibus promisit, spem posuit. Adeo enim in ea fames inualuerat, vt cibi desiderabiles deessent: panis corruptus abundauit in ea. Durabilis non est annona Aegypti propter molles glebas, in quibus crescit, nisi supra circa partes Babyloniæ artificiosè seruetur in annos. Et sicut audiuimus, coctanum vnum vndecim * bysantiis vendebatur in ea. Ex angustia famis diuersa morborum genera vexabant eos, & inter cætera incommoda quæ sustinuerunt, noctibus quasi aurisia percussi nihil videre poterant. Daniel.19 * Genus monetæ.

Soldanus de die in diem vanis promissionibus, ipsos à deditione dehortatus, decepit miseros. Postremo autem portas suas obstruxerunt intrinsecus, ne aliquis ad nos veniens de suis nunciaret, quomodo dies afflictionis eos possedit. Si quis verò per posticum, vel de turre per funes euadere potuit; inflatus & famelicus ciuium suorum probabat euidenter inopiam. Illis, qui foris in circuitu, Sarracenis nos obsederunt, copia panis & pabuli cœpit decrescere. Nilus siquidem, qui post festum S.Ioannis Baptistæ vsque ad exaltationem sanctæ Crucis solet excrescere, & Aegypti planitiem irrigare, hoc anno more suo non ascendit ad signum, quod ponere solent Aegyptij, sed prout credimus magnam partem terræ siccam reliquit, quæ nec arari nec seminari poterat suo tempore.

Vnde Soldanus caristiam timens & famem, etiam amore retinendi Damiatam, talem pacem cum Coradino fratre suo attulit, vt sanctam Crucem, quæ olim capta fuit in victoria Salahadini cum ciuitate sancta Hierusalem, & omnibus captiuis, qui per regnum Babyloniȩ & Damasci viui reperiri possent: Sumptus etiam ad reparandum muros Hierusalem redderent, insuper regnum Hierosolymitanum restituerent totaliter, præter Craccum & Montem regalem, pro quibus retinendis tributum obtulit, quandiu treuga duraret. Sunt autem

autem hæc duo loca in Arabia sita, septem munitiones firmissimas habentia: per quæ negociatores Sarracenorum & peregrini ipsorum Mecham tendentes vel ab ea reuertentes transire solent. Et qui potenter tenuerit Hierusalem, & voluerit, grauiter nimis cum agris & vineis lædere eos poterit.

Hanc compositionem acceptandam & vtilem Christianitati Rex & Francigenę & comes Cestrię cum Capitaneis Theutonicorum censuerunt pertinaciter. Nec hoc mirandum fuit: quia longe minori pace, quæ prius oblata fuerat, contenti fuissent, nisi sano consilio fuisset illis obuiatum. Legatus autem cum Patriarcha & Episcopis, Templariis, Hospitalariis, & omnibus Italiæ Capitaneis, multisque aliis prudentibus viris efficaciter huic tractatui se opposuit; rationabiliter ostendens, ante omnia Damiatam fore capiendam.

Opinio diuersa peperit discordiam, quæ cito sedata fuit propter communem necessitatem. Interea Soldanus magnam multitudinem peditum clanculo per loca palustria misit ad ciuitatem, quorum ducenti quadraginta Christianis dormientibus fugerunt, ingressi Dominica nocte post festum omnium Sanctorum. Tandem per clamorem vigilum occisi sunt, & captiuos ad trecentos & plures computauimus.

*Noni. * Nonas Nouembris Saluatore mundi regnante & domino Albanensi Episcopo Apostolicę sedis legatione fungente, solerter & vigilanter capta est ciuitas Damiatæ absq; deditione, sine defensione, sine violenta deprædatione cum tumultu, vt soli filio Dei ascribatur victoria euidenter, qui populo suo in Aegypto ingressum inspirauit, & ibidem vires monstrauit. Et cum caperetur ciuitas in oculis Regis Babyloniæ more solito, non fuit ausus Christi milites ad defensionem paratos per fossatum nostrum aggredi.

Eodem tempore & fluuius excreuit vberrimis aquis fossatū implens. Ipse verò Soldanus confusus propria castra combussit & fugit. Deus autem qui tertia die aquas sub firmamento in locum vnū congregauit, ipse agonistas suos per aquas maris ad portum Damiatæ perduxit; Mense Maio tertia feria. Eosdem transduxit per Nilum ad obsidendam ciuitatem mense Februario feria tertia. Hanc vrbem vitulæ consternāti, quæ modo terræ motu submersa est, possumus assignare. Vitulam appellamus propter eius lasciuiam. Piscibus enim, auibus & pascuis, frumento, hortis & pomeriis abundauit negotiando, piraticam exercendo, delitiis affluxit in culpa, pereffluxit in Gehenna. Sed vna hora venit iudicium eius. Consternātem Deum, quia terræ raptu tertio habitatores eius perierunt. Ipsa tamen integra manente,

Gen. 1. Isaia 15. Apocal. 19.

nente, à Græcis & Latinis primo obsessa fuit, qui ab ea defecerunt. Hac vice tertia Rex regum & Dominus dominantium seruis suis ipsam tradidit, Iesu Christo duce, qui viuit & regnat & imperat, & vincit, qui sementis irrigua locauit Aegyptiis, & confudit operantes sericum & byssum plectentes & texentes subtilia. *Apocal. 19.* *Isaia 19.*

Tali duce Christi milites Damiatam ingresi plateas eius inuenerunt stratas cadaueribus mortuorum, pestilentia & fame deficientium; aurum & argentum nimis, pannos sericos negotiatorum in abundantia, supellectilem variam in superabundantia.

Ciuitas hæc præter naturalem situm loci, qui munitur triplici muro, cincta est turribus lateritiis multis & magnis fortissimè munita, clauis & antemurale totius Aegypti, inter Ramesse & campum Thaneos sita in terra, vt coniicere possumus Gessen, quæ pascualis est, quam petierunt filij Israël à Pharaone tempore famis. *Gen. 46.*

Damiata, Damiata inclyta in regnis, multum formosa in superbia Babyloniæ, in mari dominatrix. In ascensu persecutorum tuorum per paucas & modicas scalas comprehensa. Nunc humiliata es sub potenti manu Dei, & adultero, quem diu tenuisti, proiecto, ad priorem virum tuum reuersa es. Et quæ prius parturiebas spurios amodo paries filios legitimos ad cultum filij Dei firmiter à cultoribus Christi possessa. Acchon Episcopus ex te primitias animarum Deo soluit: paruulos tuos, qui in te reperti sunt, ab ipso vitales etiam morti proximos, baptismatis vnda sacramentaliter mundando. Multiplices soluisti pœnas; quia præter eos, qui viui comprehensi sunt in te, mortui tui promiscui sexus à tempore obsidionis in circuitu computantur ad mille & amplius: quos sine ferro & igne Dominus percussit: amodo dedignatus sustinere spurcitias in te commissas.

Gaudeat igitur vniuersalis Ecclesia, dignas gratiarum actiones referendo pro tali triumpho; & non solum pro Damiata; sed pro destructa pernitiosa munitione montis Thabor, & pro aditu libero in Hierusalem: vt reædificentur muri eius tempore ab altissimo prouiso. Pro castro præterea peregrino, quod magnis sumptibus ædificat viriliter & inexpugnabiliter militia Templi, de qua superius scriptũ est. Lætare prouincia Coloniensis, & lauda & exulta; quoniam in manibus, instrumentis bellicis, bellatoribus & armis, victualibus & pecunia maius auxilium tulisti, quam residuum regni Theutonicorum. Tu autem Colonia ciuitas Sanctorum, quæ in hortis hæreditas inter virginum lilia, rosas Martyrum, violas confessorum: Flecte ge-

nua cordis tui pro deuotione filiarum tuarum, magnificas gratiarum actiones altis vocibus resonando.

Ante captionem Damiatæ liber nobis apparuit Arabicè scriptus. Cuius auctor se Iudæum, vel Christianum, vel Sarracenorum negat in illo. Quisquis autem fuerit, prædixit mala, quæ Salahadinus populo Christiano crudeliter intulit, in destructione Tiberiadis, in victoria, quam de Christianis habuit, quando Regem Hierusalem & principes captiuos duxit, Aschalonem destruxit, & quomodo conabatur Tyrum apprehendere, sed non profecit, & alia multa, quæ peccata illius temporis meruerunt, prædixit. Prædixit destructionem hortorum & palmarum ciuitatis Damiatæ, quam factam vidimus, quando librum hunc per interpretes inspeximus. Addidit & Damiatam à Christianis fore capiendam. Salahadini nomen non ponit, sed per nigros oculos & crocea vexilla ipsum designat. Insuper prædixit quendam Regem Christianorum Nubianorum Mecham ciuitatem debere destruere & ossa Machometi Pseudoprophetæ dispersa proiicere, & quædam alia quæ nondum euenerunt. Sed si completa fuerint ad exaltationem Christianitatis, & depressionem Agarenorum euenient. Scimus quosdam gentiles ethnicos Spiritum sanctum habere in ore, sed non in corde, & manifestè de Christo prophetasse. Vnde non miramur si per canales lapideas aqua purior pertransit.

Ad hæc fama discurrens per totum orbem, Damiatam à Christianis esse comprehensam, Georgianorum litteras ad castra Catholicorum transmitti persuasit. In quibus continebatur, quod indignata gens illa vel excitata, rege eorum conuocante principes decreuit & iurauit se obsessuram aliquam ciuitatem famosam Sarracenorum, allegans sibi verecundum esse, quod fratres de transmarinis partibus & vltimis terræ finibus venientes, per mare spaciosum periculis plenum tam munitam ciuitatem longa obsidione cepissent: nisi & ipsi quibus facilius erat, perfidos impugnarent, & Damascum vel aliam ciuitatem vel locum alium nominatum virtute caperent armorum. Sunt autem Georgiani cultores Christi, ritus habentes Græcorum, Persis vicini, longo terrarum tractu à terra promissionis distantes, quorum dominium extenditur vsque ad Caspios montes, in quibus decem tribus inclusæ desiderant aduentum Antichristi, tunc etiam erumpent magnam stragem facturæ.

Georgiani bellicosi sunt homines, habentes rasuram in capite, Clerici rotundam, Laici quadratam. Mulieres eorum equestris ordinis edoctæ sunt ad prælium. Homines isti quando ordinatis aciebus aggressuri sunt inimicos: quilibet pugillarem cucurbitam repletam

tam

tam vino prout velocius ebibit, & statim viriliter aduersarios inuadunt.

Computandum esse non dubitamus inter beneficia Saluatoris Iesu Christi, quod à ficariis maiores nostros defendit in obsidione Damiatę. Vsitatum siquidem habebant Assasini & eorum præceptor vetulus, de montanis cultellos emittere contra Christianos ad intercipiendam vitam ipsorum, qui negotium Christianitatis propensius procurabant. Nam treugarum tempore, filium Tripolitani Comitis adolescentem spectabilem in Ecclesia beatæ Virginis apud Carchusam ante altare procumbentem, nequiter interfecerunt. Vnde militia non cessauit eos persequi pro tam religiosa * exanitate violata, donec humiliarentur vsque ad seruitutem tributi. Tria namq; millia bysantiorum * annatim Templariis persoluunt.

*forte, charitate.

*annuatim.

Eiusdem obsidionis tempore Armenię Rex Leo nomine defunctus est in terra sua. Melchisomaphat filius Saphadini multa damna Templariis intulit, cum essent in obsidione Damiatæ. Combussit enim oppidum Castri albi: & turres munitas destruxit. Sed cum rediret in terram suam, victus est à Sarracenis.

Mortuus est Soldanus * Ichonij, qui creditur baptizatus fuisse. Qui tantæ benignitatis erat in Christianos, vt treugam cum Sarracenis solui iuberet Christi cultores, quos vinculatos inuenit in munitionibus, quas expugnauit, & in optione eorum posuit, vtrum in patriam suam redire vellent, an acceptis ab eo solidis sub ipso militare potius eligerent. Idem Christianos in tantum familiares habuit, vt custodes sui corporis constitueret eosdem: licet pater ipsius à Lascaro Græco fuisset interfectus. Manu tenuit etiam Myralyn filium Salahadini exhereditatum contra filios Saphadini, quantum Caliphas permittebat de Baudas Papa suæ gentis. Contriuit Dominus baculum impiorum, confregit cornu superborum, terribilis in consiliis super filios hominum, portas Damiatæ potenter aperuit. Ingredientibus nobis fœtor intolerabilis, aspectus miserabilis, mortui viuos occiderunt. Vir & vxor, dominus & seruus, pater & filius se mutuis fœtoribus interemerunt. Non solum plateæ erant mortuis plenæ, sed in domibus & cubiculis & lectis iacebant defuncti. Exstincto viro mulier impotens surgere, subleuandi carens subsidio vel solatio, putredinem non ferens expirauit. Filius iuxta patrem, vel è conuerso, ancilla iuxta dominam, vel vice versa, languore deficiens iacebat exstincta, paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Infantes ad vbera matrum pendentes inter amplexus morientium vocitabant. Delicati diuites inter aceruos tritici interierunt fame,

*Iconij.

Isaia 14.

Psal. 65.

Thren. 4.

deficientibus cibis, in quibus erant nutriti, pepones & allia, cepas & altilia, pisces & volatilia, & fructus arborum, & olera frustra desiderantes. Multitudo vulgi contracta vel molestia diutius fatigata deficiens aruit. Octoginta fere sicut à captiuis referentibus didicimus, à tempore quo perfecta est obsidio, perierunt in ciuitate, exceptis eis quos sanos vel languidos inuenimus quasi mortuos, quorũ trecenti spectabiliores vtriusq; sexus ad redemptionem captiuorum nostrorum reseruantur, alij sunt mortui post victoriam, alij magno pretio venditi, alij baptizati Christo donati sunt.

Ciuitas hæc gradatim murata, primũ murum habet humilem ad custodiam fossati, secundum altiorẽ, tertium eminentiorẽ secundo. Murus medius viginti octo turres habet principales, binas vel ternas testudines continentes, quæ omnes remãserunt integræ cum muris, præter vnam: quæ crebris tribuculis Templariorum ictibus concussa fuit aliquantulũ. Adeo enim exercitus noster ad pigritiam resolutus fuit, vt milites otio dediti negligerent opus Christi. Vulgus autem ad tabernas & negotiationes fraudulentas se conuertit. Cati duo, ad fossatum implendum magis sumptibus compositi fuerunt. Quorum vnus in custodia regis, alter in custodia Romanorũ combustus fuit.

Cum adhuc potentes essent in armis custodes ciuitatis, fossę duę subterraneæ factæ fuerunt, ad suffodiendum fundamenta munitionum. Sed labor iste frustratus est post expensas plurimas. Sic Dominus dare voluit ciuitatem integram sine damno capientium eam in virtute. In cõmune iurauimus omnes, vt absportata de ciuitate spolia redderentur inter victores diuidenda. Hoc etiam sub anathemate terribili fuit præceptum à Domino legato Apostolicæ sedis. Transgressores perpetuo remanebant infames, cum * Achor, qui furatus
* *Achã. Iosue 7.* fuit de anathemate Hiericho, computandi. Veruntamen concupiscentia oculorum plures fecit fures. Suscepimus tamen ad vtilitatem reipublicæ magnam partem delitiarum Aegypti in auro & argento, *perlis* & pomis ambræ, filis aureis, phylacteriis variis, pannis sericis pretiosis, sicut enumerat Isaias. *In die illa auferet dominus calceamentorum*
*Isaia 3.* *ornamenta & lunulas & torques, monilia & armillas, mitras & discriminalia, periscelidas & murenulas, olfactoriola & annulos, inaures & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, acus & specula, syndones & vittas, & teristra,* quæ omnia nemo dinumerare poterat.

Sed ad ponderandum multum impendimus, quæ distributa sunt per exercitum domini cum annona quæ reperta fuit in ciuitate. Legatus Apostolicæ sedis, Damiatam, cum suis appenditiis & pertinentiis omnibus regno Hierosolymitano concesit in perpetuum.

Macho-

Machomeria Damiatæ per inuocationem sanctæ Trinitatis mutata est in Ecclesiã beatæ Virginis in quadrum posita. Tanta fere eius latitudo, quanta longitudo eius consideratur; columnis sustentatur marmoreis centum quinquaginta minus vna, septem porticus habens, & in medio habens aperturam longam & latam, in qua pyramis alta sursum ascendit. Quatuor in ea principalia fundata sunt altaria, titulatorium beatæ Virginis primum. Principis Apostolorum Petri secundum: Sanctæ Crucis tertium. Beati Bartholomæi, in cuius festo turris fluminis capta fuit, quartum. Inuenti sunt in Damiata tribuculi quattuor cum petrariis & mangonellis plurimis, balistæ cum cornu fortissimæ, magnalium balistarum & arcuum propter multitudinem nescimus numerum. Insuper omne genus armaturæ fortium repertum Christianitati conseruatur. Aurum & argentum cum perlis & aliis rebus mobilibus non solum inter Cleros & milites, sed etiam inter satellites, mulieres & paruulos diuidebant proportionaliter. Turres ciuitatis distributæ inter regna, quorum bellatores conuenerunt ad eius captionem. Deducta fuit primo vna turris, sicut decuit & oportuit, quæ Romanæ fuit assignata Ecclesiæ, cum porta ipsius, quæ olim dicebatur Babylonica, appellatur Romana. Alia etiam turris archiepiscopo reseruatur Damiatæ.

Et sicut olim ciuitas Dei viuentis Hierusalem sancta, capta fuit ab hostibus nocte, sic Christiani ante diluculum Damiatam obtinuerunt. Instrumentum quo turris fluminis capta fuit, Theutonici cum Frisonibus in commune dederunt, de quo factus est pons nouus inter ciuitatem & castrum, quod construitur ad munimentum ripæ ciuitati contrapositæ. Duo castellula composita sunt ad custodiam pontis de eodem instrumento. Insuper de altis arboribus super quas scalæ pendebant, ædificatur specula super altitudinem castri noui ad indicandum portum longè nauigantibus. Pons vetus qui mediante insula vtramque ripam contingebat, obsidionis tempore multipliciter à Sarracenis fuerat attentatus, & à Christianis viriliter defensus, facto officio ad alios reseruatur vsus.

Non minori miraculo, imo maiori donauit Dominus Christianis Thanis, mense Nouembri in festo beati Clementis, qui habet habitaculum suum in mari. Nam missi exploratores, numero quasi mille viri in nauiculis per paruum fluuium, qui fluuius Thanis appellatur, vt de casalibus sibi tollerent victualia, & situm prædicti loci diligenter explorarent. Sarraceni, qui erant in præsidio castri, seratis portis fugerunt. Nostri vero solum Christum Capitaneum ibi-

dem habentes, templa erumpentes intrauerunt. Testati sunt nobis redeuntes se nunquam in palatio fortius castrum vidisse. Septem turres habet firmissimas testudinatas. Insuper per gyrum duplici fossato & vtroque murato cingitur, habens antemurale. Lacus sese diffundit in lacum per circuitum in tantum, vt aditus equitibus hyeme sit impossibilis, æstate difficilis, adeo vt per nostrum exercitum obsidione nunquam caperetur. Lacus piscosus est valde, de cuius piscariis Soldano Babyloniæ soluebantur annuatim quattuor marchæ argenti. A senioribus indicatum est nobis. Auibus & salinis abundat. Per circuitum casalia multa seruiebant ei. Ciuitas olim famosa, maior Damiata, ad castrum modo redacta, nunc etiam ruinosa magnitudine ædificiorum.

*Psal. 77.* Hæc est Thanis cuius campos meminit Propheta. *Coram patribus eorum fecit mirabilia,* &c. Et Isaias: *Stulti principes Thaneos, sapientes consiliarij Pharaonis dederunt consilium insipiens.* Hæc est Thanis, in qua lapidatus asseritur Hieremias. Destructa est Hierosolyma à Babyloniis, & Godolia ab Ismahele interfecto. Reliquiæ populi contra consilium Hieremiæ Prophetæ interfecti sunt, in AEgyptum Hieremiam secum ducentes, qui mansit cum eis in Thanis. *Sume lapides grandes & absconde eos in crypta, quæ est sub muro lateritio in porta domus Pharaonis,* &c. Postmodum locutus est eis Hieremias: *Hæc dicit Dominus Deus. Ego iuraui in nomine meo magno, quod omnes viri Iuda, qui sunt in terra Ægypti, gladio & fame peribunt, donec penitus consumantur.* Et insurrexit populus aduersus Hieremiam & lapidauerunt lapidibus, quos absconderat sub muro lateritio. AEgyptij honorauerunt Prophetam sepelientes eum iuxta tumulum regum. Oratione enim sua fugauerat Crocodilos. Alexander autem Macedo veniens ad sepulchrum Prophetæ, cognoscens loci mysterium, transtulit ipsum in Alexandriam & sepeliuit gloriosè. Crocodilos apud Damiatam inuenimus & interfecimus. Est autem bestia aquatica crudelis homines & iumenta deuorans, quæ solo visu apertis oculis oua sua fouet. Exclusi pulli statim fugiunt eam tanquam hostem, quos enim rapere potest statim glutit & deuorat. Et cum cætera animalia molam * fouent inferiorem, illud mouet contra naturam superiorem. Distat Thanis à Damiata itinere vnius diei per mare, versus terram promissionis, vt facilè sit de Acchon vel de Damiata per mare, per terram, per fluuium præsidium ibidem ponere vel victualia transmittere. Damna multa Christianis intulit in obsidione Damiatæ, quando naues ad nos accedentes vel recedentes à nobis, vi ventorum delatæ sunt illuc. Nam ante Tha-

*Isaia 19.* *4. Reg. 25.* *Hierem. 41.* *Hierem. 43.* *Hierem. 44.*

** mouent, Vel mouecant.*

Thanis littus maris arcuosum & importuosum sinum facit amplum & latum, in quem naues deuolutæ sine vento multum opportuno recedere non valent.

Coradinus reuersus in Palæstinam Cæsariense castrum obsedit, quod erat in custodia regis, & breui tempore cepit illud & destruxit, defensoribus illius negligenter agentibus, qui tamen ferè omnes euaserunt, quia liberum introitum & exitum habebant per mare. Deinde accessit ad castrum Filij Dei cum toto exercitu suo, & desiderans obsidere illud ex omni parte, sagaciter intellexit, quod comprehensibile non erat. Insuper Templarios ad omne periculum paratos inuenit, qui castrum victualibus & omni armatura fortiter munierant. Eodem tempore Templarij latrones Sarracenorum ab Acchon repulerunt viriliter, quosdam occidendo, alios captiuando. Coradinus autem auxilium postulabat à Sarracenis, qui ab ortu solis venientes obsederunt Acchon, quod efficere non poterant propter inexorabilem discordiam principum terræ ipsorum Christianis plurimùm opportunam, quam Calyphas Papa ipsorum sepelire laborabat.

Anno Incarnationis Domini millesimo ducentesimo vigesimo, Coradinus princeps Damasci destruxit Saphet castrum firmissimum, quod Salahadinus, flagellum Christianorum, per longam obsidionem in tantum arctauit, vt defensores fame deficientes, requisita licentia Magistri militiæ Templi redderent illud Tyranno. Quæ vox, quæ lingua valet retexere nobis multiplicata beneficia Saluatoris? quem bonitas inolita, & clementia naturaliter insita intrinsecus adueniens, Ecclesiæ continuata supplicatio, benignitatis oculo respicere castra fidelium suauitate deuotionis induxerunt. Ipsum lenit oratio, lachryma cogit.

Et cuius laudi non sufficit obstupescens in corde conscientia; quomodo sufficere poterit scribentis manus, aut loquentis lingua? Veruntamen coaceruare libet & admirari, licet modici temporis miracula, quæ descenderunt à patre luminum. Filij Israhel præsentes erant circumeuntes cum arca Domini, clangentes buccinis; & septimo die vociferantes, quando ceciderunt muri Hiericho, vt populus Domini liberũ haberet ingressum. Nos autẽ dormitauimus ante Damiatã pusillanimes & inertes, ad otium vnanimes & torpentes. Nihilominus ceciderunt muri Hierusalem & Montis Thabor, & Saphet, & aliarum munitionum nobis hostiliter aduersantium. Insu- *Iosua 6.*

Insuper Damiatam contra voluntatem quorundam Pseudochristianorum nobis donauit altissimus: adhuc & castrum inexpugnabile Thanis, cum victualium copia, in hostili terra de thesauro suæ largitatis obtulit, qui manna de cælo cultoribus suis in deserto præbuit.

*Exod. 16.*

Patet ergo omnibus hanc peregrinationem sanctam Deo gratam esse per euidentiam miraculorum acceptam. Erubescant & cōfundantur, qui stipendia summi regis receperunt ab Ecclesia, & negligenter militantes vel ante tempus recedentes, peregrinationem suam corruperunt, rationem reddituri Iudici Christo, qui nec decipi nec corrumpi potest. Excitentur pigri, qui votum suum non fuerunt executi. Ruina enim hominis *deuotare sanctos, & post votum retractare.* Quam excusationem afferent in die tribulationis & angustiæ, qui labores aliorum abstulerunt: interficientes animas, quas veri prædicatores viuificauerunt; qui propriæ consulentes auaritiæ, signa Crucis de humeris miserorum quos voti fecerunt transgressores, tulerunt? Reuertantur etiam ad mentem, quos accusat reatus, conuincit conscientia, pro eo quod falsas paupertates vel debilitates allegando religionem examinatorum circumuenerunt, quia solius Dei est secundum veritatem iudicium. Defraudatores eleemosynarum, quæ collatæ fuerunt in terræ sanctæ succursum, quia mentiti sunt Spiritui sancto, culpas suas texerunt, cum Anania & Saphira portionem habituri peribunt, & cum Iuda fure pessimo & Domini sui proditore punientur gehennaliter, quia proditores Christianitatis stipendia militantium sibi retinuerunt, dantes animas pro rebus transitoriis, quarum furtum suggessit cupiditas. Immemores Hierusalem matris nostræ, quæ prostrata iacens erigi desiderat à redeuntibus de captiuitate Babyloniæ.

*Prouerb. 20.* *Act. 5.* *Ioan. 12.*

Consolare ciuitas Domini, quia nationes ex longinquo ad te venient, & munera deferentes adorabunt Deum in te. Benedicti gaudebunt qui reparauerunt te. Tu autem lætaberis in filiis tuis, & beati omnes qui diligunt te & gaudent super pacem tuam.

*Isaia 49. & 60.* *Tobia 13.*

Factum est autem vertente anno quo solent reges ad bellum procedere: Ioannes rex Hierusalem castra fidelium reliquit multas causas prætendens ad excusationem sui, & festinatum reditum promittens, anteriorum oblitus ad posteriora se conuertit: aperiente manum Domino qui portum Damiatę repleuit vbertate vini, frumenti, & olei, adiuncta peregrinorum & equorum copia numerosa, vt ad pro-

progrediendum in negotio fœliciter inchoato, nulla locum habeat excusatio.

Superuenerunt in sexto passagio Mediolanensis & Cretensis Archiepiscopi, Iauenensis & Reginensis episcopi, & nuncij Regis Federici deferentes litteras cum bullis aureis, & aduentum ipsius annunciantes. Aderat episcopus Brictiensis & Italiæ militia copiosa. Legatus autem considerans non sine magno gratiæ priuilegio Diuinô munere sufficienter fuisse promissum in omnibus quæ requirebat negotij processus, angebatur dolore, quod tempus inutiliter præteriit & opportunitas tanta periit. Vnde conuocatis maioribus ipse primo loco, deinde Mediolanensis Archiepiscopus, & alij similiter Episcopi persuadere studentes progressum contra Soldanum, qui castra sua posuerat supra Nilum itinere vnius diei à Damiata: Sed milites habita deliberatione huic exhortationi contradixerunt, hanc maximè caussam prætendentes, quod Rex Hierusalem aberat pro suę voluntatis arbitrio: nec alius princeps militans aderat, cui gens diuersarum nationum obedire vellet, ad educendum populum domini, & sic concordabant ad otium, ex quo multiplicata sunt mala in castris. Mense Iulio superuenit Comes Matthæus de Appulia cum octo galeis. Quarum duas * cursarias insidiantes Christianis cepit in via maris.

* piraticas.

*Finis libri Tertij Historiæ Orientalis.*



AD-

# ADDENDA LOCIS NOTATIS.

## Lib. 1. cap. LXXVI. fol. 267. v. 9. imminutione.

Cyrillus in vita S. Euthymij Abbatis de se. *Decimo sexto anno, cum Monachorum suscepissem habitum, vehementiq; quietis, ac silentij tenerer desiderio & habitandæ solitudinis, quærebam honestam aliôquin occasionem, vt ea consequerer. Cùm nullam autem aliam inuenirem, præ me tuli, magno me teneri desiderio videndæ dedicationis Ecclesiæ Hierosolymitanæ; & petij, vt illuc ire liceret. Dimissus autem à præfecto, cum iam essem recessurus à metropoli Scythopolitarum, mater hoc mihi dat mandatum, vt nihil ex iis, quæ pertinent ad animam, ex me facerem, absq; admonitione, & consilio Ioannis silentiarij; ne fortè, inquit, statim ab initio imprudens irretiaris errore Origenistarum. Cùm ergò venissem in sanctam ciuitatem; & sacra quidem loca adorassem, in quibus Dominus propter nos moras traxit salutares; &, cum diuinæ quoq; crucis lignum adorassem, deinde ad eum me confero. Is autem cùm & mihi alia monita dedisset, & consilia, tandem hoc quoq; mihi præcipit: si vis, inquit, saluus esse, vade ad magni Euthymij monasterium, & in eo habita*, &c.

## Lib. 2. cap. 1. p. 359. v. 12. *auctor*.

*Bar. Tom. XI. in fine.*

Diuersa videtur illa ab eodem Nicodemo facta Crucis imago, de qua Illustrissimus Annalium scriptor, Anno Christi MXCIX. *Transferat se rursus oratio in Orientem in enarrandis quæ memoria digna post Hierosolymas expugnatas fieri contigerunt; & inter alia illud celebre de certitudine venerandæ imaginis* IESV *Christi Redemptoris nostri Crucifixi schemate regio picturæ antiquitus ad similitudinem eius expressæ, curante id scilicet (vt vetus traditio delapsa ad posteros firmiter testabatur) Nicodemo nocturno Christi discipulo, prout didicit, & retulit inde pius valdè vir, Stephanus nomine, patria Lucanus, qui religionis causa vnà cum aliis anno superiori (1098.) peregrinationem susceperat ad terram sanctam, quam acceperat à Gregorio quodam Syro homine, eaq; insigniter esse illustratam Lucanam in Tuscia ciuitatem, vbi hactenus religiosissimè conseruatur, apud quam & totius rei gestæ historia antiquitus scripta seruatur. Cur autem regio cultu, non, vt passus est, nudus, idem Redemptor noster fuerit expressus, à pluribus quæri scimus: quibus aliquando respondimus, id præstitum olim ab eo, ad euacuandum scandalum Crucis, & illustrandam magis gloriam Christi;*

*vt quem inter latrones audierint crucifixum, scirent re vera fuisse regem Iudaeorum, vnctum à Deo, eundemq; Regem Regum, ac Dominum dominantium, ita, inquam,* IESVM *Christum crucifixum Iudaeis scandalum, gentibus stultitiam, ea de causa pietas Nicodemi effigiandum curauit, & non honestatis causa tantum. Nam qui eius rationem habendam censuerunt, ipsum Dominum nostrum Redemptorem indutum solùm interula, siue indusio cruci affixum, siue sculptura, siue pictura repraesentare consueuerunt. Stet ergò veneranda sacrosancta imago Christi Regis in Cruce pendentis aduersus infelicissimos Iconoclastas semper loquens perpetuum ab exordio nascentis Ecclesiae monimentum transmissum ad posteros.*

## Lib. 2. cap. 35. p. 473. v. 16. *negauerim.*

Michaël Cerularius in Epist. ad Petrum Patriarcham Antiochenum apud Baron. Tom. XI. Anno Christi 1054. Num. 30. de Humberto aliisque Leonis IX. Pontificis ad Constantinopolitanos Legatis. *Cum cruce & sceptris regium ingrediuntur Palatium.* Ex quo colligitur, etiam Legatis Apostolicae sedis crucem esse praelatam.

## Lib. 2. cap. 37. p. 484. v. 26. *deputant.*

Nequeo hic tacitus praeterire nouum quoddam commentum, ex Suida concinnatum. Suidas. v. *Maxentius.* ἴδεν ἐν τῷ ἱερανῷ σύλον πυρὸς σαυροειδῆς γράφοντα, ἐν τούτῳ νίκα. Sylburgius in Notis ad Suidae collectanea legit. σαυροειδῶς, vt sensus sit; ipsam scripturam fuisse in Crucis schema conformatam, hoc modo.

| | |
|---|---|
| IN | EN |
| H O C | T O Y T Ω I |
| VIN | NI |
| C E. | KA. |

Sed legendum, σαυροειδῆς, hoc enim dicit Suidas: *Constantinum Magnũ vidisse in caelo columnam ignis in crucem effigiati,* γράφοντα. *scribentem*, hoc est, in qua columna scriptum erat. *In hoc vince.* Nam vox γράφοντα referri debet ad vocem, σύλον, & vox σαυροειδῆς ad vocem πυρός. Et hoc cum aliis consonat; qui columnam illam vocant τύπον σαυρικὸν, inter quos est Zonaras ab ipso Sylburgio citatus. Nullus enim veterum scribit, ipsas literas huius commonitionis: IN HOC VINCE; Crucis speciem praetulisse.

## Lib. 2. cap. 64. p. 577. v. 33. *aequauit.*

*Anno Christi Incarnati octingentesimo octogesimo octauo*, inquit Rudolphus Glaber, *contigit in vrbe Aureliana Galliarum admodum memorabile, atque formidolosum portentum. Constat ergò in eâdem vrbe monasterium in hono-* Glab. lib. 2. c. 5.

*rem Apostolorum principis antiquitus constitutũ in quo primitus Collegium sanctimonialium virginum omnipotenti Deo deseruisse dignoscitur, quod etiam exinde cognomento, Puellare dicitur. In cuius deniq; monasterij medio defixum stabat Crucis vexillum, præferens ipsius Saluatoris pro salute humana mortẽ patientis imaginem. A cuius scilicet imaginis oculis per aliquot dierum spacium continuè, multis cernentibus, riuus emanauit lachrymarum. Ad quod nimirum terribile spectaculum inspiciendum multitudo maxima conuenit hominum: plerig; tamen cum illud cernerent, admodum animaduertentes, quoddam esse diuinitatis præsagium, videlicet illius vrbis superuenturæ calamitatis.*

Narrat deinde Rudolphus calamitatem, quæ non longo pòst tempore secuta est.

## Lib. 2. cap. 67. v. 9. admittat.

Græci, occasione consuetudinis adorandi Crucem in Parasceue arripuerunt occasionem insectandi Latinos. Quia enim imagines sanctorum & Crucifixi teguntin Quadragesima, ipsamque Crucem velo velatam in Parasceue proferunt; & paulatim, velo abducto, denudant, hoc commentum Græci aduersus Latinos commenti sunt, vt habetur in tractatu quodam Latino Constantinopoli Anno Domini M. CC. LII. scripto, *Venerabilem quidem Crucem in aliis diebus in Ecclesia vident & adorant, in sancta Quadragesima velant sindonibus*, (& tamen publicè & priuatim etiam eo tempore proponuntur Crucifixi imagines, præsertim pictæ) *cum qua occultant Alleluia.* (imò citius, quia Alleluia cessat Dominica Septuagesimæ, Crucis imagines & aliæ teguntur pòst demùm in capite ieiunij, seu die Cinerum.) *Et in sancto magno Sabbatho* (imò in Parasceue) *de penetralibus educentes ipsam, tanquam de sepulchro resurgentem demonstrant populo, & de subito magno clamore cantant Alleluia.* (Nugæ, fabulæ Græcanicæ, non enim cantatur Alleluia, cum Crux populo adoranda proponitur, vt omnibus notum est; qui in Latinorum Ecclesiis non sunt planè hospites.

*Exstat in Biblioth. Bauarica.*

In supradicto libro exstat Catalogus dogmatum & institutorum, quæ Latini Græcis vitio vertunt, in eo Auctor calumniam de Cruce ita refellit. *Quod in magno Palatio Constantini diligentissimè obseruatur hoc Latinos facientes arguunt. In Ecclesia vtiq; dicti Palatij, vbi sanctæ constituuntur Reliquiæ, sanctæ Dei genitricis imago post altare sita; quam quodam excellentiæ priuilegio vocant,* DOMINAM DOMVS, *statim à Capite ieiunij in conclaui clauditur, vsq; ad magnum Sabbathum & panno illius portæ operiuntur; simulq;* quorundam aliorum Sanctorum *locos Quadragesimæ tempore, vsq; ad illud Sabbathum velaminibus tectos custodiunt.*

Lib. 3.


## Lib.3. cap.7. p.641. v.32. vidit.

Theodoricus Abbas de S. Hildegardis obitu. *Deus, cuius meriti apud se esset, in transitu suo euidenter declarauit. Nam, supra habitaculum, in quo sancta virgo primo crepusculo noctis Dominicæ diei, felicem animam Deo reddidit, duo lucidissimi, & diuersi coloris arcus in firmamento apparuerunt, qui ad magnitudinem magnæ plateæ se dilatauerunt, in quatuor partes terræ se extendentes, quorum alter ab Aquilone ad Austrum, alter ab Oriente ad Occidentem procedebant. At in summitate, vbi hi duo arcus iungebantur, clara lux ad quantitatem lunaris circuli emergebat, quæ latè se protendens, tenebras noctis ab habitaculo depellere videbatur. In hac luce crux rutilans visa est, primùm parua: sed crescendo postea immensa, circa quam innumerabiles varij coloris circuli, in quibus singulis singulæ, rutilantes cruciculæ oriebantur cum circulis suis, priore tamen minores conspiciebantur. Et, cum hæ in firmamento se dilatassent, latitudine sua ad Orientem magis pertingebant, & ad terram versus domum, in qua sancta Virgo transierat, declinare visæ, totum montem clarificabant. Et credendum, quod hoc signo Deus ostendit, quanta claritate dilectam suam in cœlestibus illustrauerit.* Tom.5. Sur.

## Lib.4. cap.1. p.3. v.38. *cerui.*

Græculus quidam in recensione abusuum Latinorum, vt ipse vocat; *μετὰ τῶν πέντε δακτύλων πλαγίως πῶς σταυρὸν τάχα τυποῦσι, καὶ τὴν ὄψιν οὕτω κατασφραγίζουσιν. Latini quinque digitis obliquè quodammodo & celeriter Crucem efformant. Et hac ratione faciem suam consignant.* Et tamen iste ipse Græculus infrà clamitat. *τῷ ἑνὶ δακτύλῳ τὸ πρόσωπον σφραγίζουσιν ἀπὸ τῶν ἀριστερῶν ἐπὶ τὰ δεξιὰ καταλήγοντες. Vno digito faciem consignant, à sinistris in dexteram desinentes.* Si quinque digitis se consignant, quî vno? Et si vno, quî quinque?





# INDEX RERVM, QVAE IN POSTERIORIBVS DVOBVS LIBRIS, QVARTO VIDELICET ET QVINTO, PRIMI TOMI DE S. CRVCE, continentur.

Arse-

*Cæsa-*

Con-

S. Da-

Frons

Incan-

seipsum

Ruthe-

à vi-

S. Ve-

# FINIS.

## Errata.

Pag. 23. v. 14. Frons. 94. 23. Simonem. 176. 15. nullius. 229. 13. infirmor.



# CALLISTI PATRIARCHAE CONSTANTINOPOLITANI

*HOMILIA*

IN EXALTATIONEM SANCTÆ CRVCIS.

*GEORGII MITYLENÆI*

Homilia in ſacroſanctam Chriſti Domini noſtri paſſionem.


*Ex*


*CÆSAREA BIBLIOTHECA VIENNENSI NVNC PRIMVM GRAECE ET LATINE EVVLGATA.*

*A*


IACOBO GRETSERO

SOCIETATIS IESV THEOLOGO.






# LECTORI.



*HAS duas orationes, in laudem Crucis & Crucifixi olim dictas, misit ad me ex Austria vir clarissimus, Graecaeq; linguae & aliarum orientalium studiosissimus, Dominus* Sebastianus Tengnagel *Caesareae Bibliothecae Viennae praefectus, & , vt beneficium cumulatius meum, mi lector, agnoscas, ipsemet, posthabitis reliquis negotiis, manu sua ex codicibus antiquis diligentissimè exscripsit. Quod te scire volui, vt ob hanc Mantissam ad primum de S. Cruce Tomum adiectam, non tam mihi, quàm doctissimo huic viro grates gratias agas: Licet enim hae duae Homiliae ad secundum Tomum propriè pertineant, quia tamen incertum est, quandonam praelum rursus sit subiturus; diutius earum editionem prorogare non libuit. Suo tempore loco suo collocari & stationem inter caeteras de sancta Cruce Orationes Graecolatinas sortiri poterunt.*


*Auctores sunt Callistus Patriarcha Constantinopolitanus & Georgius Mitylenaeus, proculdubio, Metropolita vel Episcopus, tametsi codex manuscriptus id non exprimit. Duos inuenio Patriarchas Constantinopolitanos nomine Callisti; alterum sub Ioanne Cantacuzeno Anno Christi M. CCC. L X. vt habet Chronicum Iuri Graeco romano praefixum, de quo Callisto multa ipse Cantacuzenus lib. 3. cap. 34 lib. 4 cap. 16. 23 24. 26 27. 42. 47. 49 50.*

*Alter Callistus Patriarcha Constantinopolitanus vixit Anno M. CCC. VI. sub Manuele II. Palaeologo, de quo paulo ante nominatum Chronicum. Vtrum ex his duobus Homiliae huius statuemus Auctorem? Priorem, opinor: quia valdè lamentabiliter queritur de vrbium euersione, suo auo. Quae threnodia maximè competit in tẽpora primi illius Callisti, cum bellis partim ciuilibus inter Cantacuzenum & Ioannem Palaeologum postea inter hunc & Cantacuzeni filium Matthaeum gestis, & tot Barbarorum vel spontaneis incursionibus, vel ad socia arma euocationibus tantae vrbes sunt exspoliatae, deuastatae, & in solitudinem redactae, vt intelliges ex ipsius Cantacuzeni Historia, si legere velis. De Georgio Mitylenensi, alterius Homiliae Auctore, nil me legere memini.*



# ΤΟΥ ΑΓΙΩΤΑΤΟΥ ΠΑΤΡΙΑΡΧΟΥ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥΠΟΛΕΩΣ ΚΥΡΟΥ ΚΑΛΛΙΣΤΟΥ ΟΜΙΛΙΑ, ΕΙΣ ΤΗΝ ὕψωσιν τοῦ τιμίου καὶ ζωοποιοῦ σταυροῦ.

*Ex Biblioth. Cæsar. Vien. N.164. fol. 206.*




Ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, βουλόμενος δεῖξαι πρὸς ἡμᾶς τὴν ἄκραν αὐτοῦ ἀγάπην καὶ ἀγαθότητα, παραβάτας γεγονότας καὶ τῷ θανάτῳ καταδίκους, τὴν ἀνάπλασιν ἡμῖν ἀπορρήτως καὶ ξενοπρεπῶς χαρίζεται. Οὐδὲ γὰρ ἐν τῶν ἀγγελικῶν ταγμάτων ἀποστέλλει διορθώσασθαι τὴν ἡμετέραν ἔκπτωσιν, οὐδὲ τῶν Ἀρχαγγέλων τινὶ προστάττει τὸ τοιοῦτον λειτούργημα, οὐκ ἄλλῳ ἑτέρῳ τῶν ἄνω δυνάμεων, ἀλλ' (ὢ τῆς ἄκρας πρὸς ἡμᾶς αὐτοῦ φιλανθρωπίας καὶ ἀμέτρου ἀγάπης) τὸν μονογενῆ υἱὸν αὐτοῦ, ὑπὲρ ἡμῶν εἰς θάνατον δίδωσιν, ἵνα ζωοποιήσῃ ἡμᾶς. ὥσπερ γὰρ ἐπὶ πόλεώς τινος λῃστρικῶς ἐπισπηδήσας τις καὶ ἐπικαθίσας αὐτῇ, εἶτα τοῦ κυρίου αὐτῆς ἀθρόως παραγινομένου καὶ εἰσελθόντος εἰς τήνδε τὴν πόλιν, ὁ τύραννος ἐκεῖνος οἴχεται φεύγων, ἢ καὶ κατακρυπτόμενος ἐν ἀβάτοις τισὶ τόποις καὶ ἀποκρύφοις. οὕτω δὴ καὶ ὁ μονογενὴς τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς λόγος, φιλανθρώπως ἐπιδήμησε πρὸς τὴν ἑαυτοῦ πόλιν, τὴν μικρὰν ταύτην καὶ εὐτελῆ, τὴν ἡμετέραν δηλαδὴ ἐσχατιάν, λαθὼν τὸν ἀρχέκακον Διάβολον, ὅπως συντρίψῃ τὴν δυναστείαν αὐτοῦ, καὶ ἀποδιώξῃ τοῦτον τῆς ποίμνης καὶ πόλεως, ἣν λῃστρικῶς διὰ τὴν παράβασιν ἐπεκάθισε.

Καὶ διὰ τοῦτο καινοτομοῦνται φύσεις, καὶ Θεὸς ἄνθρωπος γίνεται. Οὐκ ἐβούλετο γὰρ ὁ δημιουργὸς τῆς ἡμετέρας φύσεως, εἰς τὸ ἑξῆς ἡμᾶς τυραννεῖσθαι παρὰ τοῦ διαβόλου, οὐδ' εἰς μακρὰν τὴν ἀποστροφὴν αὐτοῦ καὶ δικαίαν πρὸς ἡμᾶς ἀγανάκτησιν, * ἀποκλεῖναι ἣν ἀπειργάσατο ἡ παρακοὴ καὶ παράβασις καὶ ἡ πικρὰ συμβουλὴ τοῦ ὄφεως, καὶ προεξένησεν εἰς ἡμᾶς ἐκβληθέντας, φεῦ, καὶ μακρὰν γεγονότας τῆς δόξης αὐτοῦ καὶ ἀθανάτου τρυφῆς.

* Leg. ἀποθεῖναι.

Διὸ καὶ παραχωρεῖ τὴν σφαγὴν τοῦ ἀγαπητοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν. παραχωρεῖ δὲ πῶς; ἐν ἐμπαιγμοῖς καὶ μάστιξι, καὶ ὀνείδεσι, καὶ κολαφισμοῖς ποικίλοις, καὶ θανάτῳ ἐφυβρίστῳ καὶ ἀτίμῳ διὰ σταυροῦ,

καὶ



# HOMILIA CALLISTI PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI IN EXALTATIONEM PRETIOSÆ & viuificæ Crucis.



CVM vellet Deus & pater Domini nostri IESV Christi summam charitatem & benignitatem erga nos transgressores & damnationi obnoxios demonstrare, reparationem nostram ineffabili prorsus & inaudito modo instituit: Neque enim aliquem ex Angelorum ordinibus ablegauit, qui nos à lapsu in integrum restitueret; neque Archangelorum alicui hoc ministerium commisit, neque alteri cuipiam ex cælestium virtutum numero, sed, ô eximiam diuini Numinis humanitatem, & immensam charitatem, vnigenitum filium suum pro nobis in mortẽ tradidit, vt nobis vitam redderet. Quemadmodum enim si quis, prædonum in morem, impetum in ciuitatem aliquam faciat, eamq; obsideat; Domino ex improuiso superueniente, & in vrbem ingrediente, tyrannus fugam arripit, & in inaccessis occultisque locis sese occulit; sic & vnigenitus Dei filius & patris verbum; clementer ciuitatem suam inuisere, humilemque nostram & abiectam casam subire voluit; Diabolo malorum satori auctorique incognitus, vt potentiam eius contereret, eumque à grege & vrbe, quam latronis ritu, propter præuaricationem, obsessam tenebat, auerteret.

Eam ob caussam innouantur naturæ, & Deus fit homo. Noluit enim rerum omnium conditor pati, vt diutius à Diaboli tyrannide opprimeremur; neque auersionẽ suam à nobis & iustam indignationem longius proferre, cuius caussa exstiterant inobedientia, transgresio, & amara illa serpentis suggestio, quæ iram Dei in nos iam repudiatos, & à gloria eius, deliciisque immortalibus longè abactos concitarunt.

Quamobrem, nostræ salutis amore ductus cædem dilecti filij sui patrari permittit. Et quomodo permittit? Variis cum illusionibus, flagellis, opprobriis, colaphis, & per mortem non qualemcunque, sed ignominiosam & turpem Crucis non sine latronum consortio.

καὶ μετὰ λῃστῶν παρανόμων. βαβαὶ τῆς Ἰουδαϊκῆς ἀθλιότητος καὶ μανίας αὐτῶν, καὶ πονηρᾶς ἕξεως καὶ γνώμης ἀχαρίστου, ὅτι τὸν δίκαιον καὶ ἀναμάρτητον μετὰ λῃστῶν κατακρίνουσι, καὶ ἐπὶ ξύλου τανύουσιν. οὐκ ἠβούλοντο γὰρ οἱ φθόνῳ καὶ βασκανίᾳ βαλλόμενοι, ὀνομάζεσθαι υἱὸν Θεοῦ, καὶ προσκυνεῖσθαι αὐτὸν ὡς Θεόν. Ὁ οὖν κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς καὶ Θεὸς καταδέχεται πάντα μακροθύμως, ὁρῶν τῆς τοῦ διαβόλου εἶναι καὶ ταῦτα πονηρᾶς συμβουλῆς, ᾗ ποτε ἐχρήσατο ἀπατήσας τὴν Εὔαν. οὕτω δὴ ἡ καὶ τοῖς Ἰουδαίοις ψιθυρίσας κατέχεε τὸν ἰὸν αὐτοῦ ἅπαντα ἐν αὐτοῖς. διὸ καὶ ἐνέπλησε τὰς τούτων ψυχὰς ζόφου ἀμαυρώσας τῷ ψεύδει τὰς ἑαυτῶν καρδίας, ἵνα μὴ γνῶσι καὶ ἴδωσι τὸν τῆς δικαιοσύνης ἥλιον. καὶ προσκυνήσωσιν αὐτόν. ἀλλ' ἐκεῖ μὲν συμβουλεύσας τῷ ἀνθρώπῳ τὴν ἰσοθεΐαν, ἵνα γυμνώσῃ καὶ ξένον ἐργάσηται τῆς θεϊκῆς δόξης καὶ τοῦ χωρίου ἐκείνου. ἐνταῦθα δὲ ὑποβάλλει καὶ διεγείρει τοὺς Ἰουδαίους πρὸς φόνον, ἵνα διὰ τῆς τοῦ σταυροῦ προσηλώσεως, τέλεον ἀποκλείσῃ τὸν Σωτῆρα. ἐπειδὴ καὶ διενοεῖτο καὶ ἐφαντάζετο καθάπερ γόης, εἶναι τοῦτον Θεόν· τὸ δὲ τῆς ἀποστασίας σκότος οὐκ εἴα ἰδεῖν ἢ ἐννοῆσαι αὐτὸν, ὃν ἀπώλεσε καὶ οὗ ἀπερράγη τοῦ βασιλέως πάντων αἰώνων τε καὶ πνευμάτων. καὶ διὰ τοῦτο ἤρθη καὶ ἐξέπεσε τοῦ χοροῦ τῶν ἀγγέλων καὶ τῆς μακρᾶς ἐκείνης καὶ ἀθανάτου τρυφῆς μακρὰν γέγονε, δι' ἣν εἶχεν ὑπερηφανίαν καὶ ἔπαρσιν.

Ἀλλὰ τί γέγονε καὶ εἰς τί ἀπετελεύτησε τὰ ἔνεδρα τοῦ πονηροῦ; ἐν οἷς ἀρχῆθεν ἐπιβουλεύσας ἐτύγχανεν. ἐν τούτοις ἐπτερνίσθη καὶ κατέπεσε πτῶμα ἐξαίσιον διὰ τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ Θεοῦ ἀνίσχυρος, καὶ ὡς στρουθίον παιζόμενον φανεὶς, ἡ πτῶσις δὲ αὐτοῦ γέγονεν ἐλευθερία τοῖς πᾶσιν. ὥσπερ καὶ ἡ τούτου συμβουλὴ ἡ πρὸς τοὺς Ἰουδαίους ἀνάκλησις ἐγεγόνει, καὶ παντελὴς ἐλευθερία τῇ φύσει τῶν ἀνθρώπων. ὁ γὰρ θάνατος τοῦ Χριστοῦ, τὴν ἡμῶν ἁμαρτίαν ἐθανάτωσε καὶ ἀπώλεσεν. ἡ δὲ τοῦ σταυροῦ ἄνοδος, τὴν πρὸς οὐρανοὺς ἀνάβασιν ἡμῖν ὑπέδειξεν. ἡ δὲ τῶν χειρῶν ἔκτασις, ἐδήλου τὴν πρὸς ἡμᾶς ἄκραν αὐτοῦ ἀγάπην, ἵνα τὰ διεστῶτα χειρώσηται καὶ εἰς ἓν συνάψῃ ὥστε διὰ τὴν ὁμόνοιαν, καὶ θανάτου καταφρονεῖν ἡμᾶς. ὁ ἀγαπῶν με γάρ φησι, τὰς ἐντολάς μου τηρήσει,
* ὑμετέραν. τουτέστι τὸν ἐπονείδιστον θάνατον τοῦτον, καὶ ὅσα διὰ τὴν * ἡμετέραν ἀγάπην πάσχων ὑπέμεινα· ἡ δὲ λέγχη, τὴν ὀδύνην ἐκείνην τῆς καρδίας ἣν ἐδέξατο ὁ Ἀδὰμ τῇ πικρᾷ ἐξορίᾳ, ἥτις νῦν ἡμῖν γέγονε γλυκασμὸς καὶ εὐφροσύνη. τὸ γὰρ ἐκ τοῦ Σωτῆρος ῥυὲν αἷμα καὶ ὕδωρ νῦν πινόμενον, ἁγιάζει καὶ μετόχους ἡμᾶς πνεύματος ἁγίου καὶ χάριτος ποιεῖ.

Πότε δὲ τὸ μέγα τοῦτο καὶ φρικτὸν ἐτελέσθη μυστήριον; ἐν ὥρα φησὶν ἕκτῃ, καθ' ἣν σκότος ἐγένετο ἐφ' ὅλην τὴν γῆν, ἕως ὥρας ἐννάτης καὶ ἐσκοτίσθη ὁ ἥλιος,

Prô Iudæorum miseriam, furorem, improbitatem, & summam ingratitudinem; qui ausi fuerint iustum, omnisque peccati expertem, damnare cum latronibus, & in ligno suspendere. Renuebant, inuidia & liuore percussi, nomine filij Dei, & diuino cultu eum venerari. At Dominus noster IESVS Christus omnia hæc constanter & patienter tolerabat, animaduertens etiam ista non aliunde proficisci, quàm ex nefario illo consilio, quo olim Euam in fraudem serpens induxerat. Idem prorsus Iudæis omne suum virus inspirabat, & per corda diffundebat, repletis eorum animis caligine, & mendaciorum nebulis obscuratis, ne viderent & agnoscerent iustitiæ solem, eumque adorarent. In Paradiso quidem pollicebatur homini æqualitatem cum Deo, vt eum à diuina gloria & beatis illis sedibus extorrem faceret. Hic autem suscitat Iudæos ad cædem, vt per Crucifixionem ipsum Saluatorem interficiat. quandoquidem animo secum, instar præstigiatoris, reputabat, hunc esse Deum. At vero tenebræ, quibus ob defectionem suam spiritus ille malus inuolutus est, non sinebant vt veniret in cognitionem eius, quem olim amiserat, & à quo, tanquam Rege omnium seculorum & spirituum, auulsus fuerat; propterea elatus est, & excidit ex choro Angelorum, longè ab immortali illa felicitate submotus; cuius gratia tam altos spiritus conceperat.

Quis verò harum insidiarum exitus fuit? Iisdem laqueis, quos aliis tetenderat ipse captus, & supplantatus, & ad irreparabilem casum deductus est; viribus vniuersis per incarnationem Saluatoris destitutus, & non aliter ac infirmus passerculus ludibrio expositus: cuius ruina ad communem omnium libertatem redundat: quemadmodũ itidem consilium, quod Iudæis necandi Christi suggessit, communis fuit totius humani generis reparatio & instauratio. Nam mors Christi, peccata nostra occidit ac obliterauit. Ascensus in Crucem, monstrauit nobis ascensum in cælum. Manuum extensio, indicabat immensitatem amoris Christi erga nos, vt quæ disiuncta erant apprehenderet, & in vnum coagmentaret, vt propter coniunctionem cum illo nos quoq; mortem aspernaremur. Ait enim: *Qui me diligit, sermonẽ meum seruabit*, hoc est, ignominiosam hanc mortem obibit, & alia omnia, quæcunque ex amore vestri sustinui. Lancea significabat acerbũ illum cordis dolorem, quo Adamus ob eiectionem ex paradiso afflictus est, qui nobis in dulcedinẽ & iucunditatẽ abiit. Sanguis & aqua quæ ex Redẽptoris latere manarunt; nos sanctificant, sanctiq; spiritus & gratiæ diuinæ nos participes faciunt, quãdo nunc à nobis sumũtur. *Ioan. 14.*

Et quando magnũ tremendumq; hoc mysteriũ peractum est? *Hora*, inquit, *sexta, quà & tenebræ factæ sunt super vniuersam terrã, vsq; ad horam nonã.* *Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23.*

*sol*

ὁ ἥλιος, καὶ ἐσχίσθη τὸ καταπέτασμα τοῦ ναοῦ μέσον, καὶ φωνήσας φωνῇ μεγάλῃ ὁ Ἰησοῦς εἶπε· πάτερ εἰς χεῖράς σου παραθήσομαι τὸ πνεῦμά μου. καὶ ταῦτα εἰπὼν ἐξέπνευσε. τὸ γοῦν ἕκτην ὥραν εἰπεῖν τὸν Εὐαγγελιστήν, θύραν ἡμῖν ὑπανοίγει ὁ εὐαγγελικὸς λόγος τῆς ἀληθείας, τοῦ ἀναπετάσαι τὴν διάνοιαν ἡμῶν ἐκεῖσε, ἔνθα ἡ τοῦ Ἀδὰμ πτῶσις γέγονε, καὶ ἐν ᾗ ὥρᾳ ἡ δικαία καταδίκη καὶ ἐξορία τοῦ ἀνθρώπου προσεγίνετο. ἵνα τοῦτο κατὰ νοῦν ἔχοντες, σωφρόνως καὶ ἀμέμπτως τὸν βίον διανύωμεν, καὶ μὴ τῇ λήθῃ τραπέντες καὶ ἀπονυστάξαντες προσκρούσωμεν Θεῷ διὰ τῆς πικρᾶς πάλιν γεύσεως, τῆς ἡδονῆς φημι, ἥτις ἐστὶ ῥίζα πάντων τῶν κακῶν. ταύτης γὰρ τὸν προπάτορα ἡμῶν ἀπολεσάσης, ἀκάνθας καὶ τριβόλους καταδικάζεται ἡ γῆ ἀνατέλλειν τοῖς ἔργοις αὐτοῦ, ὡς καὶ ἐν ἱδρῶτι τοῦ προσώπου τὸν ἄρτον ἐσθίειν. διὰ τοῦτο καὶ καθ' ἑκάστην ἡμέραν οὐ καταλιγωροῦμεν ψάλλειν καὶ εὔχεσθαι, ὡς ἐν ὑπομνήσει τοῦτο τιθέμενοι, τό, ὁ ἐν ἕκτῃ ἡμέρᾳ τε καὶ ὥρᾳ τῷ σταυρῷ προσηλώσας τὴν ἐν τῷ παραδείσῳ τολμηθεῖσαν τῷ Ἀδὰμ ἁμαρτίαν, καὶ τῶν πταισμάτων ἡμῶν τὸ χειρόγραφον διάρρηξον Χριστὲ ὁ Θεὸς καὶ σῶσον ἡμᾶς.

Ὁ δὲ σκότος ἐγένετο ἐφ' ὅλην τὴν γῆν, δείκνυσι τοῦτο εἶναι τὸ σημεῖον ὅπερ πρότερον ἐζήτουν οἱ Ἰουδαῖοι τὸ κάλυμμα περιφέροντες ἐν ταῖς ἑαυτῶν ψυχαῖς,

*In apographo Græco repetuntur hæc verba.* * ὃ πρότερον ἐζήτουν οἱ Ἰουδαῖοι, τὸ κάλυμμα περιφέροντες ἐν ταῖς ἑαυτῶν ψυχαῖς, ὃ πρότερον ἐπὶ τοῦ Μωσέως ἦσαν τοῖς ὀφθαλμοῖς περιθέμενοι, καὶ μὴ δυνάμενοι ὁρᾷν τὸν ποιητὴν καὶ δημιουργὸν τῆς κτίσεως, νεκροὺς ἀνιστῶντα, δαίμονας ἀπελαύνοντα, τυφλοῖς βλέπειν διδόντα, καὶ παραλύτους συνέχοντα καὶ ἰώμενον, ἀλλὰ καὶ σημεῖον αἰτοῦσιν ἐξ οὐρανοῦ. διὰ τοῦτο καὶ δίδοται αὐτοῖς τὸ μέγα σημεῖον καὶ παράδοξον, τό, σκότος γενέσθαι ἐφ' ὅλιν τὴν γῆν μέσης ἡμέρας, τὸ ἀσυνήθες καὶ μηδέποτε γεγονὸς ἢ ἀκουσθέν.

Σχίζεται δὲ καὶ τὸ τοῦ ναοῦ καταπέτασμα τὴν Ἰουδαϊκὴν ἀλογίαν ἐλέγχον, καὶ καλῶς τὸν μεγαλοφωνότατον Ἡσαΐαν ἐπιστηρίζον, ἔγνω βοῦς τὸν κτησάμενον, φάσκοντα, καὶ ὄνος τὴν φάτνην τοῦ κυρίου αὐτοῦ. Ἰσραὴλ δέ με οὐκ ἔγνω. γίνεται δὲ ἡ τῶν στοιχείων τοιαύτη καινοτομία, ἵνα συνήσωσι, καὶ ἐπιστρέψωσι, καὶ γνῶσιν, ὅτι Θεὸς ἦν ὃν ἐσταύρωσαν καὶ ἐνέπαιξαν, καὶ ἄφεσιν λάβωσιν, ὧν εἰς αὐτὸν ἐπλημμέλησαν. ἀλλὰ κατὰ τὴν παροιμίαν, Αἰθίοψ οὐ λευκαίνεται, καὶ καρκῖνος ὀρθὰ βαδίζειν οὐ μεμάθηκεν. ἀλλὰ σιδήρου καὶ λίθου παντὸς σκληρότεροι ἀπηλέγχθησαν, καθὰ καὶ τῶν ἀλόγων ἐκείνων ζώων ἀναισθητότεροι.

*Sol obscuratus, velum templi scissum per medium*; quando etiam IESVS voce magna clamans dixit: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Quibus dictis, exspirauit. Quod ait; *Hora sexta*: fores nobis Euangelista pandit, vt nostram intelligentiam eò transferamus, vbi Adami lapsus contigit, & ad horam qua iusta Dei sententia damnatus, & à Paradiso proscriptus fuit; vt his ima mente repositis, sobriè & inculpatè hanc vitam transigamus, neque per obliuionem & oscitantiam iterum in offensam Dei incurramus, per amarum illum gustum; per voluptatem, inquam, omnium malorum radicem; quæ cum primum parentem nostrum in exitium misisset, terra, iusto Dei iudicio, laboribus eius spinas & tribulos reponit, atq; in sudore vultus sui panem manducare cogitur. Quapropter nunquam intermittamus decantare, & in recenti memoria habere illud: * *Qui sexta die & hora cruci patratum in Paradiso scelus affixisti, nostrarum itidem culparum chirographum disrumpe Christe Deus, & salua nos.* Ioan. 19. * Canticum Græcis vsitatum.

Tenebræ per vniuersam terram diffusæ, sunt vice illius signi, quod prius exquirebant Iudæi, circumferentes adhuc in cordibus suis velamen illud, quod olim Moysis faciem velauerat; Quo factum, vt cernere nequirent rerum effectorem ac conditorem, mortuos excitantem, Dæmonas expellentem: cœcis lumen reddentem, Paralyticos curantem; sed signum petebant de cœlo. Ea propter datum est illis ingens hoc & inopinatum signum: *Tenebræ factæ sunt super vniuersam terram*, medio die. Quod prorsus inusitatum erat, neque vnquam prius factum vel auditum. Matth. 27. Mar. 15. Luc. 23.

Scinditur insuper velum templi, Iudaicam insipientiam redarguens; & oraculum illud grandiloqui Isaiæ confirmans: *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui; Israël verò me non cognouit.* Porro elementorum tam noua & admirabilis immutatio eâ caussâ euenit, vt intelligerent, & conuerterentur, & cognoscerent eum, quem in crucem egerant, esse Deum, eorumque, quæ in ipsum perpetrarant, remissionem acciperent: at ex veteri verbo; AEthiops non candesit, & cancer non didicit rectà incedere, nam ferro & saxis duriores, & animantibus ratione destitutis stupidiores sese comprobarunt. Isaia 1.

Καὶ ἐσκοτίσθη ὁ ἥλιος, καὶ ἐσχίσθη τὸ καταπέτασμα τοῦ ναοῦ μέσον. ἐπειδὴ καὶ τοῦτο ἔθος ἐστὶ τοῖς Ἰουδαίοις, ἐν ταῖς μεγάλαις συμφοραῖς αὐτῶν διαῤῥηγνύναι τὰ ἱμάτια, ὡς καὶ Καϊάφας τοῦτο ποιεῖ διαβάλλων τὸν κύριον ὅτι ἐβλασφήμησε. καὶ ὁ μὲν ἥλιος οὐκ ἐσχίσθη, ἀλλ' ἐζοφώθη μὴ φέρων βλέπειν τὴν ἄδικον τοῦ κτίστου σφαγήν. τὸ δὲ καταπέτασμα σχίζεται δεικνύον τοῖς Ἰουδαίοις τὴν παράνομον μιαιφονίαν, καὶ ἵνα συνήσωσιν οἱ ἀχάριστοι. ὅπερ γὰρ ἐποίουν οὗτοι ἐν ταῖς συμφοραῖς, τοῦτο τὰ κτίσματα πεπόνθασιν αἰσθόμενα τὸν κύριον πάσχοντα.

Καὶ ἄλλως δὲ ἐπειδὴ τὰ ἅγια τῶν ἁγίων ἄψαυστα καὶ ἄβατα τοῖς πολλοῖς ἦσαν, μόνῳ δὲ βατὰ τῷ Ἀρχιερεῖ καὶ τούτῳ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἅπαξ, * ἔδοξε προδήλως αὐτοῖς ὁ Χριστὸς τὴν ῥῆξιν τῆς ἱερατικῆς αὐτῶν ἀξίας· καὶ τὴν εἴσοδον τῶν ἁγίων, ὡς βεβήλοις καὶ ἀναξίοις ἀποῤῥαγεῖσι καὶ ἀποδιωχθεῖσι, καὶ τὸ, ἀκάθαρτα καὶ βάσιμα ταῦτα γενήσεσθαι τοῖς ἔθνεσιν.

*f. ἔδειξε.

Ἢ καὶ οὕτως. ἐπειδὴ μέγα ἦν τὸ διάφραγμα τὸ κωλύον καὶ διαχωρίζον ἡμῖν τὴν πρὸς οὐρανὸν ἄνοδον διὰ τὴν ἔχθραν καὶ ἁμαρτίαν, σχίζεται τὸ καταπέτασμα προδεικνύον τὴν λύσιν τῆς ἔχθρας, καὶ τὴν τοῦ φραγμοῦ διαπίχισιν. οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ Θεὸν τοῦτον ἀληθῆ καὶ δημιουργὸν τοῦ παντὸς ἐμφαίνει. ὁ γὰρ ταῦτα ποιῶν, ἠδύνατο εἴπερ ἐβούλετο, καὶ πάντας ἄρδην ἀπολέσαι, ὥστε καὶ μὴ δοκεῖν ἐξ ἀσθενείας θνῆναι, καὶ φωνήσας φωνῇ μεγάλῃ, ἀφῆκε τὸ πνεῦμα. τὸ φωνῆσαι δεσποτικῆς ἦν ἐξουσίας. πρὸς τὸν πατέρα δὲ, ἵνα δείξῃ ὅπερ ἔλεγεν ἔμπροσθεν, ὅτι ὁ πατήρ μου ἐργάζεται, κἀγὼ ἐργάζομαι. καὶ οὐκ ἦλθον ἵνα ποιῶ τὸ θέλημα τὸ ἐμὸν, ἀλλὰ τὸ θέλημα τοῦ πατρός μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς, καὶ οὐδεὶς ἀναβέβηκεν εἰς τὸν οὐρανὸν, εἰ μὴ ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβὰς ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. καὶ ὅτι πρὸς τὸν πατέρα αὐτοῦ παρατίθησι τὴν ψυχὴν ἐξουσιαστικῶς ἵνα καὶ πάλιν λάβῃ αὐτήν. αὕτη ἡ φωνὴ τοῖς Ἰουδαίοις φόβον ἐνέθηκε. διὸ καί τινες τὰ στήθη αὐτῶν τύπτοντες ὑπέστρεφον. αὕτη ἡ φωνὴ τὸν ἥλιον ἔσβεσε, καὶ τὸ καταπέτασμα ἔσχισεν. αὕτη ἡ φωνὴ, τὰ τοῦ ᾅδου βασίλεια συνέτριψε, καὶ τὴν γῆν κατέσεισε, καὶ τοὺς ἐν ᾅδῃ νεκροὺς τοῦ δεσμοῦ ἠλευθέρωσεν. αὕτη ἡ φωνὴ, τὸν κεντυρίωνα κατέπληξε καὶ φόβῳ συνέστειλε, τὴν κτίσιν θεασάμενον σκοτιζομένην. ὅπερ καὶ σημεῖον αὐτῷ πίστεως ἐγεγόνει. οὐ γὰρ κατὰ τὴν κοινὴν, τῶν ἀνθρώπων συνήθειαν ἀπέθανεν ὁ Χριστὸς, ἀλλ' ἑκὼν, καὶ ὡς δεσπότης καὶ θανάτου ἔχων τὴν ἐξουσίαν. διὰ τοῦτο καὶ παρακαταθήκην τὸν αὐτοῦ θάνατον ὠνόμασεν, ὡς πάλιν ληψόμενος τὴν ψυχήν. αὕτη ἡ φωνὴ, ἀπαρχὴ γέγονε τῆς ἐλευθερίας τῶν ψυχῶν, καὶ ἀνάκλησις μηκέτι ἔχοντος ἐξουσίαν τοῦ διαβόλου εἰς αὐτὴν, ἀλλὰ πρὸς τὸν Θεὸν καὶ πατέρα τὴν

Obscuratus est sol,& velum templi scissum per medium: idq; ideo, quia Iudæis mos erat scindere vestimenta calamitate quapiam vel alia re inopina perculsis,vt & Caiphas fecit,blasphemiæ Christum insimulans. Sol quidem non est scissus,sed obscuratus, minimè aspicere valens iniustam conditoris sui necem. At velum scinditur, monstrans Iudæis iniquissimum illud homicidij scelus, & vt ingratissimi mortalium, improbitatem actionum suarum intelligerent: Nam quod ab istis factitatum est calamitatibus exortis, hoc res creatæ, Christo in Cruce passo, præstiterunt.

Dici & hoc potest. Cum sancta sanctorum vulgo imperuia & inaccessa essent, soli autem Pontifici peruia, & hoc semel duntaxat in anno,à Christo manifestè decretum esse, vt Sacerdotalis eorum dignitas rumperetur,ipsisque ingressus in sancta sanctorum,tanquam profanis & indignis,iamque abscisis ac repulsis intercluderetur, & hæc ipsa gentibus immunda,& semper peruia efficerentur.

Vel hanc explicationem accipe. Cum magna maceries intercesserit,quæ nos ab ingressu in regnum cœlorum prohibebat,propter inimicitias & peccatum, scinditur velum, vt significaret, iam sublatas inimicitias,& parietem, qui interpositus fuerat,remotum. Neq; hoc solummodo,sed & istud insinuat, eum, qui crucis supplicium patiebatur,verum fuisse Deum,& vniuersorum conditorem. Nam qui talia faciebat,potuisset,si libuisset,omnes funditus perdere. Itaque ne ex imbecillitate videretur crucifigi; voce magna edita, emisit spiritum. Clamor potestatis herilis argumentum fuit. Clamauit autem ad patrem,vt ostenderet verum esse illud quod iam ante asseruerat: *Pater meus operatur vsq; ad huc & ego operor*. Et, *Non veni vt faciam voluntatem meam,sed voluntatem eius,qui me misit patris,qui est in cælis*. Et, *nullus ascendit in cælum,nisi qui & descendit de cælo filius hominis*. Indicatum itidem est eum patri ex potestate insita animam tradere ac commendare, vt iterum sumat eam. Hæc etiam vox Iudæis formidinem incussit. Quocirca quidam ex illis pectora percutientes reuertebantur. Hæc vox solem exstinxit; & velum templi scidit. Hæc vox inferni regna contriuit, terram concussit,& qui apud inferos tenebantur captiui,vinculis exsoluit. Hæc vox Centurionem perterrefecit,& metu perculit,cum videret, res omnes tenebris obsitas,quod illi etiam caussa & ansa fidei fuit. Non enim mortuus est Christus communi hominum more,sed sponte,& vt Dominus,& potestate in mortem præditus: Propterea etiam mortem suam nominauit depositionem, tanquam iterum eam recepturus. Hæc vox initium fuit libertatis animarum, & proclamatio diaboli iam sua potestate in illũ priuati, qui iam Deo & patri

*Ioan. 5.* *Ioan.6.* *Ioan. 3.* *Ioan.10.*

ψυχὴν παρατιθέμενον. πρὸ γὰρ τοῦ μυστηρίου τῆς οἰκονομίας καὶ τοῦ θανάτου τοῦ Σωτῆρος, μεγάλη ἦν ἡ ἰσχὺς τῷ διαβόλῳ κατὰ τῶν ψυχῶν. ἀφ' οὗ δὲ ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ οὐκ εἰς ᾅδην βιαίως, ἀλλ' εἰς τὰς πατρικὰς χεῖρας τὸ πνεῦμα παρέθετο, ἐλευθερίας ἐτύχομεν τῆς ἐξ ᾅδου. καὶ ὅπερ ὁ κύριος εἶπεν· ὅταν ὑψωθῶ, τότε πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτὸν, νῦν ἐναργῶς πληρούμενον καθορῶμεν.

Ἰδὼν δέ φησιν ὁ ἑκατόνταρχος, ἐδόξασε τὸν Θεὸν λέγων. ὄντως ὁ ἄνθρωπος οὗτος δίκαιος ἦν. καὶ πάντες οἱ παραγενόμενοι ὄχλοι ἐπὶ τῇ θεωρίᾳ ταύτῃ θαυμάζοντες ἔτυπτον τὰ στήθη ὑποστρέφοντες. ὑψωθεὶς δὲ ἐπὶ τοῦ σταυροῦ, καθὼς ἔλεγεν, οὐ μόνον τὸν ἑκατόνταρχον προσελάβετο, ἀλλὰ καὶ λῃστὴν πρὸς αὐτὸν εἵλκυσε, καὶ πολλοὺς τῶν Ἰουδαίων, οἳ τὰ στήθη τύπτοντες καὶ τὴν καρδίαν διαρρηγνύμενοι μετὰ φόβου ὑπέστρεφον. ἀλλὰ καί τινες τῶν σταυρωσάντων, τῇ ἀρᾷ καὶ μέμψει τοὺς Ἰουδαίους ὑπέβαλον, προδήλως δικαιοῦντες τὸν Ἰησοῦν. ἀλλὰ τότε μὲν ἡ τῶν μαθητῶν ὁμήγυρις πᾶσα, τὸν διδάσκαλον καταλιποῦσα ἐξέφυγεν, οὐ τοῦτον δὲ, ἀλλὰ τὸν θάνατον. γυναῖκες δὲ τὸ ἀσθενὲς καὶ κατάκριτον γένος γενόμενον τῇ ἀπάτῃ τοῦ ὄφεως, παραμένουσιν ἀφόβως, καὶ θεωροῦσι τὰ τῆς ἀναστάσεως μυστήρια, καὶ τὰ τῆς χαρᾶς καὶ εὐλογίας πρῶται λαμβάνουσι· καὶ τοῦ τῆς λύπης ἐλευθεροῦνται κατακρίματος, καὶ τὸν τῆς ἀπάτης ὀνειδισμὸν ἀποβάλλονται.

Σὺ δέ μοι θαύμαζε τὴν πώρωσιν τῶν Ἰουδαίων. οἱ γὰρ λέγοντες, ὅτι καταβάτω ἀπὸ τοῦ σταυροῦ καὶ πιστεύσομεν εἰς αὐτὸν, τὰ μείζω ἰδόντες οὐ πιστεύουσιν. οὐ γὰρ ἴσον ἦν καταβῆναι ἀπὸ τοῦ σταυροῦ τῷ σκοτίσαι ἥλιον, πέτρας ῥῆξαι, σεισμὸν ἐμποιῆσαι τοσοῦτον, νεκροὺς ἀναστῆσαι καὶ τὴν κτίσιν ἅπασαν ἀλλοιῶσαι. ὥστε μηδεὶς ἔτι ἀπορείτω, διὰ τί οὐ κατέβη ἀπὸ τοῦ σταυροῦ, ἀλλὰ περιέργως λεγόμενα δεχέσθω ταῦτα, λογιζόμενος ὅτι εἰ καὶ τοῦτο ἐποίησεν, οὐδ' οὕτως ἂν ἐπίστευον, καὶ οὐδὲν ἄλλο συνέβαινεν ἢ ἡ διὰ σταυροῦ σωτηρία ἐκολοβοῦτο. ὁ γὰρ σταυρὸς δόξα Χριστοῦ, μάλιστα πάντων.

Ποιήσας οὖν τὰ μείζω ἐκείνων μὴ πιστευσάντων, δύο ἐν ταὐτῷ κατώρθωσε, τὸν σταυρὸν ἄχρι τέλους τὸ μέγα τρόπαιον ὑπέμεινε καὶ ἀνεδέξατο, κἀκείνους ἔδειξεν οὐ μόνον ἀγνώμονας τὰ πάντα καὶ ἀχαρίστους, καὶ μηδὲν ἀγαθὸν ἔχοντας, ἀλλὰ καὶ συγκεχρημμένους τῇ ἀπιστίᾳ.

Ἀλλὰ ἡμεῖς γε ἀδελφοὶ, μὴ τοῦτο πάθοιμεν παρακαλῶ. ἡ γὰρ ἀπιστία, θάνατον προξενεῖ καὶ τὸν ἀπὸ Θεοῦ χωρισμὸν ἐργάζεται. ὁ δὲ τῇ πίστει στηρίζων ἑαυτὸν πλησίον Θεοῦ ἐστι καὶ τῆς ἀγάπης αὐτοῦ. ὁ δὲ τὴν τοῦ Θεοῦ ἀγάπην περιφέρων ἐν ἑαυτῷ, τὸν Ἰησοῦ Χριστοῦ θάνατον ποθεῖ. τίς δὲ ὁ θάνατος αὐτοῦ;

ὁ σταυ-

animam tradiderit. Nam ante Incarnationis mysterium & Saluatoris mortem, magna erat diaboli in animas vis & dominatio; sed à quo tempore Christus non in infernum violenter, sed in paternas manus spiritum reposuit; liberationis ex inferorum sedibus participes effecti sumus; quodq; Christus dixit; *Cum exaltatus fuero, omnia ad meipsum trabam*; nunc perspicuè cernimus impletum. *Ioan. 12.*

*Videns hæc Centurio*, inquit Euangelista, *glorificauit Deum, dicens: Verè hic homo iustus erat. Et omnis turba eorum, qui simul erant ad spectaculum istud & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur.* Exaltatus autem in cruce, vt prædixerat, non solum Centurionem sibi adsciuit, sed & latronem ad se traxit; & multos Iudæorum, qui pectora percutientes & corda lacerantes cum timore reuertebantur; quin & ex Crucifigentiũ numero aliqui Iudæos execrabantur, & grauiter increpabant, palam Iesum iustum esse profitentes. Et tunc quidem omnes discipuli, fuga arrepta, eum deseruerant, quanquam non tam ipsum, quam mortis periculum vitantes. Mulieres autem, infirmus & damnationi obnoxius sexus, à serpente quondã deceptus, intrepidè perseuerant, & Resurrectionis mysteria contemplantur; primæq; benedictionis & gratiæ participes redduntur, & à dolore, ad quem damnatæ fuerant, soluuntur, expuncto & obliterato deceptionis opprobrio. *Luca 23.*

Tu verò Iudæorum cæcitatem mirare: Nam qui clamabant: *Descendat de cruce, & credemus ei*; grandioribus conspectis non credunt. Nõ enim tantæ potentiæ erat descendere de Cruce, quantæ tenebras inducere soli, petras rumpere, tantum terræmotum excitare, mortuos resuscitare, & vniuersam creaturam variare seu alterare. Itaque nulla dubitatio relinquitur, cur de cruce non descenderit: Hæc ergo frustra dicta existimes licet, pro certo statuens, etiamsi monitis eorum obtemperasset, non fuisse credituros, neq; aliud inde fuisse euenturũ, quàm vt salus per crucem comparanda, imperfecta relinqueretur. Nam omnium maxima Christi gloria, est Crux. *Matth 27. Mar 15.*

Cum igitur maiora his miracula patranti fidem non adhibuerint, ipse tamen vna eademque opera duo præclara facinora edidit, nam crucem, ingens illud trophæum ad finem vsque tulit & suscepit, Iudæosque non solum vt amentissimos & ingratissimos omnisque bonitatis exsortes, sed & vt perfidiæ addictos arguit.

Ne, fratres, eidem culpæ affines simus, moneo. Nam infidelitas mortem adfert, & à Deo separat. At qui fide seipsum fulcit, proximus Deo, & charitati eius efficitur. Qui verò Dei charitatem in seipso circumfert, Christi mortem desiderat. Quæ verò mors eius?

ὁ σταυρός. εἰ μὴ γὰρ προσήλωτο Χριστὸς τῷ τοῦ σταυροῦ ξύλῳ, οὐκ ἂν τρόπαιον ἰσχυρὸν ἡμεῖς εἴχομεν κατὰ τοῦ διαβόλου. οὐκ ἂν δόξης Θεοῦ ἠξιώθημεν. οὐκ ἂν σημεῖον ἡμῖν τοῖς πιστοῖς εἰς ἀγαθὸν ἐδίδοτο. οὐκ ἂν λῃστὴς τὸν παράδεισον ἠνέῳξεν. εἰ μὴ σταυρὸς ἦν, οὐκ ἂν διὰ τῆς ἐπικλήσεως Χριστοῦ, δαίμονες ἐφυγαδεύοντο, καὶ νόσοι ἐδιώκοντο. εἰ μὴ σταυρὸς ἦν, οὐκ ἂν τὴν ἐλευθερίαν ἐλάβομεν· οὐκ ἂν πᾶσαν τὴν τοῦ διαβόλου δύναμιν ἡ ἀσθενὴς ἡμῶν φύσις συνέτριψε καὶ συνέθλασε· καὶ διὰ τοῦτο ἀγγέλων δόξα ὁ σταυρός. βασιλέων νῖκος, ἐκκλησιῶν εὐπρέπεια, μοναζόντων καύχημα, μαρτύρων ἀήττητον ὅπλον, δικαίων ἀγαλλίαμα, πλανωμένων ὁδηγός, ἁμαρτανόντων ἐπιστροφὴ καὶ ἀνάκλησις.

Εἴδετε τέκνα ἀγαπητὰ τὴν δύναμιν τοῦ σταυροῦ τοῦ Χριστοῦ; εἴδετε τὴν ἄμαχον αὐτοῦ ἰσχύν; διὰ * τούτω τὰ πάντα συνέχονται καὶ ἁγιάζονται· οὗτος γὰρ καὶ τοῖς προσκυνοῦσιν αὐτὸν καρδίᾳ καὶ χείλεσι μετὰ πίστεως καὶ σεβάσματος, χάριτος καὶ ἁγιωσύνης ἐμπίπλησιν. οἱ δὲ μὴ οὕτως εὐλαβῶς καὶ εὐγνωμόνως διακείμενοι, ἀλλὰ βλασφημοῦντες αὐτὸν καὶ ὑβρίζοντες, οὐ μόνον ὡς ὑβρισταὶ καὶ βλάσφημοι κατακριθήσονται, ἀλλὰ καὶ χείρονες τῶν ἀπίστων εὑρεθήσονται, καὶ τῷ αἰωνίῳ πυρὶ παραδοθήσονται.

* ἴ. τούτου.

Ἐπειδὴ τοίνυν περὶ τοῦ τιμίου καὶ ζωοποιοῦ σταυροῦ ἱκανῶς τῷ λόγῳ προσδιετρίψαμεν ἀγαπητοί, φέρε καὶ περὶ τῶν εἰς αὐτὸν βλασφημεῖν ἀποτολμώντων, μικρόν τι διαλεξώμεθα, τῆς αὐτῶν ψυχικῆς σωτηρίας κηδόμενοι κατὰ χρέος καὶ φροντίζοντες. ἵνα τί οὖν βλασφημεῖται ὁ τοῦ Χριστοῦ σταυρός; ὁ γὰρ σταυρὸν ἀτιμάζων, τὸν Χριστὸν καθυβρίζει τὸν ἐν αὐτῷ προσηλωμένον. ὡς καὶ ὅταν τις τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ ὑβρίζῃ, εἰς οὐδένα ἕτερον προσκόπτει, ἀλλ' ἢ εἰς τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, τὸν χωρὶς ἁμαρτίας ἀναλαβόντα τὴν σάρκα, καὶ τὰ μέλη ἡμῶν ἅπαντα, ποιήσαντα ἑαυτοῦ μέλη, ὡς εἶναι καὶ ὀνομάζεσθαι ἡμᾶς εὐωδίαν Χριστοῦ κατὰ τὸν θειότατον καὶ μακάριον Παῦλον.

Τίς δὲ ἐχθρὸς καὶ πολέμιος, ἀδελφοί, ἐνέσπειρεν εἰς τὰς ὑμετέρας ψυχὰς ὕβρεις καὶ παρανόμους ῥήσεις, αἳ τῶν ἀθέων καὶ ἀπίστων τυγχάνουσιν; ἀλλ' οὐδὲ τούτων ἴσως, ἵνα στόματα καὶ ψυχὰς καὶ καρδίας ἐξυβρίζητε καὶ παροξύνητε Θεὸν καὶ τὴν ὀργὴν αὐτοῦ καθ' ἡμῶν βαρέως κινῆτε· ἐπειδὴ καὶ χείρονες αὐτῶν εἶναι φιλονεικῆτε δι' ὑπερβάλλουσαν κακίαν, ὡς μηδὲ τὴν πλησίον τῆς Σοδομιτικῆς ὀργῆς τιμωρίαν σωφρονεστέρους ἡμᾶς ἐργάσασθαι; τοῦτο γὰρ εἰπὼν οἱονεὶ κατενάρκησα, καὶ ἔφριξαν αἱ τρίχες μου, ἰδὼν τὴν φοβερὰν ὀργὴν τοῦ Θεοῦ τὰς καταχύσεις καὶ καταστροφὰς τῶν πόλεων τὰς αὐτάνδρους, καὶ μηδέπω τι γεγονυίας τῷ παλαιπώρῳ γένει τούτῳ τῷ ἡμετέρῳ, ὀλίγου ὑπολειφ-

Crux. Nisi enim Christus ligno Crucis fuisset affixus, caruissemus valido aduersus Diabolum trophæo. Nec participatio gloriæ diuinæ nobis obtigisset. Nec nobis fidelibus *datum fuisset signum in bonum*. Psal. 85. Nec latro Paradisum aperuisset. Si Crux non esset, haud fugarentur Dæmones inuocatione nominis Christi; nec pellerentur morbi. Si Crux non esset, libertatem non fuissemus adepti. Neque infirma natura nostra omnem Diaboli potentiam confregisset ac contriuisset; eam ob caussam Crux est Angelorum gloria, Regum victoria, Ecclesiarum decor, Monachorum gloriatio, Martyrum inuicta armatura, iustorum exultatio, errantium dux, peccantium conuersio & reductio.

Vidistis, charissimi, crucis Christi virtutem. Vidistis insuperabilem eius potentiam: per hanc omnia conglutinantur & sanctificantur. Hæc adorantes se corde & labiis cum fide & veneratione, gratia & sanctimonia replet. Qui verò non ita piè & religiosè erga crucem affecti sunt, sed eam blasphemant & iniuriis onerant, non solum vt iniuriosi & blasphemi pœnas dabunt, sed & ipsis infidelibus deteriores habebuntur, æternoque igni tradentur.

Cæterum postquam de veneranda & viuifica Cruce satis disseruimus, charissimi, agedum aliquid addamus de illis, qui crucem blasphemare audent, idque eo consilio, vt à nobis sanentur & salutis compotes fiant. Qua igitur de caussa blasphematur Crux Christi? Nam qui crucem inhonorat, hic inhonorat Christum in Cruce confixum. Sicut & cum quis fratrem suum iniuria afficit, in nullum alium impingit, quàm in filium Dei, qui absque peccato carnem nostram induit, & omnia nostra membra, sua membra effecit, vt simus & nominemur *bonus odor Christi* ex diuini & beati Pauli doctrina. 2. Cor. 2.

Quis verò hostis & aduersarius, fratres, indidit animis vestris iniuriosa & nefaria dicta, quæ atheos & à vera religione auersos decent; Et fortè ne hos quidem; vt & os, & animam, & cor ad iniurias exacuatis, deum irritetis, iramque eius grauiter in nos concitetis, quandoquidem propter improbitatis immensitatem atheis & infidelibus nequiores esse studetis, vt neque supplicium Sodomitico illi non valdè absimile vos ad modestiam & honestatem reuocare queat? Gen. 19. Hæc cum loquor totus quasi obrigesco, stantque comæ, cum oculos coniicio, in tremendam Dei iram, qua nunc premimur, tot ciuitatibus vnà cum ciuibus deletis ac euersis. Quales vastationes afflictæ genti nostræ, & exiguo, qui reli-

quus

ληφθεῖσαν καὶ βραχυτάτῳ τιμίῳ τῆς Ἰησοῦ Χριστοῦ κληρονομίας. οὐ γὰρ δέδωκεν ἡμῖν ὁ θεὸς στόμα, ἵνα δι' αὐτοῦ χρώμεθα ὕβρεσι καὶ αἰσχρολογίαις, ἀλλ' ἵνα ὑμνῶμεν καὶ εὐλογῶμεν αὐτόν, καθὼς φησὶν ὁ θεῖος Δαβίδ, εὐλογήσω τὸν κύριον ἐν παντὶ καιρῷ διὰ παντὸς ἡ αἴνεσις αὐτοῦ ἐν τῷ στόματί μου. ἴδετε τοῦ προφήτου καὶ βασιλέως τὸν λόγον, ὃν πρὸς ἡμᾶς διὰ πνεύματος λέγει; οὐδὲ γὰρ ἐν μιᾷ ὥρᾳ ἡμῖν ἐπαγγέλλεται τὸν Θεὸν εὐλογεῖν, ἀλλ' ἐν παντὶ καιρῷ, τουτέστι διὰ παντὸς τὸν ὑπόλοιπον δηλαδὴ χρόνον τῆς παρούσης ἡμῶν ζωῆς καθὰ καὶ ἀλλαχοῦ φησίν· ὅλην τὴν ἡμέραν μελετοῦντας τὴν δικαιοσύνην σου. ἡμέραν μίαν, τὴν ζωὴν τοῦ ἀνθρώπου ὀνόμασεν, ὡς εἶναι διὰ παντὸς ταύτην τὴν εὐλογίαν ἐν τῷ στόματι ἡμῶν.

Οὐκοῦν αἴνεσιν καὶ εὐλογίαν, διὰ πνεύματος ἁγίου ζητεῖ παρ' ἡμῖν ὁ Θεός, ἀλλ' οὐχὶ βλασφημεῖν ἀπαιδεύτῳ γλώττῃ, καὶ ἐξυβρίζειν αὐτόν. μὴ γὰρ δύναται εἰπέ μοι ἔχειν εἰς τοῦτό τινα πρόφασιν πονηράν; πάντως οὐδεμίαν. Εἰ γὰρ εὐλογεῖν τὸν Θεὸν οὐ βούλει, μὴ ἢ καταρῶ αὐτόν. οὐ δύνασαι ὑμνεῖν καὶ δοξάζειν, κἂν σιώπα καὶ μὴ βλασφήμει. Καὶ βασιλέα μὲν πρόσκαιρον πᾶσι τρόποις οἶδας τιμᾶν, ὥστε μετὰ φόβου καὶ τρόμου μίαν λέξιν μόλις εἰπεῖν μετρίως εἴτε καὶ συνετῶς, εἰ καὶ μυρία πάσχεις δεινὰ παρ' αὐτοῦ. τὸν δὲ βασιλέα χριστὸν τὸν ποιητήν σου καὶ δημιουργὸν τὸν καὶ τὴν ζωήν σου ἀνὰ χεῖρας ἔχοντα, πῶς οὐ φοβῇ, πῶς οὐ τρέμεις, ἀλλ' ἀναιδῶς καὶ κατὰ πρόσωπον αὐτοῦ ἐξυβρίζεις; βαβαὶ τοῦ βλασφήμου στόματος, βαβαὶ τῆς λοιδόρου καὶ πονηρᾶς γλώττης, βαβαὶ τῆς ἀχαρίστου καὶ πονηρᾶς γνώμης. τὸν χθὲς σταυρωθέντα καὶ παθόντα, καὶ τὴν πλευρὰν ὀρυγέντα, καὶ ἥλοις προσηλωθέντα διὰ σὲ ἀναιδῶς ὑβρίζεις; οὐ φοβῇ τοὺς ἄνωθεν ἐνσκήπτοντας κεραυνούς; οὐ τρέμεις τὰς ἀπειλάς; οὐ φοβῇ τὰς * καταχώσεις; τοὺς λοιμούς, τοὺς θανατηφόρους; τοὺς ἐμπρησμούς; τὴν φοβερὰν τοῦ σεισμοῦ ἀπειλήν; τῶν πόλεων τὰς καταστροφάς; καὶ τέλος τὴν ἀπαραίτητον κόλασιν, μετὰ τῶν ἀπίστων ἐκεῖσε παραπεμπόμενος;

*f καταχύσεις eluuio, & inundatio.

Μὴ οὐκ ἠκούσατε ἀδελφοί, τὴν τοῦ Σωτῆρος ἀπόφασιν; ποίαν φημί, τὴν πρὸς τοὺς βλασφήμους; ὁ βλασφημήσας εἰς τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, ἀφεθήσεται· ὁ δὲ βλασφημήσας εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον οὐκ ἀφεθήσεται, λέγει, ἡ ἀνομία αὐτοῦ οὔτε ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, οὔτε ἐν τῷ μέλλοντι; Εἴδετε τὸ κέρδος τῆς βλασφημίας; ἐμάθετε τὴν ἀπόφασιν; εἴδετε τὰ πονηρὰ τῆς γλώσσης ἡμῶν γεωργήματα; ἄφεσιν οὐκ ἔχει φησὶν οὔτε ἐν νῦν αἰῶνι, οὔτε ἐν τῷ μέλλοντι.

Ἐγὼ δὲ βουλόμενος λέγειν κατὰ μέρος αὐτὰς τὰς παρανόμους φωνάς,

φοβοῦ-

quus eſt, de Chriſti hæreditate, gregi, eueniſſe non meminimus; non enim Deus nos ore donauit, vt eo ad iniurias & turpiloquentiam vtamur, ſed vt ipſum celebremus & laudibus proſequamur, prout dicit diuinus Dauid: *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.* Audiſtis monitum Prophetæ & Regis, quo nos Spiritus ſancti inſtinctu, commonefacit? Non enim iubet, vt vna duntaxt hora, Domino laudes concinamus, ſed omni tempore; hoc eſt, totius vitæ decurſu, quemadmodum & alibi ait: *Tota die meditantes iuſtitiam tuam.* Vbi vna dies nominatur vita humana; vt quandiu hæc dies durat, ſemper laus Dei in ore noſtro verſetur. Pſal.31. Pſal.34.

Igitur laudem & benedictionem per Spiritum ſanctum exigit à nobis Deus, non vt imperita lingua ipſum blaſphememus & contumeliis afficiamus. Cedo enim mihi, num huius tui facti vel malam excuſationem proferre potes? Prorſus nullam. Si enim Deum non vis laudare, ne ſaltem execreris illum. Si non lubet illum decantare & glorificare, at tace & ne blaſphemias effunde. Mortalem & caducum Regem omnibus officiis colis, ita vt coram illo vix vnum verbum proloquaris, & quidem admodum circumſpectè & conſideratè, licet mille mala, eaque grauia ab illo patiaris. Chriſtum verò Regem, creatorem & conditorem tuum, penes quem vitæ tuæ arbitrium reſidet, quomodo non metuis, quomodo non cum tremore veneraris, ſed impudenter & in faciem calumniis & probris dehoneſtas? O os blaſphemum. O calumniatricem & improbam linguam. O ingratam & flagitioſam mentem. Heſterno die pro te crucifixum, paſſum, latere vulneratum, clauis confixum inuerecundè probris appetis? Non formidas, ne fulmine proſternaris? Non metuis minas? Non horreſcis defoſsiones & mortiferas peſtes, incendia, & horrificam terræ motus cominationem? Vrbium euerſiones; & ad extremum ineuitabilem illam pœnam, cui cum infidelibus adiudicaberis?

An non audiſtis, fratres, ſententiam Saluatoris de blaſphemis? *Qui dicit verbum in filium hominis, remittetur illi: ei autem, qui in Spiritum ſanctum blaſphemauerit, non remittetur, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Vidiſtis blaſphemiæ lucrum? Intellexiſtis ſententiam? Animaduertiſtis linguæ veſtræ pernicioſos fructus? Remiſsione caret, inquit, in præſenti & in futuro ſæculo. Lucæ 12. Mar. 3.

Ego verò ſpeciatim enumerare volens impias, quas iactatis,

C voces,

φοβοῦμαι καὶ τρέμω, ὥστε κἂν μετρίως διὰ γλώττης προφέρειν αὐτάς. ἀλλ'
ἵνα τὴν ὑμῶν κακίστην ἀσέβειαν ἀπελέγξω καὶ τὸ βόθρον τῆς ἀπωλείας ὑπο-
δείξω εἰς ὃν ὑμεῖς περιπίπτετε διὰ τὸ ἄθεον ταύτης φωνῆς, οὐ παρασιωπήσω,
ἀλλὰ καὶ μετὰ πόνου καρδίας καὶ στεναγμοῦ οὐ παραιτοῦμαι λέγειν ὑμῖν· ὁ γὰρ Χρι-
στὸς ἡμῶν καὶ θεὸς ἕνεκα τῆς τοῦ στόματος φυλακῆς καὶ τῆς περιοχῆς τῶν χειλέων,
οὐκ ἄλλο ἡμῖν ἐνετείλατο, εἰ μὴ τό, ναί, ναί, καὶ τό, οὔ, οὔ. ὑμεῖς δὲ πόθεν τὰ ἅγια
τοῦ θεοῦ προπετῶς ὀμνύειν ἐδιδάχθητε; πάντως οὐκ ἄλλοθεν εἰ μὴ ἐκ τοῦ ἐνοι-
κοῦντος ὑμῖν δαίμονος, καὶ τῇ γλώττῃ ὑμῶν ἐπικαθημένου ἐπ' ὀλέθρῳ ψυ-
χικῷ· πόθεν τὸν σταυρὸν ἀτιμάζετε, ὃν δαίμονες φρίττουσι; πόθεν τὴν πίστιν
*l. τὸν νόμον. αἰσχρῶς καὶ * τοῦ νόμου ὑβρίζετε, ὃν ὁ θεὸς ἰδίᾳ χειρὶ ταῖς πλαξὶν ἐνεχάραξε,
καὶ διὰ μωσέως ἡμῖν ἔδωκε; τίς δὲ πάλιν ἀλιτήριος τοῦ Θεοῦ καὶ προδήλως
* Videtur addendum: ὥστε. ἐχθρὸς καὶ βάσκανος, * τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχὴν καὶ καρδίαν τοῦ ἀνθρώπου ὑβρί-
ζειν τολμᾷν τὴν ἀληθῆ εἰκόνα Θεοῦ; φημὶ δή, τὸ κατ' εἰκόνα καὶ καθ' ὁμοίω-
σιν, ὃ καὶ Χριστὸς ἀνελάβετο καὶ ἐφόρεσε δι' ἡμᾶς, ἵνα μὴ μόνον τῆς καταδίκης
ἐκείνης ἐλευθερώσῃ τῆς ἐκ τῆς παραβάσεως, ἀλλὰ καὶ πάσης βλασφήμου
γλώττης, καὶ τῶν ἄλλων πλημμελημάτων· καὶ εἰς μὲν τὰ ἄλλα ἡμῶν πλημμε-
λήματα τῇ ἀφάτῳ αὐτοῦ φιλανθρωπίᾳ διὰ τῆς ἐξομολογήσεως ἵλεως ἡμῖν
γένοιτο χριστός, ὁπηνίκα δ' ἀδελφοὶ εἰς τὰ ἅγια τοῦ Θεοῦ βλασφημεῖτε εἰς ἃ
παρακύψαι ἢ ἀτενίσαι οὐδὲ αὐτοὶ οἱ ἄγγελοι δύνανται, ποίαν ἕξετε τὴν ἀπο-
λογίαν, ἢ ποίας συγγνώμης ἐστὲ ἄξιοι, ἐπεὶ καὶ ἀναιδῶς ἐπὶ γλώσσης φέρετε
τοῦτο συχνῶς καὶ μετανοῆσαι οὐ βούλεσθε πώποτε· ὁπόταν δὲ πάλιν εἰς τὸν νόμον
Θεοῦ διαλοιδορεῖσθε, πῶς οὐ φρίττετε ἀκούοντες τὰ μεγάλα καὶ παράδοξα,
καὶ τὴν θεοπτικὴν ἐκείνην πρὸς τὸν μωσέα τὴν φοβερὰν, ὅτι ἐδόθη διὰ τοῦ
λόγου τοῦ θεοῦ καὶ πατρός; δι' αὐτοῦ γὰρ τὰ πάντα ἐκτίσθησαν εὐπρεπῶς. αὐτὸς
καὶ ὑμᾶς τῆς πλάνης καὶ ἀπιστίας ἠλευθέρωσε τῶν εἰδώλων. τοῦτον κύριον καὶ
* Videtur addendū, εἰπόντα vel simile quid. ἐφ' ὑμᾶς * εἰπών τις, οὐχ ἁμαρτήσεται τοῦ προσήκοντος· τό, ἀντὶ ἀγαθῶν ὧν
ἐποίησας τῷ γένει τῶν ἀνθρώπων, βλασφημεῖν σε κατεδίκασε ἀνοσίως.

Τί δὲ περὶ τοῦ σταυροῦ τοῦ χριστοῦ· οὐκ οἶδας τὴν ἄμαχον ἰσχὺν αὐτοῦ καὶ τὴν
δύναμιν; οὐκ οἶδας τὸν περιγινόμενον ἅπασιν ἐκεῖθεν ἁγιασμόν; οὐ σὺ πρὸ
ὥρας ἐν τῷ σῷ μετώπῳ καὶ ἐν τῷ σώματι ἐπισφραγίσας διεχάραξας ὡς
ἰσχυρὸν ὅπλον καὶ ἀήττητον τρόπαιον, ἀλλὰ καὶ βοηθὸν αὐτὸν ἰσχυρὸν καὶ νίκην
ἀτεχνῶς ἔχων κατὰ δαιμόνων; ἵνα τί οὖν ἀνερυθριάσως αὐτὸν ἀτιμάζεις; καὶ
εἰ παρὰ φίλου τινὸς μικρὰν δεξάμενος δωρεὰν οἶδας ἐκεῖνον τιμᾶν, σεβά-
ζεσθαι, πῶς τοῦτον ὑβρίζειν ἀναιδῶς ἀποτολμᾷς, καὶ οὐ δειλιᾷς οὐδὲ φρίττεις
ὃν ἔχεις ὡς ἰσχυρὸν ὅπλον καθ' ὥραν, καὶ ἀμυντήριον μὴ μόνον κατὰ τῶν ὁρω-
μένων

voces, formidine & tremore concutior, vt eas vel obiter ore meo proferam. Sed vt pessimam impietatem vestram castigem, monstremque vobis foueam, in quam huiusmodi impia locutione incidistis, non silebo; sed tametsi gemens, & ingenti pectoris mei dolore vobis aperiam; nam Christus Dominus & Deus noster de custodia oris, & labiorum aliud nobis non præcepit; quàm *sit sermo vester, Est, Est: Non, Non.* Vos verò vnde nam per res sacras tam temere iurare edocti estis? Omnino non ab alio, quam ab eo, qui in vobis inhabitat, & in lingua vestra ad perniciem animarum, sessitat, Diabolo. Qua caussa inducti Crucem inhonoratis, quam Dæmones horrent? Cur fidem & legem ignominia afficitis, quam Deus propria manu in tabulis exarauit, & per Moysen nobis tradidit? Rursus quis adeo manifestus & capitalis aduersarius & hostis Dei est, qui os, mentem & cor hominis dehonestare & deturpare audeat, expressam Dei imaginem, & similitudinem, quam & Christus propter nos assumpsit & tulit, vt nos non solum à damnationis sententia, quam ob præuaricationem incurreramus, sed & ab omni blasphemia linguæ cæterisque delictis liberaret? Et ob alia quidem peccata nostra suppetit via & ratio propitiandi Deum, nempe Confessio; at quando, fratres, ipsa diuina mysteria, in quæ ne ipsi quidem Angeli intendere & obtutum defigere possunt, blasphemiis incessitis; quæ defensio, & quæ spes veniæ relinquitur; cum frequenter huiusmodi maledicta in ore circumferatis, neque tamen vlla pœnitentia ducamini? Et cum linguam in conuicia legis diuinæ resoluitis, quomodo non exhorrescitis, auditis tot admirandis signis & portentis, (in quibus & ipsa Dei apparitio Moysi facta) quæ acciderunt, quando lex lata est per verbum Dei & patris? Omnia enim per ipsum decenter condita sunt. Ipse vos ab errore & infidelitate Idololatriæ liberauit. Hunc Dominum, si quis in vos vsurpare dicat illud: *Pro beneficiis, quibus genus humanum cumulasti, blasphemiis te impiè insectantur*; haud à decoro aberrauerit.

*Matth. 5.* *Exod. 19.* *Videtur esse versiculus alicuius cantici Græci.*

Quid porrò de Cruce Christi? An nescis inexpugnabilem eius vim & potentiam? An nescis sanctificationem, quæ omnibus inde profluit? An non Crucem in fronte & ore tuo ante horam efformasti, tanquam fortem armaturam, & insuperabile trophæum, insuper vt validam auxiliatricem & victoriam contra Dæmones? Cur igitur eam adeo impudenter probro afficis? Si quod donum, quamuis exile, ab amico accepisti; & donum & amicum colis, qua ratione absque vllo horrore vel metu iniuriosus esse audes in crucem Christi, quam semper pro inuicta armatura geris, & pro propu-

μένων πολεμίων ἐχθρῶν, ἀλλὰ καὶ τῶν ἀοράτων καὶ ἐναερίων δαιμόνων; τί δὲ πάλιν εἰς στόματα καὶ καρδίας καὶ ψυχὰς ἐξυβρίζεις; εἰ γὰρ σκεῦός τι πολλάκις ἁγιασθὲν, οὐ δύναταί τις κοινῶσαι, πῶς σὺ τὸ δοχεῖον καὶ σκεῦός σου ἀτιμάζεις; οὐκ οἴδατε γὰρ ὅτι ναὸς θεοῦ ἐστε καὶ τὸ πνεῦμα τοῦ θεοῦ ἐνοικεῖ ἐν ὑμῖν κατὰ τὸν μέγαν ἀπόστολον; ὁ γὰρ ὀμνύων ἐν τῷ ναῷ φησὶν ὁ χριστὸς, ὀμνύει ἐν αὐτῷ καὶ ἐν τῷ κατοικοῦντι ἐν αὐτῷ· εἰ γὰρ ὁ ἐν τῷ ναῷ ὀμνύων, ἐν τῷ Θεῷ πάντως ὀμνύει τῷ κατοικοῦντι ἐν αὐτῷ, πῶς ὁ ὀμνύων ἢ ἐξυβρίζων ἐν τῷ θυσιαστηρίῳ τοῦ θεοῦ, ὅπερ ἐστὶ κυρίως ὁ λογικὸς ἄνθρωπος, καθά φησιν. οὐκ ἐν χειροποιήτοις ναοῖς κατοικεῖ ὁ Θεὸς, ἀλλ' ἐν ταῖς ἡμετέραις ψυχαῖς, ἐκφεύξεται τὸ ἀπὸ τοῦ Θεοῦ μέγα κατάκριμα; ἡ γὰρ καρδία ἡμῶν, ἀδελφοὶ. θρόνος Θεοῦ λέγεται καὶ τράπεζα καὶ θυσιαστήριον. ἡ δὲ ψυχὴ, σκεῦος χωρητικὸν καὶ δοχεῖον τῆς χάριτος καὶ δωρεᾶς τοῦ παναγίου πνεύματος· τὸ δὲ στόμα ἡμῶν, θύρα τῶν τοιούτων ᾠκονομήθη εἰσάγουσα καὶ ἐξάγουσα καλῶς διὰ τῆς γλώττης καὶ τῶν ὀδόντων, καὶ τῶν ἑτέρων φωνητικῶν ὀργάνων πάντα τὰ ἀγαθὰ κινήματα καὶ πνευματικὰ ἔργα, ἅπερ ἐκ τῆς καρδίας καὶ τῆς ψυχῆς βλαστάνουσιν ἀναθάλλοντα· ἐν οἷς καὶ ὁ προφήτης λέγει, φυλάξει κύριος τὴν εἴσοδόν σου καὶ τὴν ἔξοδόν σου· καθὰ καὶ ἔμπροσθεν εἴρηται, εὐλογήσω τὸν κύριον ἐν παντὶ καιρῷ διὰ παντὸς, τουτέστι τὴν αἴνεσιν αὐτοῦ δεῖ ἔχειν διὰ παντὸς ἐπὶ γλώττης, καὶ μὴ βλασφημεῖν, ἀλλ' ἐξάγειν ἐν εὐλαβείᾳ καὶ φόβῳ Θεοῦ ἡμᾶς τὰ τῆς καρδίας καὶ ψυχῆς διανοήματα, καὶ διηγεῖσθαι τρανῶς τὰ τοῦ Θεοῦ μυστήρια, εἰς δοξολογίαν τούτου καὶ ἔπαινον διὰ τὸ κατ' εἰκόνα καὶ καθ' ὁμοίωσιν εἶναι τὸν ἄνθρωπον. ἡμεῖς δὲ διὰ τῆς βλασφήμου ταύτης γλώττης ὡς ἄνθρωποι ἀποθνήσκομεν, καὶ ὡς εἷς τῶν ἀρχόντων πίπτομεν.

Οὐκοῦν παραινῶ πατρικῶς καὶ συμβουλεύω ὑμῖν ὡς τέκνοις ἐν κυρίῳ ἀγαπητοῖς (κήδομαι γὰρ τῆς σωτηρίας ὑμῶν ὡς ὀφείλων κατὰ τὸν μακάριον ἀπόστολον παῦλον, ἀγρυπνεῖν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ὑμῶν) ἵνα μὴ ἐπὶ πλέον τὸ κάκιστον τοῦτο καὶ πονηρὸν ἁμάρτημα, τὸ τῆς βλασφημίας φημὶ καὶ αἰσχρᾶς ὕβρεως λέγηται παρ' ὑμῶν, ἢ προφέρηται ὅλως διὰ τῶν χειλέων ὑμῶν. οὐδὲ γὰρ ἔχει ἡδονήν τινα, ἢ δεῖται πολλοῦ τοῦ ἀγῶνος εἰς τὸ διορθώσασθαι τὸ τοιοῦτον ἐπισφαλὲς καὶ ψυχοβλαβὲς ἁμάρτημα· ὡς ἂν ἐντεῦθεν εὕρητε καὶ τὸν θεὸν ἵλεων καὶ εὐμενῆ, καὶ τὸ ἐμὸν πνεῦμα εὐφραίνητε καὶ θεραπεύητε. ὁ γὰρ ἐμοῦ ἀκούων φησὶν ὁ κύριος, ἀκούει τοῦ ἀποστείλαντός με· καὶ ὁ τοῦ διδασκάλου καταφρονῶν καὶ παρακούων χριστὸν ἀθετεῖ καὶ παρακούει τοῦ ἀποστείλαντος αὐτόν. Ἀλλ' ἔγωγε σφόδρα βούλομαι καὶ ἐπιποθῶ τὴν ὑμετέραν ἐπιστροφὴν καὶ μετάνοιαν, καὶ ἀδιαλείπτως εὔχομαι, ἀγαπητοὶ, ἵνα μετὰ τῶν ἄλλων ἀποβάλησθε καὶ τὰς τοιαύ-

τοιαύ-

gnaculo non tantùm contra aſpectabiles, ſed & contra inaſpectabiles & aërios hoſtes, Diabolos, opponis, atque obiicis? Quid præterea in os & cor, & animam iniurioſus es? Si enim vas quodpiam ſæpius ſanctificatum & conſecratum non licet iterum profanare, quomodo tu vaſculum & receptaculum tuum tantopere dedecoras? *Neſcitis, quod templum ſancti Spiritus eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis?* vt ait Apoſtolus. *Nam qui iurat in templo,* inquit Chriſtus, *iurat in illo, & in eo, qui habitat in ipſo.* Si qui in templo iurat, omnino in Deo, templi incola, iurat, quomodo qui iurat in altari Dei, vel illud ignominioſè habet, (quod propriè eſt homo, ratione præditus, teſte ſcriptura, quæ aſſerit; non *in manufactis templis habitare Deum*, ſed in animabus noſtris;) effugiet iuſtum Dei iudicium? Nam cor noſtrum, fratres, thronus Dei dicitur, menſa, & altare. Anima vero vas, & receptaculum capax gratiæ & donorum ſancti Spiritus. At os noſtrum ianua eſt inducens & educens per linguam & dentes & alia loquendi inſtrumenta, omnes bonas motiones & actiones, quæ ex corde & anima enaſcuntur, de quibus & Propheta. *Dominus cuſtodiet introitum & exitum tuum*: quemadmodum & antea dictum: *Benedicam Dominum in omni tempore*, hoc eſt, laudem eius perpetim in ore habere oportet: Et ab omni blaſphemia abſtinere; & cum reuerentia & timore Dei proferre cordis noſtri ſenſa, & dilucidè Dei myſteria enarrare ad gloriam eius & laudem, eo quod homo ad imaginem & ſimilitudinem eius ſit conditus. Nos verò per blaſphemam noſtram linguam, *vt homines morimur, & vt vnus de principibus cadimus.*

1. Cor. 3.
Matth. 23.
Act. 17.
Pſal. 120.
Pſal. 33.
Pſal. 81.

Quocirca paternè vos moneo atque hortor vt filios in Chriſto chariſsimos (curo enim ſalutem veſtram, tanquam is, qui ex officio debet vigilare pro animabus veſtris iuxta doctrinam beati Pauli) ne in poſterum grande hoc blaſphemiæ ſcelus à vobis vſurpetur, aut ex labiis veſtris proferatur. Neque enim quidquam voluptatis admixtum habet; neque indiget hoc periculoſum animiſque damnoſum peccatum magno conatu ad emendationem; Et hinc reddetis Deum vobis propitium & placatum, meumque ſpiritum exhilarabitis; Nam qui me audit, teſte Chriſto, audit & eum, qui me miſit. Et qui doctorem contemnit, & audire abnuit, Chriſtum contemnit, & audire detrectat, eum, à quo miſſus eſt. Ego quidem vehementer veſtram conuerſionem & pœnitentiam deſidero, & indeſinenter oro, chariſsimi, vt cum aliis has impias & blaſphemas voces abiiciatis, quibus

Heb. 13.
Luc. 10.

τοιαύτας βλασφήμους φωνάς, ἐν αἷς Θεὸς παροξύνεται πολλῷ πλέον τῶν ἄλλων ἁμαρτημάτων, καὶ ὀργίζεται· ἡ γὰρ πίστις ἡμῶν ἀπὸ τῶν ἔργων χαρακτηρίζεται. ποῖα δέ εἰσι τὰ ἔργα; αἱ τοῦ Θεοῦ ἐντολαί, ὧν χωρὶς οὐδεὶς ὄψεται τὸν κύριον.

Ὁ δὲ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, ὁ βασιλεὺς τῶν αἰώνων, ὁ ἄναρχος καὶ ἀπερίγραπτος, ἡ τῆς ζωῆς καὶ τῆς ἀθανασίας πηγή, ὁ τὰ πάντα λόγῳ μόνῳ ἐξ οὐκ ὄντων εἰς τὸ εἶναι παραγαγὼν, ὁ τῇ ἐλεύσει καὶ ἐνσάρκῳ παρουσίᾳ αὐτοῦ, συνάψας τὰ διεστῶτα πόρρω καὶ μακρὰν, εἰς τὴν μίαν αὐτοῦ καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν, καὶ τὴν ὁμόνοιαν αὐτῇ χαρισάμενος ἐν πνεύματι ἁγίῳ, διὰ τοῦ τιμίου αὐτοῦ καὶ ζωοποιοῦ σταυροῦ, αὐτὸς καὶ νῦν τῇ ἀμάχῳ αὐτοῦ καὶ πανσθενεῖ δυνάμει συνάψαι καὶ ἑνῶσαι εἰς ἓν τὸ τῶν χριστιανῶν ἅπαν γένος, καὶ δωρήσαιτο τοῖς βασιλεῦσιν ἡμῶν, τὰ τῆς νίκης τρόπαια, καὶ εἰς τέλος ἐξαφανίσαι πάντα ἐχθρὸν καὶ πολέμιον· ἵνα γαλήνιον καὶ εἰρηνικὸν διάγοντες τὸν βίον ἡμῶν, δοξάζωμεν χριστὸν σὺν τῷ ἀνάρχῳ πατρὶ, καὶ τῷ ζωοποιῷ καὶ παναγίῳ πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.



# ΤΟΥ ΜΑΚΑΡΙΩΤΑΤΟΥ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ ΓΕΩΡΓΙΟΥ ΜΙΤΥΛΗΝΗΣ ΛΟΓΟΣ ΕΙΣ τὰ ἅγια πάθη τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ.

Εὐλόγησον πάτερ.

*Ex eadem Bibliothnum. 299.*

ΗΜΕΡΟΝ ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς χριστὸς ἐν τῷ σταυρῷ, καὶ ἡμεῖς ἑορτὴν ἄγωμεν· σήμερον ἡ κτίσις ὅλη τρέμει καὶ κλονεῖται διὰ τὴν παρανομίαν τῶν Ἰουδαίων· καὶ τίνος ἕνεκεν ὦ Ἰουδαῖε σταυρῶσαι θέλων τὸν κύριον; διὰ τί ἐβουλεύθης πονηρὰ κατὰ τοῦ διδασκάλου, ὅς σε ἠλευθέρωσεν ἐκ τῆς δουλείας Φαραώ, καὶ ἐποίησε τὴν θάλασσαν ξηρὰν καὶ ἐπέρασας, καὶ τὸν Φαραὼ ἀπέπνιξε, καὶ τὸ μάννα ἐν τῇ ἐρήμῳ σε ἐχόρτασε· τοιαύτας ἀμοιβὰς ἀντιδίδως τοῦ εὐεργέτου ὦ Ἰουδαῖε; διὰ τί μεμελέτηκας βουλὴν πονηρὰν καὶ παρέδωκας τὸν διδάσκαλον τῷ πιλάτῳ, καὶ τὸν Βαρραβᾶν ἐζήτησας καὶ ἠλευθέρωσας καὶ τὸν διδάσκαλον σταυρῷ κατεδίκασας; ἐπεὶ καὶ ὄντως ἀληθῶς κενὰ μεμελέτηκας· ὢ τῆς μακροθυμίας σου δέσποτα· ὢ τῆς ἀνοχῆς τοῦ δεσπότου· ὁ βασιλεὺς τῶν οὐρανῶν, ὑπὸ χειρῶν ἀνθρώπων ῥαπίζεται, ὁ ὑμνού-

Deus multo magis quàm aliis ſceleribus ad indignationem excitatur. Nam fides noſtra ex operibus cognoſcitur. Qualia hæc opera? Obſeruatio diuinorum mandatorum, ſine quibus nemo videbit Dominum.

Dominus noſter IESVS Chriſtus Rex ſæculorum, principij & finis expers, fons vitæ & immortalitatis, qui ſolo verbo omnia ex nihilo produxit, vt eſſent, qui aduentu ſuo per carnis aſſumptionem procul diſiuncta in vnam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam collegauit, tribuens ei concordiam in Spiritu ſancto per venerandam & viuificam ſuam Crucem, nunc itidem inexpugnabili ſua & omnipotente virtute coniungat & coagmentet in vnum omnes Chriſtianorum gentes, tribuatque Imperatoribus noſtris victoriæ trophæa, vtque omnem hoſtem & aduerſarium exterminent: quo tranquillam & pacificam vitam agentes, glorificemus Chriſtum, cum patre principij experte, & viuifico ſanctoque ſpiritu, nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum,

Amen.



# BEATISSIMI PATRIS NOSTRI GEORGII MITYLENÆI IN SALVTIFERAM Domini noſtri IESV Chriſti paſſionem.

*Benedic Pater.*



HODIE Dominus noſter IESVS Chriſtus eſt in Cruce, & nos diem feſtum agitemus. Hodie vniuerſa creatura propter Iudæorum improbitatem tremit ac concutitur. Et cuius gratia, ô Iudæe, Dominum crucifigere voluiſti? Cur mala machinatus es contra doctorem tuum, qui te ex ſeruitute Pharaonis eripuit, & mare vertit in aridam, tibi ad tranſitum, & Pharaonem ſubmerſit; & cæleſti manna in deſerto te pauit? Hanccine benefactori tuo retribuis vicem, ô Iudæe! Cur impium conſilium iniiſti, & magiſtrum tuum Pilato tradidiſti, & Barrabam petitum & quæſitum liberaſti, doctoremque tuum Cruci addixiſti? Verè verè *inania* meditatus es. O longanimitatem tuam Domine. O *Pſal. 2.* patientiam Domini. Rex cœlorum ab hominibus alapis cæditur.

Qui

ὁ ὑμνούμενος ὑπὸ μυριάδων ἀγγέλων, ἐμπαιγμοὺς καὶ μάστιγας καὶ ὕβρεις καταδέχεται· ὁ στέφανον χάριτος κατακοσμήσας τὸν ἄνθρωπον, τὸν ἀκάνθινον ἀναδέχεται στέφανον, καὶ γυμνοῦται τῷ σώματι, ὁ φῶς ὡς ἱμάτιον περιβαλλόμενος· ὁ ἐνδύσας ἡμᾶς χιτῶνας φωτοειδεῖς, ἐπὶ σταυροῦ γυμνὸς σαρκὶ κρεμᾶται· ὁ ἐπὶ θρόνου ὑψηλοῦ καθήμενος, ἥλοις περιπείρεται· ὁ τὴν γῆν θεμελιώσας, ὄξος καὶ χολὴν ποτίζεται· ὁ τὸν κόσμον ὅλον ποιήσας, λόγχῃ τὴν πλευρὰν διορύσσεται.

Ὦ δέσποτα καὶ διὰ τί καὶ ὑπὲρ τίνων ταῦτα καταδέχεσαι; δηλαδὴ ὑπὲρ τοῦ ἀνθρωπίνου γένους· πῶς οὐ διελύθη τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου, ὅτι ταῦτα ἔπαθες; πῶς ἐβάστασεν ἡ γῆ τὴν παρανομίαν τῶν Ἰουδαίων, καὶ οὐ συνέκλεισεν αὐτοὺς εἰς τὴν ἄβυσσον; ἀλλὰ σὺ ὁ ἐπὶ ξύλου κρεμάμενος οὐκ ἠθέλησας, ἀλλ' ἔλεγες· πάτερ ἄφες αὐτοῖς τὴν ἁμαρτίαν ταύτην.

Ταῦτα θεωροῦντες οἱ ἅγιοι ἄγγελοι ἦλθον εἰς τὸν τόπον τοῦ κρανίου καὶ θαυμάζοντες ἔλεγον· ὢ πονηρῶν ἀνθρώπων τοῦ τολμήσαντος κατὰ τοῦ διδασκάλου καὶ δημιουργοῦ τοιαῦτα κακοποιῆσαι. ἀπόδος αὐτοῖς κατὰ τὰ ἔργα αὐτῶν, ὅτι ὁ τὰ πάντα κρατῶν ἐν σταυρῷ κρέμαται γυμνός, καὶ οὐδὲ εἷς ὁ ἐλεῶν αὐτόν· οἱ μαθηταὶ ἔφυγον, οἱ γνωστοὶ ἐκρύβησαν διὰ τὸν φόβον τῶν μιαιφόνων Ἰουδαίων· μόνον δὲ ἡ θεοτόκος εἱστήκει εἰς τὸν σταυρὸν καὶ ὁ Ἰωάννης, καὶ ἡ ἀδελφὴ τῆς μητρὸς αὐτοῦ Μαρία ἡ τοῦ Κλωπᾶ καὶ Μαρία ἡ Μαγδαληνή· αἱ δὲ ἄλλαι γυναῖκες μακρόθεν εἱστήκεισαν· ἡ δὲ θεοτόκος ἐγγὺς τοῦ σταυροῦ εἱστήκει, καὶ ὁμιλῶν αὐτῆς ὁ χριστὸς ἤκουε τὰ λεγόμενα. αἱ δὲ ἄλλαι γυναῖκες οὐκ ἐτόλμων ἐγγίσαι, ἀλλὰ ἐθεώρουν μακρόθεν τὰ γινόμενα. ἡ δὲ θεοτόκος ἐγγὺς τοῦ σταυροῦ ἦν ἀμετακίνητος, καὶ κατεφλέγετο τὰ σπλάγχνα αὐτῆς. ἡ δὲ Μαρία τοῦ Κλωπᾶ καὶ Μαρία ἡ Μαγδαληνὴ παρηγορίας αὐτῇ προνοούμεναι. θεωροῦσα οὖν ἡ θεοτόκος τὸν υἱὸν αὐτῆς εἰς τὸ πάθος ἀπαγόμενον, οἱ μὲν μαθηταὶ ἔφυγον, ἡ δὲ θεοτόκος ἠκολούθει μέχρι τῆς αὐλῆς Ἄννα καὶ Καϊάφα. τίς οὖν ἀριθμήσει τοὺς πόνους καὶ τὰ βέλη τῶν σπλάγχνων αὐτῆς χωρήσαντα; πῶς ἐβάστασεν * θεωροῦντα τὸν πανάγιον υἱὸν αὐτῆς, συλλαμβανόμενον ὑπὸ πονηρῶν ἀνθρώπων; πῶς ὑπέμεινεν ἡ θεοτόκος * θεωρῶν τὸν υἱὸν αὐτῆς τὸν πρᾷον καὶ ἄκακον ἀμνὸν ὑπὸ θηρῶν ἀγριωτάτων ἀνθρώπων κρατούμενον; καὶ ὁ χριστὸς ὁμιλῶν αὐτοῖς πρᾴως καὶ λέγων· λαός μου τί ἐποίησά σοι; καὶ θέλετε σταυρῶσαί με. κἀκεῖνοι τρίζοντες κατ' αὐτοῦ τοὺς ὀδόντας καὶ ἐβόων φωνὰς μεγάλας. καὶ ἡ θεοτόκος ἠρώτα τί ἐγένετο ὁ ἐμὸς υἱός; ἆρα ἀπολύσωσιν αὐτόν; ἀλλ' ἐπειδὴ ἔμαθεν ὅτι εἰς φόνον ἐβουλεύσαντο παραδοῦναι αὐτόν, πλέον ἐτρώθη τῇ καρδίᾳ, καὶ οὐδεὶς ὁ παρηγορῶν αὐτῇ· ὅτι οἱ μαθηταὶ καὶ οἱ γνωστοὶ ἔφυγον· μόνη δὲ αὐτὴ

* θεωροῦσα.
* θεωροῦσα.

ἦν

Qui à multis Angelorum myriadibus decantatur, illusiones, flagella & iniurias excipit. Qui hominem corona gratiæ cingit, spinea corona redimitur, & corpore nudatur, qui lumine, vt vestimento, amicitur. Qui nos lucifluis tunicis induit, nudus de cruce suspenditur. Qui in sublimi throno sedet, clauis configitur. Qui terram fundauit, felle & aceto potatur, conditor totius mundi, lancea latus transfoditur.

O Domine cuius gratia, & propter quos hæc talia passus es? Nimirum propter humanum genus. Quomodo non sunt elementa mundi dissoluta, quando hæc patiebaris? Quomodo terra tantam Iudæorum nequitiam tulit; nec in abyssum eos detrusit? At tu, qui Cruci confixus eras, nolebas, quin potius pro illis deprecans, *Pater,* aiebas, *dimitte illis hoc peccatum.* *Luc.23.*

Hæc sancti Angeli intuentes contulerunt se in Montem Caluariæ, & præ admiratione hac voces dabant. O scelestos homines, talia contra Magistrum & conditorem ausos. *Redde illis secundum opera eorum.* nam qui omnia continet, in cruce nudus pendet, neque est, qui eius misereatur. Discipuli fugerunt. Noti & amici absconderunt se metu cædem & sanguinem spirantium Iudæorum. Sola Deipara cum Ioanne ad Crucem adstat: Et soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Aliæ mulieres eminus constiterunt; at Deipara prope Crucem stetit; cum qua Christus sermones contulit. At aliæ mulieres non audebant propius accedere, quapropter eminus ea, quæ fiebant, contemplabantur. Deipara verò immobilis ad Crucem perstabat, vrebanturque eius viscera. Maria autem Cleophæ & Maria Magdalena solatia ei subministrabant. Videns igitur Deipara filium suum ad Crucem abduci, discipuli fugam inierunt, at virgo sequebatur vsque ad domum Annæ & Caiphæ. Quis enumeret labores & tela, quæ per viscera eius penetrarunt? Quomodo ferendo fuit, cum filium suum à nefariis hominibus captum vidit? Quomodo Deipara sustinere valuit, cum intuita est, filium suum, agnum illum mansuetum, & omnis malitiæ expertem, in agrestium ferarum manus incidisse? ad quas ille blandè & mansuetè: *Popule meus, quid feci tibi*, vt ad Crucem me quæras? At illi dentibus in eum stridentes voce magna vociferabantur. At Deipara rogitabat, quid filio suo accidisset, & num neci eum dedere cogitarent; cumque intellexisset, eos de nece inferenda consilia agitare; magis adhuc intimo corde sauciata est, neque erat, à quo solatium acciperet; nam discipuli & noti fugerant; ipsaque sola eorum, quæ fiebant, spe- *Psal.27.* *Mich.6.*

* θεωροῦσα. ἣν * θεωρῶν τὰ γινόμενα, καὶ ὁ κορυφαῖος πέτρος ἠρνήθη. αὐτὴ δὲ μόνη ἠρώτα τοὺς ἐξιόντας μανθάνουσα τὴν περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτῆς ἀπόφασιν, λέγουσα· ὦ ἄνδρες· τίς ἡ αἰτία τοῦ ξένου τούτου; καὶ κατακρίνουσιν αὐτὸν ὡς κακοῦργον;

Ἐπειδὴ ἡ θεοτόκος εἶδεν ὅτι πρὸς πιλάτον καὶ πρὸς τὸν ἡρώδην παραπέμπουσιν αὐτὸν ὡς κακοῦργον, ἠκολούθει καὶ αὐτὴ μετὰ λύπης φλεγομένη τὰ σπλάγ-
* θεωροῦσα. χνα καὶ τὴν ψυχὴν καὶ τὴν καρδίαν· ποία ψυχὴ ὑπέμεινεν, * θεωρῶν κατακρινόμενον καὶ μαστιγούμενον, καὶ ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν ἐμπτυόμενον, καὶ ῥαπιζόμενον, καὶ ἀνασπώμενον τὰς τρίχας τῆς κεφαλῆς καὶ τοῦ πώγωνος;
* θεωροῦσα. πῶς ὑπέμεινεν ἡ θεοτόκος * θεωρῶν τὴν κορυφὴν ἣν ἐφίλει καὶ ἐτίμα ἀκάνθινον ἀναδεχομένην στέφανον, καὶ κάλαμον δειρομένην; καὶ αὐτὸς ἔβλεπε τούτους πραέως· πῶς ὡς ἀρνίον ἄκακον ἐν τῷ σταυρῷ ἀπήρχετο; πῶς βαστάζων τὸν σταυρὸν αὐτοῦ γαληνῶς κατεδέχετο; ὅτι πρὶν τῷ κυρηναίῳ ἀγγαρεῦσαι, τῷ Ιησοῦ τὸν σταυρὸν ἐπιθεῖναι γέγραπται· ἐπεὶ δὲ τὸν τόπον κρανίου κατέλαβον, καὶ οἱ μὲν στρατιῶται τὸν σταυρὸν κατεπήγνυον· ἄλλοι δὲ τὸν Ιησοῦν ἀπεγύμνουν· ἄλλοι τοὺς ἥλους ἐκράτουν. ὅταν δὲ πάλιν εἶδεν αὐτὸν ἡ θεοτόκος ἐπὶ τὸν σταυρὸν ἀναβαίνοντα, σφοδρότερον ἡ ῥομφαία εἰσῆλθεν ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆς· ἀλλὰ πῶς ἡ ψυχὴ τοῦ σώματος οὐ διέπτη; πῶς ὑπέμειναν οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτῆς θεωροῦντες τὸ φῶς αὐτῆς ἀναβαίνοντα ἐν τῷ σταυρῷ; πῶς οὐ διελύ-
* θεωροῦσα sic in seq. θη * θεωρῶν τοὺς ἥλους καρφομένους εἰς τὰς τιμίας χεῖρας τοῦ Ιησοῦ τοῦ πλάσαντος τοὺς ἀνθρώπους; πῶς ὑπέμεινεν θεωρῶν τὸ αἷμα καταβαινόμενον ἐκ τῶν χειρῶν καὶ τῶν ποδῶν αὐτοῦ; πῶς ὑπέμεινε θεωρῶν τὰ ἱμάτια τοῦ Ιησοῦ ἃ αὐτὴ κατεσκεύασε σχιζόμενα ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν; πῶς ὑπέμεινεν ἀκούων τὰς βλασφημίας καὶ τὰ ὀνείδη τῶν στρατιωτῶν καὶ τῶν Ιουδαίων;

Πῶς ὑπέμεινεν ἀκούσας τοῦ Ιησοῦ τοῦ υἱοῦ αὐτῆς λέγων διψῶ· καὶ οἱ στρατιῶται προσέφερον αὐτῷ ὄξος καὶ χολὴν καὶ ἐπότιζον· φλεγομένη δὲ τὴν καρδίαν ἡ θεοτόκος ἠβουλήθη προσεγγίσαι τῷ σταυρῷ καὶ δώσειν αὐτῷ ὕδωρ πιεῖν, ἀλλ' οἱ στρατιῶται ταύτην ἀπώθουν· ἐπεὶ δὲ ἐπλήρωσαν πάντα ὅσα ἠθέλησαν εἰς αὐτὸν, καὶ ἀπῆλθε τὸ πλῆθος τοῦ λαοῦ εἰς τοὺς οἴκους αὐτῶν· καὶ οἱ στρατιῶται ἐσθίοντες, εὑροῦσα ἄδειαν ἡ θεοτόκος, καὶ ἐγγύσασα τοῦ σταυροῦ, κατεφίλει τοὺς ἀχράντους αὐτοῦ πόδας, καὶ τὰς πληγὰς τῶν ἥλων κατεφίλει, καὶ τὸ ἐκχυθὲν αἷμα περιελομένη καὶ δακρύουσα ἔλεγεν.

Τί τοῦτο δέσποτα υἱέ μου καὶ θεέ μου, γλυκύτατόν μου φῶς; οὐ θέλω πλέον υἱέ μου τοῦ ζῆν· ὦ υἱέ μου φῶς τῶν ὀφθαλμῶν μου, διὰ τί με ἐγκατέλιπες μόνην καὶ ὑπέμεινας σταυρόν, διὰ τί υἱέ μου οὐκ ἤνοιξας τὴν γῆν καταπιεῖν τοὺς σταυροῦντάς σε; τοιαύτας ἀμοιβὰς ἀπέδωκεν οὓς ἐχόρτασας τὸ μάννα ἐν τῇ ἐρήμῳ;

ctatrix erat, Princeps Apostolorum, Petrus in negationem inciderat. Ipsa igitur sola ex egredientibus sciscitabatur, quid de filio suo decretum esset; Quæ culpa, inquiens, ô viri, huius peregrini? Cur illum vt malefactorem condemnant?

Postquam vidit Deipara, eum, instar malefici, mitti ad Pilatum & Herodem, sequebatur & ipsa ingenti cordis dolore percussa; immensoq; igne in visceribus ac præcordiis succensa. Cui tanta pectoris firmitudo fuisset, qui oculo irretorto contemplari potuisset Christum cōdemnatum, flagellatum, à militibus consputũ, alapis cæsum, euulsosq; capillos capitis ac barbæ? Qua ratione Deipara non succubuit, cùm vidit dilectum illum sibi ac venerabilem verticem spinea corona cinctum, & arundine percussum? Ipse autem Christus omnes placido & mansueto dignabatur aspectu. Quomodo vt Agnus, nullius malitiæ macula fœdatus ad crucem tendebat? Quomodo baiulans crucẽ suam quiete eandem in se recepit? quia antequam Simonem Cyrenęum angariarent, & vrgerent ferre Crucem post Iesum, humeris IESV eam imposuerant; vt testatur scriptura. Post in Montẽ Caluariæ ventum est: Et milites quidẽ alij Crucem defixerunt & erexerunt; alij Iesum vestibus exuerunt, alij clauos tenebant. At vbi Deipara filium in Crucis lignũ ascendentẽ conspexit; doloris gladius vehementius in præcordia penetrauit. Et quomodo anima ex corpore nō auolauit? Quo pacto oculi eius sufferre valuerunt spectaculum filij sui, hoc est, lucis suæ, in Crucẽ conscendentis? Quomodo non omnia eius membra dissoluta sunt, quãdo aspexit clauos in eius manus infixos, q̃ homines formauit? Quomodo sustinere potuit, videns sanguinẽ ex manibus & pedibus eius defluentem? Quem dolorẽ nō concepit, quãdo vidit vestimenta, q̃ ipsa parauerat, scissa à militibus? Quib. cruciamẽtis nō est affecta audiens blasphemias & opprobria militũ & Iudęorũ? *Ioan. 19.*

Qua ratione vocem illam Iesu, *Sitio*, accepit, militibus ei ad potum acetũ & fel adferentibus? Porro pectore sauciata virgo cupiebat Cruci propinquare, & aquã ei porrigere; sed repulsa fuit à militibus. Postquam autẽ omnia, quęcunq; insania suadebat, in ipsum perpetrarant, & populus domum quisq; suam repetiuerat, militibus cibo potuque corpora curantibus, Deipara, occasionẽ nacta propius ad Crucẽ accessit, eiusq; immaculatis pedibus osculum fixit, vt & vulneribus per clauos factis, lectoq; sanguine illachrymans has fundebat querelas. *Ioan. 19.*

Quid hoc Domine? fili mi, & Deus meus, dulcissima lux mea. Piget diutius, fili mi, viuere. Fili mi, lumen oculorum meorum, vt quid me sola derelicta Crucẽ subiisti? Cur fili, nō laxasti terræ sinus, vt absorberet eos, q̃ te crucifigebant? Hæccinę tibi reddiderunt illi, quos satiasti *Exod. 16.*

ἐρήμου; ἀντὶ τοῦ νεκροὺς οὓς ἀνέστησας, σταυρῷ σε προσήλωσαν; καὶ διὰ τί υἱέ μου οὐκ ἔπαθον ἐγὼ ταῦτα; διὰ τί τοὺς ἥλους τούτους οὐκ ἔπαθον ἐγώ, ἀλλὰ σὺ ὁ μονογενής μου καὶ γλυκύς μου υἱὸς καὶ θεὸς λαμβάνεις καὶ σφαγιάζεσαι; Φρίξον ἥλιε, κρύψον σου τὸ φῶς, ὅτι τὸ φῶς τῶν ὀφθαλμῶν μου βλέπω ἐν τῷ σταυρῷ κρεμάμενον· φρίξον οὐρανὲ καὶ συνθρήνησον μετ' ἐμοῦ τοῦ δεσπότου τὴν σφαγήν. ὦ γῆ καὶ τὰ θεμέλια, ὄρη τε καὶ πεδία, μὴ βαστάζετε τὸν ἄδικον φόνον. ὦ παράδεισε συνθρήνησόν μοι, ὅτι ὁ φυτεύσας σε κρέμαται ἐπὶ ξύλου. ὦ γλυκύτατόν μου τέκνον· ὦ ψυχῆς τῆς ἐμῆς παραμυθία. ἐγὼ μόνη σφάζομαι εἰς τὴν καρδίαν· οὐδεὶς γάρ ἐστιν ὁ συμπονέσων με εἰς τοὺς πολλούς μου πόνους τῆς καρδίας. ἐὰν δὲ καί τις πονῇ, ἀλλ' οὐχὶ ὡς ἐγὼ ἡ μήτηρ σου ἡ γεννήσασά σε καὶ θηλάσασά σε· καὶ ἐν τῇ καρδίᾳ δίστομος ῥομφαία εἰσῆλθε, καὶ ἔχω δριμυτέρους πόνους· εὐχαριστῶ σοι υἱέ μου τὴν μακροθυμίαν σου, ὅτι ὑπὲρ πάντων πάσχεις ἵνα σώσῃς πάντα.

Ἀλλ' ἐγὼ πῶς βαστάσω τὸ πάθος σου; πῶς φέρω σου τὴν στέρησιν υἱέ μου;
* θεωροῦσα. πῶς ἄτεκνος φανοῦμαι; πῶς ὑπομείνω * θεωρῶντα τὰ μέλη σου μετὰ τῶν αἱμάτων καταχεόμενα; πῶς ὑπομείνω υἱέ μου θεωροῦντα τοὺς γαληνούς σου ὀφθαλμοὺς καλυπτομένους; πῶς ὑπομείνω θεωρῶν τὰ χείλη σου καὶ τὴν
* ὁμιλήσουσιν. γλῶσσάν σου τὴν μελίρρυτον, τὴν ἀναστήσασαν τοὺς νεκρούς, καὶ οὐχ * ὁμιλοῦντά μοι; οὐδὲν γάρ σε θεωρήσω πλέον. κόπτονται τὰ σπλάγχνα μου θεωροῦντά σε τῇ σαρκὶ πάσχοντα. ὁμίλησόν μοι τέκνον μου γλυκύτατον· ποῦ ἀπέλθω υἱέ μου; λάλησόν μοι ὡς τὸ σύνηθες· λάλησον τῇ μητρί σου, ἵνα ἔχω τὸν λόγον σου παρηγόρημα· εἰπέ μοι λόγον γλυκύν, ἵνα ἀκούσω.

Ἰδὼν οὖν ὁ δεσπότης τὴν ἰδίαν αὐτοῦ μητέρα οὕτως θρηνουμένην καὶ κοπτομένην δριμύτατα, φωνὴν ἀφίησι τοιαύτην· γύναι, ἰδοὺ ὁ υἱός σου ὁ Ἰωάννης ὁ θεολόγος, ὁ ἠγαπημένος μαθητής. αὐτός σε παρηγορήσει καὶ τιμήσει καὶ δοξάσει· παῦσαι τοῦ ὀδυρμοῦ μῆτερ τι εἰς ἐμέ, ἀλλὰ τὴν ἀπόρρητόν μου ἀγνοεῖς· ὅτι τὸν παλαιὸν ἐκεῖνον Ἀδὰμ ἐπείγομαι σῶσαι· ἔχουσα τοίνυν τὸν ἐπιστήθιον φίλον, ἄφες τὴν λύπην. ἀνατίθεμαί σοι σὺν αὐτῷ, καὶ εἰς τοὺς ἑτέρους μαθητάς, καὶ ἀξιόλογόν σοι τὸ σέβας καὶ τὴν τιμὴν ὡς ἐμὲ ποιήσουσιν. οὕτως εἰπὼν ὁ δεσπότης, λέγει τῷ Ἰωάννῃ· ἰδοὺ ἡ μήτηρ σου. ὦ ὑπέρτιμε μαθητοῦ τιμῆς. ἰδοὺ ταύτην ἀντὶ ἐμοῦ παρατίθεμαί σοι, καὶ ὡς τοῦ κυρίου καὶ διδασκάλου μητρὶ ἀπό-
* ἑτέροις μαθηταῖς. νεμε σέβας· καὶ οὐ μόνον σοι ἀνατίθεμαι, ἀλλὰ καὶ τῶν * ἑτέρων μαθητῶν, καὶ ὡς μητέρα ταύτην καταλιμπάνω ὑμῖν.

* ὁμιλήσαντος τοῦ κυρίου. Οὕτως οὖν * ὁμιλήσας ὁ δεσπότης, ἦλθον πάλιν οἱ στρατιῶται οἱ μιαιφόνοι καὶ κυκλώσαντες τὸν σταυρὸν, ἀπώσαντο τὴν μητέρα· ἔδει δὲ πληρωθῆναι ἡ προφητεία.

Manna in deserto? Pro beneficio,quo mortuos excitasti, Cruci te affixerunt? Cur ego,fili mi,hæc non perpessa sum? Cur claui isti nō penetrarunt pedes & manus meas? Cur tu,ô vnigena, & suauissime fili mi,& Deus meus clauis transfigeris & immolaris? Cohorresce sol. Abde lumen,quia lumen oculorum meorum de Cruce suspensum aspicio. Cohorresce cælum,mecumq; Domini necem lamentare. O terra,& fundamenta terræ,montes & campi; ne hanc indignam cædem ferte. O paradise,plora mecum,nam qui te plantauit, è ligno pendet. O dulcissime mi fili. O animæ meæ solatium. Mihi soli cor vulneratur,nullus est,qui in communionem laboris & doloris, quo crucior, veniat. Et licet quis reperiatur,quem commiseratio tangat, attamen nemo est,quem acerbius hic cruciatus molestet, quàm me genitricem tuam,& cuius cor gladius anceps magis penetret, & grauioribus curis conuulneret.

Gratias tibi ago,fili mi,ob æquanimitatē tuam, qui pro omnibus pateris,vt omnes facias saluos. Sed quo nam modo ferā ego tormenta tua? Quomodo orbitatē? Quis status meus erit, si te priuer? Quî membra tua sanguine tuo tincta aspicere potero? Quî feram, si affabiles illos tuos oculos videro obscuratos & obtenebratos? Quî feram,si videro labia tua & mellifluam linguam tuam,quæ mortuos suscitauit,obmutuisse, neq; quidquam amplius mihi proloqui? Nec te amplius conspectura sum. Angor intimis visceribus, cruciatus tuos cernens. Dignare me tuo alloquio, fili suauissime. Quò me conferā, fili mi? Consueto more mecum loquere. Loquere cum matre tua, vt sermo tuus mihi sit solatio. Profer dulce verbum, vt audiam.

Cum videret ergo Dominus genitricem suam adeo lamentabilibus modis queri, hanc vocem edidit: Mulier ecce filius tuus est Ioannes Theologus,dilectus ille discipulus. Ipse te consolabitur,honorabit, & glorificabit, desine à querimoniis. Nescis arcanum meum consilium. Veterem Adamum excitatum eo. Cum igitur charissimū hunc tibi amicum reliquum habeas, tristari cessa. Restituo tibi vnà cum illo etiam cæteros discipulos; qui digno te honore & debita veneratione perpetuò prosequentur. Hæc locutus Dominus, sermonē ad Ioannem conuertit. *Ecce mater tua.* O eximium honorem. En hanc vice mea trado & relinquo,vt eam,veluti Domini & Magistri tui Matrem,conuenienti cultu impertias. Nec solum tibi eam commendo, sed & cæteris discipulis matrem esse volo.

*Ioan. 19.*

*Ibid.*

Hæc vbi dicta,reuenerunt milites & cruenti illi homicidæ, & crucem circumsistentes repulerunt inde Matrem. Oportebat autē Pro-

φητεία, καὶ πέρας λαβεῖν. λέγει δὲ ὁ Ἰησοῦς· διψῶ· καὶ δραμόντες καὶ φέροντες ὄξος μετὰ χολῆς ἐπότιζον μετὰ σπόγγου· ἀλλ' ἡ μήτηρ θεωρήσασα ἐτρώθη τῇ καρδίᾳ, καὶ παρεκάλει τοὺς στρατιώτας ἀναμεῖναι καὶ ἀγαγεῖν ὕδωρ καὶ δοῦναι αὐτῷ τοῦ φιλτάτου τῷ στόματι * καταδροσεῖσαι· καὶ δραμοῦσα καὶ φέρουσα ἔλεγε, τίς δώσει αὐτῷ πιεῖν; ὅτι ὑψηλὸς ἦν ὁ σταυρός· ἀλλὰ τὸ ὄξος οἱ στρατιῶται προσφέροντες ἐπότιζον, τὴν δὲ θεοτόκον μὴ συγχωροῦντες ἐπιδώσειν τὸ ὕδωρ· καὶ λαβὼν τὸ ὄξος καὶ κράξας φωνῇ μεγάλῃ εἶπε· πάτερ εἰς χεῖράς σου παρατίθημι τὸ πνεῦμά μου· καὶ εἰπὼν οὕτως ἐξέπνευσεν, ὥρα θ'. καὶ εἷς τῶν στρατιωτῶν λόγχῃ τὴν πλευρὰν τοῦ σωτῆρος ἐκέντησε· καὶ ἰδοῦσα τοῦτο ἡ θεοτόκος καὶ πλέον φλεχθεῖσα τὴν καρδίαν, τὸ αἷμα τὸ ἐκ πλευρᾶς ὑπεδέχετο ὑπερτίμως, λέγουσα· ὢ μανία ἀνόμων· οὐδὲ μετὰ τὸν θάνατον υἱέ μου ὠκτείρησαν οἱ ἄνομοι· δόξα τῇ μακροθυμίᾳ σου δέσποτα. ταῦτα ἡ θεοτόκος λέγουσα καὶ σπουδάζουσα πρὸς ταφὴν τοῦ καὶ πῶς τοῦτον θάψῃ, ἀπῆλθε πρὸς τὸν Ἰωσὴφ τὸν ἀπὸ Ἀριμαθαίας καὶ παρακαλέσασα αὐτόν· ἀπῆλθε πρὸς Πιλάτον καὶ ᾐτήσατο τὸ σῶμα τοῦ Ἰησοῦ· καὶ δοὺς αὐτῷ ἐξουσίαν κατήγαγε· καὶ βαλὼν τὸ σῶμα τοῦ Ἰησοῦ ἐν καινῷ αὐτοῦ μνημείῳ, ἀνέστη τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ· δοὺς ἡμῖν τοῖς ἑορτάζουσι τὰ ἄχραντα αὐτοῦ πάθη ζωὴν αἰώνιον· ὅτι αὐτῷ πρέπει πᾶσα δόξα, τιμὴ καὶ προσκύνησις εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

* καταδροῖσαι

